Collationes Brugenses.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7



TOMUS XVII





BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MCMXII

27250

v. 17
1912

Collationes Brugenses

MONITUM AD CLERUM.

Ab aliquo tempore factum est ut catholici quidam, imo et catholici cœtus atque concilia communalia votum ederent ut nonnisi flandrica lingua doceretur, in Universitate studiorum Gandavensi, quo videlicet juvenes nostri flandri studiorum causa convenirent.

Nemo non videt hujusmodi votum catholicis principiis omnino contraire, cum Universitas Status schola neutralis sit atque usque mansura sit.

Eo vel gravior res est, quod hodie de re scholari nobis acerrima cum hostibus fidei catholicæ pugna est; et, si animas puerorum adversus periculum scholæ neutralis protegere catholicorum omnium hujus nomine dignorum officium est, profecto juvenes, illos præsertim qui postea suo influxu in alios homines prævalebunt, catholicis principiis imbui necesse est, et acatholicæ Universitati studiorum committi nefas.

Hoc principium stat immotum, etiamsi in praxi aliqua majori tolerantia pro diversis adjunctis forte utendum sit erga juvenes jam christiano modo educatos, ut ponitur, quam erga pueros scholarum inferiorum.

Unde, quidquid Gubernium catholicum, intuitu civium universorum, tam fidelium quam non fidelium, statuendum hac in re duxerit, nequaquam viri catholici est ea provocare quæ quovis modo rei catholicæ nocumentum afferre possunt.

Itaque sacerdotum officium est, præcipue illorum qui curam aliquam animarum agunt sive in parochiis, sive in collegiis aliisve institutis, non tolerare neque silentio præterire vota hujusmodi aberrantium.

Qua quidem de re monere Clerum nostrum gravissimum nostri pastoralis officii munus esse censemus.

Brugis, 29 Decembris 1911.

† G.-J. Episc. Brugen.

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

Olim scriptis « Meditationibus theologicis » addidimus recentius complementum quoddam, quo pleniori in luce poneretur unio, jam illic obiter exposita, quæ et qualis in præsenti ordine supernaturali existat Deum inter et justum; simulque appareret clarius nostras « Meditationes theologicas » sponte conducere ad theologiam mysticam, et porro ad praxim unionis contemplativæ cum Deo.

Ideo quoque ejusdem theologiæ mysticæ conspectum generalem eidem complemento adjecimus, eo præsertim fine ut animas electas clerumque nostrum dilectum adjuvaremus ad lectionem ac studium scriptorum contemplativorum, indeque ad ipsum contemplationis perfectæque charitatis exercitium.

Equidem hoc unionis contemplativæ cum Deo exercitium vix aliud est ac conscientia actualis et vivida unionis nostræ cum Deo reapse existentis, tum mediatæ per gratiam sanctificantem ac charitatem, tum immediatæ cum Spiritu sancto, inque ipso et per ipsum cum Patre et Filio, beatissima Trinitate nos inhabitante; ita quidem ut ratione prioris unionis (mediatæ) sit in nobis summa activitas perfectæ charitatis; ratione posterioris unionis (immediatæ) sit simul summa fruitionis divinæ requies sanctaque otiositas, quemadmodum loquitur Beatus Rusbrochius: « Tusschen werken ende ledigh sijn, soe leeft minnen ende ghebruken (amare et frui). Minne wilt altoes werken... Ghebruken moet altoes

ledigh sijn (1). » Idemque distinguit triplicem unionem contemplativi cum Deo: mediatam per gratiam Dei, opera bona atque virtutes; immediatam *sonder middel* en boven gratie; tertiam tandem quam vocat *sonder onderscheet, sonder differentie*, quæ videtur esse quædam actualis contemplatio unitiva, fortassis nonnisi per donum gratis datum supernaturaliter infusa, eaque prælibatio aliqualis visionis intuitivæ ac beatificæ Dei.

De his fusius infra agetur.

Itaque nunc quædam notabimus scitu utilissima circa scripta Contemplativorum, ipsumque contemplationis exercitium.

I

Primo quidem advertere licet scripta hujusmodi utut apud diversos auctores forma, methodo, stilo discrepent, doctrinam tamen diversorum sanctorum aliorumque probatorum Auctorum de vita contemplativa optime inter se consentire.

Quod mirum videri nullatenus debet. Etenim ex eodem fonte hauserunt hi omnes, nempe ex Spiritu sancto, tum intus illuminante, tum foris loquente in verbo Dei, eodem Spiritu inspirante conscripto. Præterea, antiquiorum Patrum atque Doctorum mysticorum, ut fieri assolet ac decet, doctrinam exceperunt alii insequentes, et lumine ex ea percepto usi sunt; adeoque, præter fontem intrinsecum illuminantis Spiritus sancti, ex communi quoque fonte totius doctrinæ sacræ, eoque duplici, scilicet Scriptura et traditione communiter hauserunt.

Sic Doctores medii ævi, S. Bernardus, Hugo et Richardus a S. Victore, S. Thomas, S. Bonaventura, Beatus Rusbrochius, aliique, quod mysticam theologiam attinet, multa mutuati sunt ex S. Dionysio, Areopagita dicto, cæterisque Patribus.

---

(1) *Van den seven trappen*, 7e Trappe.

II

Porro, inter mysticos medii ævi ad finem vergentis insignem locum obtinent nostrates, ita ut merito dicat Laurentius Surius, in carthusia Coloniensi olim monachus (1): « Germanice ab Auctore (cujus nempe opusculum flandrice exaratum in linguam latinam vertit Surius) scripta sunt, sicut et D. Joannis Rusbrochii, D. Joannis Thauleri, et quorumdam aliorum sanctissimorum Patrum opera. Quæ omnia si quis bene perlustraverit, fateri cogetur, nullo unquam idiomate tam sublimiter, tamque copiose ac luculenter ea quæ ad mysticam theologiam ac vitam contemplativam pertinent, atque germanico esse conscripta... »

Nostrorum autem mysticorum princeps est Beatus Joannes Rusbrochius, vir admirabilis dictus, excellentissimique Contemplativi ac Doctoris divini titulis condecoratus; princeps, inquam, tum sublimitate doctrinæ sermonisque copia ac stili elegantia (2), tum influxu ingenti quem in posteros exercuit.

Namque ab eo processit numerosa mysticorum schola, ac mutuati sunt multa scriptores de re mystica insignes, ut Thaulerus, Dionysius Carthusianus, aliique plures. Notum est ejusdem Rusbrochii amicum et sequacem fuisse Gerardum Magnum (Geert Groote), institutorem Fratrum vitæ communis, ut vocabantur, et parentem

---

(1) In epist. nuncupatoria ad opusc. R. F. Florentii Batavi, Carthusiæ Lovaniensis Prioris, *Institutionum vitæ christianæ libri V*, interprete R. F. Laurentio Surio Carthusiano.

(2) Ut notum est, Rusbrochius lingua vere et bene flandrica scripsit, quam nos West-Flandri servavimus; ejusque opera sub respectu quoque linguæ atque literarum flandricarum maximi momenti sunt omnique attentione digna. Si hæc in opera, quæ denuo edi summa cum cura cœperunt Lovanii, sedulo incubuerint nostri, multos absque dubio pœnitebit se tam pronos fuisse ut, modo scribendi ac pronuntiandi, maternam suam linguam commutarent cum alia quadam heterogenea mixtura, quæ nec vicinorum est, et minime nostra.

seu primam originem Congregationis seu capituli generalis Windesheimiensis (1) olim florentissimi Canonicorum et Canonissarum regularium S. Augustini. Hoc modo doctrina mystica B. Rusbrochii influxum suum extendit ad scholam universam dictorum Fratrum, et ad Scriptores supranominatæ congregationis Windesheimiensis.

Inter hos autem haud pauci egregii numerantur. Sufficiat indicasse Gerardum Zerbolt a Zutphania (2); Fredericum ab Heilo (3); Henricum Mande, aliquando « Rusbrochium Neerlandicum » vocatum (4); Gerlacum Petri seu Peters, dictum « alterum Thomam a Kempis » (5); ipsumque tandem celeberrimum Thomam Kempensem (6). Addamus et Joannem Mauburnum (Mombaer) qui quasi encyclopediam exstruxit doctrinæ spiritualis practicæ (7).

---

(1) Vid. *Chronicon Windesemense,* auctore Jo. Buschio; et *Chronicon Montis S. Agnetis,* auctore Thoma a Kempis, necnon ejusdem auctoris *Vita Gerardi M.*, aliorumque ejusdem scholæ virorum. Cf. quoque J. Acquoy, *Het Klooster te Windesheim,* Utrecht, Vanderpost, 1876, ubi amplam bibliographiam invenies et historiæ seriem, cavendo tamen hic illic a judiciis Auctoris, utpote Protestantis.

Novam editionem criticam *Chronici Windeshemensis* cum *Libro de reformatione monasterionum* dedit Karl Grube, Halle, Otto Hendel, 1886. Primus editor Chronicorum tum Windeshemensis, tum Montis S. Agnetis fuit Heribert. Rosweydus, S. J.

Nota conventum quoque Viridis Vallis (Groenendaal) cujus B. Rusbrochius prior fuit, cum aliis « Capitulum Brabantiæ » componentibus, capitulo generali Windeshemensi fuisse unitum, aliquot annis post mortem Rusbrochii.

(2) Inter alia insigne ejus opusculum est *De spiritualibus ascensionibus,* sæpius editum, etiam flandrice et anglice.

(3) Cf. J.-C. Pool, *Frederik van Heilo en zijn Schriften,* Amsterdam, Centen, 1866.

(4) Vid. N.-C.-K. de Bazel, *Een verloren geacht werkje van Hendrik Mande* enz. *met een bibliographie van Mande,* Leiden, Van Leeuwen, 1886.

(5) Præcipue ejus *Ignitum cum Deo soliloquium,* necnon *Breviloquium.*

(6) Hujus *Opera omnia* (excepto Chronico montis S. Agnetis de quo supra) edidit Henricus Sommalius, S. J.; recenter vero editionem criticam adornavit M.-J. Pohl, Friburgi, Herder, 1904.

(7) Vid. ejus *Rosetum exercitiorum spiritualium.*

Hi vice sua eumdem influxum transmiserunt ad multos alios post se (1).

III

Cum intimo cordis gaudio excepimus novam editionem criticam operum B. Joannis Rusbrochii ex optimis manuscriptis maxima cum cura confectam, cujus primum volumen apparuit, continens opusculum *De septem gradibus* inscriptum (2). Hoc primum ex operibus Rus-

---

(1) Iste influxus apparet v. g. in operibus P. Joannis Evangelistæ, ord. S. F. Cap., inter alia *Het rych Gods inder zielen;* evidentissime vero apud Henricum Harphium seu Herphium (Van Herp) *Spieghel der Volcomenheit.* De hoc eodem influxu plurima mentis attentionem captantia reperies in *Bibliothèque des exercices de S. Ignace,* nº 9, 20 Juin 1907, « *La méditation fondamentale avant S. Ignace* », par H. Watrigant, S. J., ubi videbis influxum Scholæ Fratrum vitæ communis et Scriptorum capituli Windeshemensis in Scriptores spirituales Hispaniæ, Galliæ, Italiæ; nominatim in S. Ignatium de Loyola, quod specialiter Gerardum Zerbolt a Zutphania et Thomam Kempensem spectat. — Eadem de re etiam lege ejusdem P Watrigant opusculum *Genèse des exercices de S. Ignace,* Amiens, 1897; quod prius insertum fuit in ephem. *Etudes,* anno 1897.

(2) Qui ipsum Beatum Rusbrochium propius nosse cupit, adeat opusculum Henrici Pomerii a Bollandianis editum Bruxellis, a. 1885, *De origine monasterii Viridisvallis, una cum vitis B. Joannis Rusbrochii, primi prioris hujus monasterii, et aliquot coætaneorum ejus.* Item *Jean de Ruysbroeck,* par Willem De Vreese, *Biographie nationale,* t. XX, col. 507-591 (1909), ubi simul bibliographiam Rusbrochii reperies.

Quod autem lectionem operum ejusdem Beati attinet, ea diligenti studio in ipso textu originali legamus; vitemus autem elucubrationes quorumdam modernæ literaturæ amatorum qui mysticismum a se confictum profitentur, ut Maur. Maeterlinck, nec ea quæ Dei sunt, tam profunde descripta a Sanctis mysticis, ullatenus perceperunt aut percipiendi capaces sunt. — Utiliter adibis dissert. doctoralem Alf. Auger, *De doctrina et meritis Jo. van Ruysbroeck,* necnon *Étude sur les Mystiques des Pays Bas au Moyen Age* ejusdem auctoris.

Ne vero objiciatur difficultas scriptorum mysticorum, ut quoque facile nimis objici solet, quandocumque agitur de libris solidæ atque altæ doctrinæ theologicæ. Num enim tam degeneres sumus, ut jam capere non valeamus quæ Patres et Doctores, insignesque theologi ad nostram doctrinam scripserunt; nec jam legere valeamus quæ optimæ notæ Scriptores ascetici et mystici proposuerunt, quæque non tantum a Clero, sed et a religiosis fœminis piisque laïcis olim legebantur. Eheu, jam libet futilia, inania, veritate sæpius et sapientia vacua potius sorbere.

brochii editum fuit, quoniam, ut præfando ait editor R. P. Philippus Müller, C. R. L., præbet hoc opusculum quasi summam doctrinæ Rusbrochii, adeoque considerari potest tamquam introductio quædam in cætera ejusdem opera.

Igitur hujus opusculi, cujus versio quoque in linguam latinam ab ipso Gerardo Groote confecta in editione modo indicata reperitur, lectionem atque studiosam meditationem tum Clero nostro et Religiosis, tum animabus electis omnibus summopere commendamus (1).

Lectorem haud parum juvabit *Introductio* a R. P. Müller præmissa. Quædam autem puncta difficiliora in doctrina B. Rusbrochii paulo fusius declaranda videntur. Quod ut in commodum lectoris congruenter præstemus, primo, summam doctrinæ in opusculo *De septem gradibus divini amoris* contentæ paucis verbis exponemus; eamque doctrinam hinc quidem cum conspectu generali theologiæ mysticæ a nobis olim exposito, inde vero cum doctrina alius celeberrimi mystici, scilicet S. Joannis a Cruce, breviter conferemus; deinde, difficiliora quæ attigimus amplius declarare conabimur.

(Continuabitur).

---

(1) Prostat Lovanii, De Vlaamsche Drukkerij, Minderbroederstraat, 44.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Expone originem, argumentum et usum liturgicum Cantici:* Benedicite omnia opera Domini Domino... *(Dan. III).*

R. I. **Origo.** Caput tertium libri Danielis refert historiam erectionis statuæ aureæ a Nabuchodonosor rege; quam statuam adorare renuentes tres socii Danielis, Ananias, Azarias et Misael, missi sunt, pedibus ligatis, in fornacem ignis. Atvero, mirabili Dei interventu, vinculis ipsis combustis, in mediis flammis, illæsi ambulant.

Post v. 23 hujus capitis, leguntur in versionibus græcis, tum LXX tum Theodotionis, et in Vulgata latina, 67 versiculi qui desunt in textu hebraico. Illi vv. 24-90 capitis III, simul cum cap. XIII et XIV, quæ et ipsa desunt in textu hebraico, constituunt partem deuterocanonicam libri Danielis (1).

---

(1) Notum est viro catholico non licere dubium emittere circa caracterem *sacrum* et *canonicum*, id est circa factum *inspirationis* harum partium quæ dicuntur *deuterocanonicæ*, — non magis quam circa inspirationem partium *protocanonicarum*. Vocabulo *deuterocanonicum* hoc tantum significatur circa hujusmodi partes in Ecclesia non statim ab initio viguisse omnium consensum, sed apud nonnullos Patres aut scriptores, vel in nonnullis ecclesiis particularibus, aliquo tempore viguisse controversias. — Circa statum traditionis quæ viguit in Ecclesia relate ad has partes græcas Danielis, cfr. Caspar Julius, *Die griechischen Danielzusätze und ihre kanonische Geltung.* (*Biblische Studien*, VI, 3-4, 1901); et *Revue Biblique*, 1902, p. 143 s. — A quæstione de authentia *divina* seu *inspiratione*, sedulo secernenda est quæstio alia de authentia *humana*, scil. a quonam

Textus Danielis prout refertur in versione LXX jam a primis sæculis christianismi fuit rejectus (1), ejusque loco assumptus textus Theodotionis. Juxta hanc etiam versionem Theodotionis confecta est a S. Hieronymo versio latina partium deuterocanonicarum quam legimus in Vulgata (2).

His vv. refertur 1° oratio Azariæ invocantis misericordiam divinam (25-45); 2° quomodo ministri regis pergant fornacem succendere, at in cassum: angelus enim Domini descendit in fornacem et omnem calorem mitigat (46-50); 3° canticum gratiarum actionis trium puerorum quasi uno ore laudantium Deum (51-90). — Partem tantum hujus cantici in Laudes assumpsit Ecclesia: Etenim in cantico suo incipiunt tres pueri directe ipsi laudantes Deum: Benedictus es, Domine Deus...; benedictum nomen tuum..., etc. (vv. 52-56) (3). Dein, invitant omnes creaturas ut laudem deferant Deo; ultimo seipsos invitantes (88 a), motivum addunt cur ipsi speciali titulo Deum laudare habeant (88 b), et concludunt formula generali Dei laudatoria (89-90). — Canticum ab Ecclesia in Laudibus recitatum (vv. 57-88 a) tantum complectitur.

II. Argumentum. Canticum est invitatio directa ad

---

auctore hæ partes fuerint scriptæ, sive fuerint scriptæ cum reliquo opere Danielis, sive posteriori tempore operi Danielis insertæ; item quanam lingua, utrum hebraica aut aramaica an vero græca fuerint primo redactæ.

(1) « Danielem prophetam juxta LXX interpretes Domini Salvatoris Ecclesiæ non legunt, utentes Theodotionis editione: et hoc cur acciderit nescio.... Hoc unum affirmare possum, quod multum a veritate discordet (editio LXX) et recto judicio repudiata sit ». Ita S. Hieronymus, *Præfatio in Danielem*. Cfr. ipsius *Comment. in Dan.* IV, 6.

(2) Sic scribit S. Hieronymus post v. 90: « Hucusque [inde a v. 24] in Hebræo non habetur: et quæ posuimus, de Theodotionis editione translata sunt. » Similiter in fine cap. XII: « Hucusque Danielem in hebræo volumine legimus. Quæ sequuntur usque ad finem libri [capp. XIII et XIV], de Theodotionis editione translata sunt ».

(3) Hæc prior pars, paucis mutatis, legitur in Missa Sabatti Quatuor Temporum Adventus.

omnes creaturas, non tantum animatas et rationales, sed et inanimatas et irrationales ut suo modo Dominum Deum benedicant, laudent et superexaltent. Suo enim modo etiam irrationalia Deum laudant: « Omnis creatura non voce, sed *opere* laudat Dominum, quia ex creaturis consequenter Creator intelligitur et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur » (S. Hieronymus). Quam apta debebat esse in ore Israelitarum, in medio populorum idololatriæ deditorum, et quaslibet creaturas ut deos adorantium, hujusmodi confessio creationis et dependentiæ omnium omnino rerum a Deo.

Ordo autem est ut præmissa *generali invitatione* ad omnes creaturas, dein successive in medium adducantur singulæ creaturæ tribus categoriis: quæ in cœlo sunt (58-73), quæ in terra (74-81), et in specie ipsi homines (82-90).

A. Cœlestia, generatim saltem enumerat tali ordine ut procedat ab iis quæ in materiali constitutione mundi censentur occupare locum altiorem et sic quasi Deo propinquiores cogitantur, et continuo descendat usque dum ad terram deveniat.

Hinc primi citantur *Angeli* qui modo communi rem repræsentandi in altissimo cœlo ipsum Deum intuentur; succedunt ipsi *cœli* quibus insunt Angeli et corpora cœlestia; in limine cœli siderei obviæ habentur *aquæ omnes quæ super cœlos sunt*, i. e. quæ sunt super firmamentum (1); — *virtutes Domini,* quod respondet hebr.

---

(1) Hisce designantur aquæ pluviales quæ nubibus ad terram descendunt. Juxta modum quo Hebræi cosmogoniam concipiebant, firmamentum erat quasi tectum solidum super quod aquæ congregantur, tempore imbrium, quando cataractæ cœli seu aperturæ in dicto tecto aperirentur, descensuræ. Cfr. Gen. I, 7; VII, 11; Is., XXIV, 18. Idem modus concipiendi non paucis Patribus arrisit. — Patet in his minime errare Azariam cum sociis suis in cantico suo, sicut nec erravit Moyses in libro Geneseos: eorum enim mens minime fuit tradere notiones cosmogonicas. Hoc tantum est quod, ut congruum erat fieri, in *modo loquendi*, in modo quo exponunt ea quæ docere intendunt, sequuntur modum loquendi a suis coævis adhibitum.

sâbâ', et designat hic, non exercitum Angelorum, sed omnia corpora cœlestia simul sumpta, quæ quasi agmen instructum occupant firmamentum; et jam in specie enumerantur: *sol et luna* et *omnes stellæ et lumen.* — Jam descendendo infra firmamentum, invitantur *imber* seu pluvia *et ros* quæ de cœlo in terram decidunt; *spiritus* quoque, non quidem angeli, de quibus jam supra, sed *venti,* etc.

In vv. 64-70 haud facile est distinguere *quænam* et *quonam ordine* creaturæ enumerentur: tota enim pericopa apparet non parum inordinata. Etenim a/ plura vocabula *bis* leguntur, tum in LXX, tum apud Theodotionem, tum in Vulgata (1); jamvero sic non fuit textus a prima manu conscriptus: intentio enim auctoris est invitare *omnes* creaturas ad Deum laudandum, minime vero *bis easdem.* Præterea b/ occurrunt plures lectiones variantes in versionibus græcis (2). Et c/ ipse ordo quo creaturæ enumerantur non semper est idem (3). — Salvo meliori sic legi posse, juxta textum et ordinem qui fuerit primitivus (4), putamus.

64. Benedicite omnis imber et ros Domino.
65. omnes spiritus (venti).
66. ignis et æstus.
67-69. gelu et frigus.

---

(1) Ita in Vulgata bis leguntur: *ros* et *rores* (64 et 68), *æstus* (66 et 67), *frigus* (67 et 69); — apud Theodotionem: καῦμα (*æstus,* 66 et 69); — in LXX: δρόσος et δροσοι (*ros* et *rores,* 64 et 68); ψυχος (*frigus,* 67 et 69); — in cod. A versionis LXX insuper occurrunt καῦμα et καυσων (*æstus,* 66 et 67).

(2) Cfr. *The old Testament in Greek according to the Septuagint* (editio SWETE) quod refert utramque versionem — LXX et Theodotionis, — et singulæ notat præcipuas variantes.

(3) Sic versio Theodotionis vv. 71 et 72 legit post v. 66, imo omittit duos vv. (67 et 68) qui alibi leguntur, et sic v. 73 legit post 70.

(4) Quidquid censeas de cæteris partibus deuterocanonicis Danielis, dubium non videtur hoc canticum primitus exstitisse textu hebraico vel aramaico, textumque græcum quem referunt LXX et Theodotio esse ex tali textu translatum.

68. Benedicite (rores) (1) et pruina.
70. glacies et nives.
73. fulgura et nubes.
71. noctes et dies.
72. lux et tenebræ.

B. Terrestria. Iterum initium fit ab illis quæ situ materiali sunt aliis altiora: invitantur enim *montes et colles, universa germinantia in terra, fontes* qui e montibus prosiliunt. — Per hos fontes deducitur textus ad *maria et flumina* quæ ex illis oriuntur. — Et jam transiens ad animalia, jam ordine inverso ascendendo a minoribus ad majora, invitantur *cete et omnia quæ moventur in aquis, volucres cœli, bestiæ* feræ *et pecora* cicurata, et sic tandem *filii hominum* seu homines (2).

C. Homines. Ordine quo jam enumeravit animantia, pergit etiam hic auctor ascendendo ad eos homines qui Deo, in ordine morali sunt propinquiores, et sic enumerantur successive homines seu *filii hominum* in genere, — *Israel,* populus ex toto genere humano electus, — ex hoc populo illi qui Deo ipsiusque cultui speciali titulo sunt addicti, np. *sacerdotes Domini* et *servi* seu ministri inferiores (3) *Domini*, — *spiritus et animæ justorum* seu justi, qui spiritu et anima, totis np. viribus Deum laudare jubentur, — at præprimis illi justi seu *sancti* qui utpote *humiles,* i. e. miseri et afflicti, Deo sunt propinquiores aliis; — tandem ipsi se invitant *Ananias*, *Azarias* et *Misaël*, ob specialem protectionem qua a Deo donantur in afflictione sua.

---

(1) Non immerito suppones *ros* v. 64 et *rores* v. 68 esse translationem textus hebraici in quo duo vocabula diversa occurrebant, unum formæ singularis, alterum formæ pluralis, sed quæ quoad sensum plus minusve connexa erant. Translator græcus duplex vocabulum eodem vocabulo verterit. Cogita exempli gratia *nesi'im* (nebula, *brouillard, mist*) et *tâl* (ros, *rosée, dauw*).

(2) *Ordo* quem in his quæ sunt super terram sequitur auctor, fere coincidit cum ordine quo refertur omnium rerum *creatio,* in *Gen. I.*

(3) Nisi forte intelligendi sint hi *servi,* δοῦλοι, illi qui revera Deo inserviunt, fide et moribus suis, Dei adoratores.

III. Usus liturgicus.

Omnium quidem creaturarum finis ultimus est glorificare Deum, ast modo suæ naturæ proportionato. Creaturis quidem *irrationalibus* competit glorificatio Dei quæ dicitur *materialis,* quatenus np. ipsa sua existentia et perfectionibus suis manifestant perfectiones Dei, virtutem, gloriam et benignitatem quarum sunt imitatio. Creaturis *rationalibus* competit insuper glorificatio *formalis* qua actibus naturæ suæ rationali proportionatis, actibus np. intellectus et voluntatis, Deum glorificent, Ipsum cognoscendo et amando. Entis rationalis est, quasi regis creationis et intermedii inter cæteras creaturas et ipsum Creatorem, voce intelligibili et rationali, ad Creatorem deferre laudes universæ creaturæ. — Unde merito homo, natura duce et præeuntibus sacris libris, in Dei laudatione sibi *omnes creaturas* quasi socias adjungit, iisque omnibus vocem tribuit qua secum laudes Deo exprimant. — Cæterum tali compellatione omnium creaturarum apte exprimitur et augetur *magnitudo affectuum.*

Hæc potiori titulo applicabis iis qui, titulo vocationis, constituti sunt ut nomine ipsorum hominum, quasi intermedii inter reliquum *genus humanum* et Deum, ad Deum deferant laudes hominum totiusque creationis. Quod iterum quanto jure competit iis qui nomine *gentis electæ*, qualis sub vetere Testamento erat *Israel*, sub Novo vero societas supernaturalis *Ecclesiæ*, Deo laudes deferant.

A. In Vetere Testamento extra præsentem locum (Dan. III) non occurrit canticum nostrum; attamen non immerito, ut videtur, quidam (1) autumant hoc canticum (51-90) sicut et orationem Azariæ (24-45), pertinuisse ad formularium aliquod liturgicum. Textus sane minime asserit tres pueros ipsos composuisse et

(1) Ita Fabre d'Envieu, *Le Livre du prophète Daniel,* t. II, I p., p. 264 et 272.

redegisse canticum, sed contra eos exhibet « quasi *ex uno ore* laudantes Deum » ; unde, ex ipsa mente scriptoris sacri, *memoriter* canticum hoc tenebant, et ex memoria illud in gratiarum actionem Deo decantaverunt. Cæterum ipsa forma cantici, supra exposita, melius omnino explicatur si dicimus ipsum prius revera exstitisse in usu liturgico, independenter a factis quæ in libro Danielis referuntur.

Canticum habet magnam similitudinem cum nostris litaniis, quatenus singulæ invitationi adjungitur eadem repetita invitatio : *Laudate et superexaltate eum in sæcula.* Quare omnino aptum esse debebat quod alternando ab uno alterove præcentore et a choro populi recitaretur. Huic cantico hac in re similis est omnino psalmus CXXXV, ubi singulo v. repetitur formula : *Quoniam in æternum misericordia ejus* (1).

B. In Novo Testamento. — Misso hujus cantici usu antiquo, — etenim vixnon a primis temporibus christianismi in usu liturgico apparet (2), tum in Missa tum in officio matutino, sub nomine *Benedictionis* vel *Benedictionum*, — hodie occurrit (3):

a/ In *laudibus* diei *dominicæ,* et inde etiam aliorum

---

(1) Quod in specie hunc psalmum spectat, revera dubium non est ipsum fuisse compositum ut per modum litaniarum decantaretur a populo. Quam frequenter hæc formula occurrit, conclamata a ministris sacris vel ab integro populo. Cfr. I Par. XVI, 34, 41 ; II Par. V, 13 ; VII, 3, 6 ; XX, 21 ; I Esd. III, 11 ; Judith, XIII, 21 ; Ps. CV, 1 ; CVI, 1 ; CXVII, 1-4, 29 ; CXXXV, 1-26 ; Jerem. XXXIII, 11 ; Dan. III, 89-90 ; I Mach. IV, 24.

(2) Cfr. *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* v° *Benedicite* et *Cantiques* (Cabrol). — Jam Rufinus, in *IIa Apol.:* « Trium puerorum hymnus qui maxime diebus solemnibus in Ecclesia canitur... Et omnis Ecclesia per orbem terrarum, sive eorum qui in corpore sunt, sive eorum qui ad Dominum perrexerunt, seu etiam sancti Martyres quicumque, hymnum trium puerorum in Ecclesia Domini cecinerunt ».

(3) Præter duo loca in textu indicanda, recitatur etiam in *exsequiis parvulorum,* quando Sacerdos ad Ecclesiam redit. Recitatur autem qua gratiarum actio in Deum qui dignatus est hunc puerum in numerum suorum electorum aggregare.

festorum quorum officium fuit magna ex parte secundum officium dominicæ compositum. Et apte quidem; quum die dominicâ recolamus memoriam incœptæ creationis, adeoque congrue creaturas universas Deum Creatorem suum laudare jubemus (1).

Ex hoc cantico non raro desumpta est quarta antiphona Laudum, quæ inde sæpe etiam in Vesperas transiit. — In ipso autem cantico omittitur invocatio: *laudate et superexaltate eum in sæcula,* exceptis invitatione prima generali, et ultima ad ipsos juvenes, item duplici intermedia ubi de creatura agitur in singulari: *terra*, et *Israel.* — In fine autem additur, quemadmodum in aliis psalmis obtinet doxologia SS. Trinitatis, etsi hic longior: *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in sæcula* (2), et tandem benedictio quæ fere eadem occurrit Dan. III, 56: *Benedictus es (Domine) in firmamento cœli; et laudabilis, et gloriosus (et superexaltatus) in sæcula.*

b/ *Immediate post missam* recitatur a sacerdote, et aptissime sane, quasi sacerdos, conscius propriæ suæ insufficientiæ qui Deo laudes aptas et gratias debitas persolvat, creaturas universas in auxilium vocat. Cæterum sacrificium Missæ, oblatum a Christo, capite totius generis humani regenerati et regenerandi, nonne est supremus actus latriæ, se solo, infinita eminentia, continens et exprimens laudes omnium hominum et ulterius universæ creationis? Quam apte ergo sacerdos cantico *Benedicite* Deo offert et exprimit laudes universæ creationis hoc uno sacrificio eminenter contentas.

A. Vander Heeren.

---

(1) Quærit Cabrol, *l. c.*, nonne forte primitus canticum fuerit adhibitum in officio Paschatis (et inde in Dominicis), in memoriam Resurrectionis Christi: sicut enim tres pueri igne non perierunt nec eorum corpora igne fuerunt destructa, ita et Christus illæsus mortem ipsam redivivus evasit.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 481.

II

Q. *Explica hoc assertum: unio Verbi incarnati facta est* non in natura, *sed* in persona.

R. Ex divina Revelatione cognosci supponimus Christum esse et verum hominem et verum Deum, proinde unam esse personam in duabus naturis inconfuse manentibus subsistentem (1).

Idem dogma ulterius explicatur et philosophice exprimitur hac S. Thomæ sententia: unio Verbi incarnati facta est *non in natura*, sed *in persona* (2).

Quam ut intelligamus, definiamus imprimis oportet quid per terminos prædictos significetur, deinde exposita ad unionem Verbi incarnati applicemus.

I

1. Nomine « natura » hîc significatur formaliter: essentia rei seu res prout in sua specie constituitur.

Nomine « persona » hîc significatur formaliter: individuum subsistens in natura intellectuali.

2. Porro *unio in natura* est unio quæ terminatur ad ipsam naturam ut sic, est nempe duorum vel plurium talis conjunctio ut ex hac constituatur essentia vel integritas speciei.

In naturis autem corporalibus duplex distingui potest integritas speciei, nempe integritas *essentialis*, quæ ipsas partes essentiæ metaphysicæ spectat, et integritas *quantitativa*, quæ partes quantitativas spectat in quibus essentia verificatur (3).

---

(1) Hoc definitum est in Concilio Chalcedonensi (an. 451): cf. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, Edit. 11ª, 1911, n. 148.

(2) Cf. In III, Dist. V, q. 1, a. 2 et 3; *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 41; *Summa theologica*, 3, q. 2, a. 1 et 2; *Compendium theologiæ*, c. 206 et 211. — Idem quoad rem docet S. BONAVENTURA, in III, dist. VI, a. 2, q. 1 (Edit. Ad claras Aquas, t. III, p. 158).

(3) Ita FERRARIENSIS, in *Summam contra Gentiles*, L. IV, c. 41.

Ita v. gr. in homine, materia prima et anima rationalis uniuntur in natura et constituunt *essentialem* integritatem speciei humanæ; manus vero et pedes, quæ etiam uniuntur in natura, pertinent ad integritatem *quantitativam* speciei. Si vero homo quidam ad manum haberet sextum digitum, hic digitus non uniretur in natura, quia nec ad essentialem, nec ad quantitativam integritatem speciei humanæ pertinet (1).

S. Thomas triplicem unionis modum distinguit (2).

a/ Uno modo fit aliquid unum ex duobus vel pluribus *in se integris* et, post unionem, *non transmutatis*, sed remanentibus in sua integritate: hæc unio, non est nisi unio *accidentalis*, quatenus nempe duo vel plura *supposita* uniuntur vel per meram aggregationem, vel secundum ordinem vel secundum figuram: v. gr. ex lapidibus et lignis secundum ordinem aliquem dispositis fit domus (3). Talis unio accidentalis non est, proprie loquendo, *unio in natura,* nempe unio in natura seu essentia *physica,* quæ est una *per se;* sed ex prædicta unione fit unum *per accidens,* quod est natura rei *artificiatæ.* « Talium forma non est natura, sed magis ars, sicut est forma domus » (4).

b/ Alio modo fit aliquid unum *ex perfectis*, sed *transmutatis:* quatenus nempe elementa, ante unionem in se integra et perfecta, in ipsa unione immutantur et sic aliquid novi constituunt: talis est unio corporum in aliquo mixto chimico, nempe in corpore constituto mixtione perfecta corporum specie diversorum (5).

c/ Tertio modo fit aliquid ex aliquibus *non transmutatis,* sed *imperfectis:* nempe ex elementis quæ ut *partes* se habent et distincte remanent in composito, quod est *totum:* talis est unio animæ et materiæ in homine.

---

(1) Cf. S. Thomas, *Summa contra Gentiles,* L. IV, c. 41.

(2) 3, q. 2, a. 1.

(3) Ad idem genus unionis pertinet aggregatio lapidum constituentium acervum lapidum; etiam unio corporum in *mixtionibus imperfectis.* Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 323.

(4) S. Thomas, l. c.

(5) Cf. De Jaegher, *o. c.,* l. c.

3. *Unio in persona* est omnis conjunctio physica qua aliquid unitur *intrinsece* ad individuum subsistens in natura intellectuali, sive id quod unitur personæ pertineat ad naturam ejus, sive non: ita accidentia, puta scientia, in homine uniuntur in persona. Quapropter unio in persona non est talis ut ex ea *constituatur persona,* sed dicitur de omni conjunctione quo aliquid inhæret individuo constituto.

Cajetanus tres indicat modos secundum quos habetur unio in persona: « Recolendum est quod alicui personæ quatuor attribuuntur: primo, exstrinseca, ut vestis et locus, secundo, inhærentia, ut albedo et hujusmodi; tertio, partes ut manus et reliqua membra; quarto, essentia ipsa, etiam singularis, ut hæc humanitas. Habet enim Socrates vestem, albedinem, manum et hanc humanitatem. Sed primum horum non est unitum Socrati in persona: quia constat aliud esse suppositum vestis, et aliud suppositum personæ vestitæ illa veste; suppositum enim vestis est substantia panni, non homo qui vestitur. Reliqua vero tria uniuntur Socrati in persona: nam subjectum accidentium Socratis est ipse Socrates; et similiter Socrates est qui integratur ex suis membris; et qui constituitur in suo esse specifico individuato per hanc suam humanitatem » (1).

II

Ad unionem Verbi cum humana natura quod attinet:

1. Hæc unio *non* est *in natura*. Revelatione enim divina cognoscimus Verbum esse hominem, seu secundam Personam SS. Trinitatis, quæ est perfecte Deus et proinde integram habet essentiam seu naturam divinam, esse etiam perfecte hominem et proinde integram habere essentiam seu naturam humanam, ita ut, unione peracta, duæ essentiæ permaneant integræ et inconfusæ seu distinctæ (2): quum igitur *duæ* sint naturæ integræ

(1) In 3, q. 2. a. 2. Deinde explicat Cajetanus quomodo sit magna diversitas inter tres modos unionis in persona.

(2) Si in Christo non essent duæ essentiæ perfectæ seu integræ et plane

et inconfusæ manentes, non datur unio *in natura,* non enim natura nova exsurgit prædicta unione.

S. Thomas (1) explicite ostendit quomodo Verbi Incarnatio, qualis ex Revelatione cognoscitur, nequeat verificari in uno ex tribus modis unionis qui suprà indicati sunt ad elucidandam unionem in natura.

a/ Nequit esse unio *accidentalis:* quia in hac hypothesi, Verbum non *esset* homo, sed habitaret in homine: tunc enim humana natura singularis, quæ assumitur, esset ipsa hypostasis seu persona et impossibile est ut una hypostasis *sit* alia.

b/ Nequit esse unio ex *perfectis* et *transmutatis:* quia natura divina est prorsus immutabilis.

c/ Nequit esse unio ex *imperfectis* seu *partibus, non transmutatis:* « primo quidem, quia utraque natura est secundum rationem suam perfecta, divina scilicet et humana. Secundo, quia natura divina et humana non possunt constituere aliquid per modum partium quantitativarum, sicut membra constituunt corpus, quia natura divina est incorporea; neque per modum formæ et materiæ, quia divina natura non potest esse forma alicujus, præsertim corporei... Tertio, quia Christus non esset humanæ naturæ, neque divinæ naturæ. Differentia enim addita [naturæ seu essentiæ] variat speciem ».

2. Remanet igitur ut unio sit *in persona,* quatenus scilicet Personæ divinæ, prorsus immutabiliter permanenti, jungatur humana natura singularis, ita quidem ut Verbum ab æterno subsistens in natura divina, incarnatione facta, sit etiam in humana natura subsistens, quæ utique non est ipsa hypostasis seu persona. Si hæc esset ipsa etiam persona, tunc non esset unio in persona, sed duæ essent personæ, accidentaliter unitæ.

3. Ex dictis concluditur sententia, quam exposuimus, rejici duas fundamentales hæreses oppositas dogmati de Incarnatione Verbi.

---

inconfusæ, Christus non esset perfecte Deus et perfecte homo, non esset ejusdem naturæ cum patre, nec cum matre.

(1) 3, q. 2, a. 1.

Dicendo: unio Verbi Incarnati *non in natura* est facta, rejicitur hæresis Eutychetis (1) qui tenebat aliquam mixtionem vel fusionem fieri ex natura divina et humana in Christo; rejicitur etiam antiquior hæresis Arii et Apollinaris (2) dicentium in humana natura Christi non esse animam rationalem sed loco ejus esse ipsum Verbum: ita negabatur integritas humanæ naturæ et asserebatur quædam compositio ex divina et humana natura.

Dicendo: unio Verbi Incarnati facta est *in persona*, rejicitur hæresis Nestorii asserentis *duas* esse in Christo hypostases vel personas et consequenter ac logice negantis Mariam esse matrem Dei. Ubi duæ sunt personæ, non potest esse unio in persona; sicut etiam ubi duæ sunt naturæ integræ et perfectæ manentes non datur unio in natura.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Quid sunt* sacramentalia? *Da notionem et species indica* (3).

R. **Notio.** Sacramentalia sunt *res quædam sacræ vel*

---

(1) Cf. Lebon, *Le Monophysisme sévérien*, Louvain, 1909, p. 489 ss.

(2) Cf. Voisin, *L'Apollinarisme*, Louvain, 1901.

(3) Circa hoc et sequens responsum consuli possunt Franz, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, Freiburg i. B., 1909, I, pp. 8-42; Probst, *Sakramente und Sakramentalien in den drei ersten christl. Jahrhunderten*, Tübingen, 1872, pp. 16-96; Schmid, *Die Sakramentalien der katholischen Kirche in ihrer Eigenart beleuchtet*, Brixen, 1906, coll. *Zeitschr. f. kath. Theol.*, 1898, pp. 121-127; Schanz, *Die Lehre von den hl. Sacramenten der kath. Kirche*, Freiburg i. B., 1893, pp. 76-89; *Kirchenlexicon*, X, v° *Sacramentalien* (Lehmkuhl), coll. 1469-1475; *Dictionnaire de Théologie catholique*, v° *Bénédiction* (Mangenot), coll. 629-639; *Dictionnaire d'Archéologie et de Liturgie*, v° *Bénédiction*, coll. 670-684; Van Noort, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, nn. 152-158; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, III, Paderborn, 1906, pp. 61-64; Heinrich-Gutberlet, *Dogmatische Theologie*, IX, Mainz, 1901, pp. 44-59; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, VI, Friburgi Brisg., 1908, nn. 328-345; Sasse, *Institutiones theologicæ de sacramentis Ecclesiæ*, I, Friburgi Brisg., 1897, pp. 191-195.

ritus sacri, ab Ecclesia instituta et extra vel infra sacramentorum administrationem adhibita, quæ ex Ecclesiæ interventione virtutem habent, a dispositione subjectiva fidelium independentem, vel deputandi personam seu objectum cultui divino, vel procurandi varia beneficia et auxilia, tam spiritualia quam temporalia.

Explicatio.

1° Vocantur *sacramentalia* ut innotescat ex una parte differentia, et ex alia parte analogia cum sacramentis, quippe cum quibus conveniunt non parum in modo operandi, signanter quoad independentiam a dispositione subjectiva fidelium (1).

2° Ex notione data, a censu sacramentalium excluduntur ritus illi aut res *merè cœremoniales,* quæ unicè inserviunt ad ornamentum et ad reverentiam conciliandam sacramentis aut missæ sacrificio, eorumque efficaciam significandam; dicantur cœremoniæ potius quam sacramentalia.

Ita v. gr. vestis candida, quæ in solemni Baptismi ministratione imponitur, cujus unicum officium et solus effectus est ornamento esse sacramento ac ostendere animæ puritatem per Baptismum inductam. Idem valet de paramentis sacris, in reverentiam sacramentorum vel missæ sacrificii adhibendis.

Dicitur ritus aut res *mere cœremoniales:* quia non pauci dantur ritus aliave signa, quæ simul ac adhibentur ut cœremoniæ in sacramentis, simul etiam sunt sacramentalia, in quibus verificatur notio proposita ac quibus competit virtus specialis sacramentalibus propria. Ita formulæ exorcismi, benedictiones et orationes, occasione sacramentorum administrationis, peractæ.

---

(1) Distinctio nitida inter sacramenta et sacramentalia, eaque proprio nomine designata, prima vice occurrere videtur apud Guilielmum ab Alverna († 1249), in priori parte sæculi XIII. Eousque sacramentalia juxta sacramenta enumerabantur, absque nominis distinctione; et, ubi distinctio incœpit fieri, alia dicebantur sacramenta principaliora, alia sacramenta minora. Cf. Fraňz, o. c., I, p. 9-11. collatis dictis apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 643 s.

3° Dicuntur *ab Ecclesia instituta.* Equidem elementa nonnulla quibus constant sacramentalia, proveniunt a Christo ab Eoque fuerunt usurpata; sed ab Ecclesia, non a Christo, acceperunt suam rationem stabilis instituti ac determinationem effectus proprii (1).

4° *Virtus* quam habent proximè derivatur *ab Ecclesia,* a qua existentiam mutuantur et cujus nomine adhibentur; et ideo sacramentalia suum proprium effectum exerunt *independenter a dispositione subjectiva uniuscujusque fidelium,* sacramentale ministrantium vel suscipientium.

Quænam et qualis sit illa virtus et quomodo effectum operetur, describetur in responso ad IV^m Quæstionem.

5° *Effectus proprii* sacramentalium reducuntur ad hosce duos:

Primus effectus est deputare peculiari titulo personam aliquam vel objectum quoddam ad cultum divinum: ad hoc scil. ut persona exerceat functiones sacras, vel ut in illa re functiones sacræ peragantur, aut saltem ut usui profano subtrahatur.

Ita ritus consecrationis vel benedictionis ecclesiæ, oratorii, campanæ, calicis, paramentorum; ritus benedictionis abbatis, ritus instituendi clericum, conferendi ordines minores, in hypothesi quod hi ordines non sunt sacramenta: uno verbo omnes *ritus consecratorii* et *benedictiones,* quas vocant, *constitutivæ.*

Alter effectus (vel effectuum series) est in adeptione variorum beneficiorum et auxiliorum. Horum alia sunt *spiritualia,* quales gratiæ actuales, inspirationes piæ, illustrationes mentis et robur voluntatis ad opera salutaria, boni affectus, motus pœnitentiæ, expulsio dæmonis ac præservatio ab ejus fraudibus, et ita porro; a quorum donorum serie excluditur donum gratiæ sanctificantis, ad quam non terminantur sacramentalia ut ad effectum proprium, sed ad quam mediatè tantùm conferunt,

(1) Cf. SCHANZ, *o. c.*, p. 79.

mediante scil. motu pœnitentiæ et contritionis. Alia sunt *temporalia,* nempe sanitas corporis, immunitas a periculis in vita vel in bonis, speciatim a maleficiis, a morsu animalium, a fulgure et tempestate, a peste, fame et bello et ita deinceps.

Huc spectant a/ *benedictiones invocativæ et orationes,* quibus Ecclesiæ nomine benedictio divina invocatur ad beneficium peculiare impetrandum; huc spectant b/ varia *objecta benedicta,* uti panes benedicti in honorem sancti Huberti, eulogiæ, palmæ benedictæ, aqua benedicta, agnus Dei, numismata, quorum usui connectuntur varia beneficia et auxilia in ordine spirituali et temporali; item cineres, quorum usus dirigitur ad excitandos motus pœnitentiæ; huc tandem referuntur c/ *exorcismi* ad expellendos dæmones a personis et animalibus possessis, vel ab objectis sortilegio infectis.

6° Ex præhabitis possunt sacramentalia *in quadruplicem speciem dividi:* vel sunt a/ ritus consecratorii seu benedictiones constitutivæ; b/ orationes (nomine Ecclesiæ profusæ) seu benedictiones invocativæ; c/ exorcismi et d/ objecta benedicta horumque usus (1).

Sedulò autem nota hasce descriptas sacramentalium species *inadæquate distingui.* Ita *benedictio constitutiva* non raro *simul* est *invocativa:* ritus v. gr. benedictionis super agnus Dei, dum hoc objectum constituit in ordine rei sacræ, cultui divino dicatæ ac usui profano sub-

(1) Non sunt ad rem sacramentalium classificationes vulgatæ. *Una series* completur hac formula: « orans, tinctus (aquæ benedictæ aspersio), edens (panes benedicti), confessus (confessio ritualis), dans (eleemosyna), benedicens »; *altera series* hæc habet: « crux (crucis signum), aqua, nomen (invocatio nominis Jesu), edens, unguens (unctio cum oleo benedicto), jurans (exorcimus), benedicens ». Utraque autem series ex una parte est incompleta et ex altera parte enumerat elementa quibus sacramentalium notio et natura non convenit. Ita oratio dominica, quam præ cæteris designat ly *orans,* eleemosyna, invocatio nominis Jesu, non constituunt actiones nomine et auctoritate Ecclesiæ peragendas, ex ejusque interventione specialem virtutem mutuantes, a dispositione subjectiva orantis aut dantis independentem: unde desideratur analogia cum sacramentis.

tractæ, simul efficit ut illius rei debita usurpatio proficiat in bonum et utilitatem illum adhibentium; idem valet de benedictione aquæ, necnon de consecratione seu benedictione ecclesiæ aut oratorii, in qua, simul ac per eam templa cultui divino deputantur, postulatur ut loca illa ingredientes in illisque orantes exaudiantur; item ritus benedictionis abbatis, ritus collationis ordinum minorum, præterquam quod inducunt peculiarem deputationem ad sacra, etiam in illis efflagitantur gratia actualis vel speciale auxilium a Deo obtinendum, ad hoc ut abbates benedicti, ad ordines promoti ritè fungantur officio suo (1). Contrà dantur consecrationes et benedictiones constitutivæ quæ non sunt invocativæ, puta consecratio calicis, benedictio paramentorum; dantur etiam benedictiones quæ invocativæ sunt tantùm, uti benedictiones domus privatæ, alimentorum et animalium.

IV

Q. *Describe* efficaciam *quæ sacramentalibus generatim competit.*

R. *Prænota. Efficacia* alicujus rei importat duo: *effectus* quem producit et *modus operandi.* Effectus generatim sunt descripti in præcedenti responso; non manet hic agendum nisi de modo operandi qui competit sacramentalibus. Abstrahimus autem ab efficacia, omni operi bono communi, quæ inest devotæ sacramentalium ministrationi vel usurpationi, ex opere operantis ministri

(1) Idem dici posset de *exorcismis:* presse sumpti non sunt ritus invocativi, sed imperativi, quibus Ecclesia auctoritative imperat et jubet ut recedat satanas, miscentur autem illis ritibus formulæ invocativæ, quibus exorcista, nomine Ecclesiæ, suppliciter orat ut Deus dignetur expellere dæmonem: hæ formulæ non pertinent ad speciem exorcismi stricte dicti, sed referuntur ad speciem orationis et benedictionis invocativæ; cæterùm Ecclesia, in ordinariis adjunctis et extra casum diabolicæ possessionis, sæpe sæpius dirigit suas orationes et benedictiones invocativas contra dæmoniacos incursus ac satanicas fraudes, quemadmodum contingit v. gr. in benedictione aquæ.

vel subjecti, puta personæ benedictæ aut objecto benedicto utentis.

Quibus prænotatis, en quæ statui posse videntur:

1° **Ritus consecratorii, vel benedictiones constitutivæ,** suum effectum proprium, descriptam nempe deputationem ad sacra, operantur *ex opere operato:* inducunt namque dictam entitatem ordinis intentionalis independenter a dispositione subjectiva ministri vel subjecti, et simul causaliter, idque tanquam causæ efficientes exequentes, infallibiliter effectum suum consequentes.

Hæc causalitas sacramentalium instrumentalis est, ac in illa derivatur virtus causativa a principali agente Ecclesia, cujus nomine et auctoritate adhibentur: Ecclesia scil. habet potestatem deputandi personas vel objecta ad cultum divinum, adeoque potest virtutem illam adnectere ritibus ab Ipsa institutis ejusque nomine usurpandis.

Dictis proinde sacramentalibus eumdem agnoscimus *operandi modum* qui competit sacramentis respectu dispositionis præviæ seu rei et sacramenti, hac salva differentia quod, juxta modò dicta, virtus causalis derivetur, non immediatè a Christo, sed ab Ecclesia. Sedulò autem nota magnum inter sacramenta et sacramentalia hæc intercedere discrimen *ex parte effectus:* entitas intentionalis quam inducunt sacramenta, constituit titulum exigitivum gratiæ sanctificantis, ad modum quo causa materialis exigit inductionem formæ, ac proinde sacramenta existunt veræ causæ gratiæ sanctificantis; contrà sacramentalia causant quidem illam deputationem ad sacra, sed ulterius nihil, nec in illa deputatione ulla habetur exigentia gratiæ. Ita in hypothesi quod ordines minores non sint adnumerandi sacramentis, ritus illorum inducunt deputationem ad sacras quasdam functiones, eodem modo ac sacramentum Ordinis; sed deputatio illa per sacramentale inducta ulterius non dicit exigentiam ad gratiam sanctificantem, benè vero deputatio quam inducit sacramentum.

2° **Orationes et benedictiones invocativæ** producunt

effectus sibi proprios causaliter simul et independenter a dispositione subjectiva personæ orantis seu benedicentis et personæ benedictæ.

Nimirum a/ oratio vel benedictio, nomine Ecclesiæ peracta, *positivum ac causalem influxum exercet*, Deum movendo ut varia beneficia concedat: existunt scil., respectu donorum quæ nobis obtinentur, *causæ imperantes*, ut vocantur, seu impetrantes, quatenus in illis et per illas Ecclesia suppliciter intercedit coram Deo, Eumque movet ut, intuitu dilectæ sponsæ Christi, dignetur dona postulata elargiri.

b/ Influxum illum exercent *independenter a dispositione subjecti*, in cujus gratiam dona flagitantur, necnon *ministri* orantis seu benedicentis, idque ideo præcise quia efficacia quam exercent procedit ab Ecclesia, cujus auctoritate ministrantur. Utique potest adesse obex in subjecto, quatenus ejus indispositio obstet consecutioni beneficii spiritualis aut gratiæ actualis, quæ postulantur, vel quatenus donum temporale noceret saluti æternæ, adeoque ex hoc titulo possunt requiri quædam dispositiones in subjecto; sed non requiruntur nisi tanquam conditiones sine quibus non, tanquam removentes prohibens.

Quibus attentis posset dici præfatas orationes et benedictiones invocativas operari suum effectum ex opere operato, siquidem obtinent duo elementa quæ passim requiruntur ad operationem ex opere operato, independentia nempe a dispositione subjectiva ministri vel subjecti et influxus causalis (1). Equidem causalitas dictis sacramentalibus propria, est causalitas causæ *imperantis*, eaque talis quæ nonnisi *fallibiliter* effectum

(1) Profectò efficacia illa, *relate ad Ecclesiam*, est ex opere operantis; ast *relate ad nos* — et sub hoc respectu est attendenda — est ex opere operato. Neque dicatur preces illas et benedictiones non habere virtutem nisi in quantum exhibent supplicem actum Ecclesiæ; etiam sacramenta non operantur gratiam nisi in quantum actiones sunt Christi, Ejusque imperium deferunt.

suum consequatur, et hoc sensu est causalitas admodùm diversa a causalitate sacramentorum; exercent nihilominus verum influxum causalem.

Ex alia tamen parte, cum operatio ex opere operato soleat strictius urgeri et soli applicari causæ effectum suum infallibiliter obtinenti, imo et soli causæ exequenti, qualis existit sacramentum, non juvat simpliciter et absolutè dicere orationes et benedictiones invocativas operari ex opere operato.

Cæteroquin, etiamsi hæc sacramentalia dicerentur operari ex opere operato, descriptæ differentiæ *in ipsorum operandi modo*, respectu modi operandi sacramentis proprii, accedit inter sacramenta et dicta sacramentalia, non leve discrimen, jam invocatum sub 1°, *ratione effectus:* sacramenta enim ex opere operato operantur gratiam sanctificantem, sacramentalium vero efficacia terminatur ad varia beneficia et auxilia temporalia vel spiritualia, ad quasdam etiam gratias actuales, non autem pertingit ad gratiam sanctificantem, nisi mediatè tantum, uti jam notavimus in præcedenti responso: quatenus scil., virtute illorum sacramentalium, in nobis excitentur motus pœnitentiæ et contritionis, quibus ex opere operantis ad justificationem pertingamus.

3° **Objecta benedicta,** puta aqua benedicta, panes S. Huberti etc., nobis eis utentibus, varia dona et bona procurant, secluso obice ad illa, idque *independenter a nostra dispositione subjectiva*, sed non conducunt ad illorum beneficiorum adeptionem *nisi occasionaliter tantùm*, hàc scil. ratione: posita conditione quod illis objectis utamur modo ab Ecclesia probato, preces super illis nomine Ecclesiæ prolatæ, benedictiones super illis impertitæ, virtutem suam impetrativam exerunt, ad normam sub 2° propositam, ut nobis (fallibiliter) obtineantur effectus, ad quos obtinendos sunt institutæ et olim fuerunt prolatæ dictæ orationes et benedictiones.

4° **Exorcismi,** a ministro, Ecclesiæ nomine, adhibiti,

effectum proprium, ejectionem scil. dæmonis producunt, *independenter a dispositione ministri vel subjecti* et simul *causaliter;* natura autem causalitatis videtur non esse talis quæ tantùm moveat Deum, ad instar causæ impetratoriæ, ut dæmonem expellat, sed talis quæ directe agat in dæmonem ejiciendum, ad modum causæ exequentis, idque vi potestatis quam Ecclesia a Christo accepit in dæmones; non tamen contendimus quod potestas accepta fuerit absoluta et perfecta, adeo ut efficacia exorcismi sit infallibilis.

Nota. 1° Ex præhabitis liquet sacramentalia nullatenus esse æquiparanda sacramentis: pleraque a sacramentis multùm discrepant tum in modo operandi (non obstante quadam analogia), tum in effectu; illa autem quæ in operandi ratione cum sacramentis conveniunt, ab eis differunt saltem effectu: vidimus namque a nullo sacramentali, ut effectum proprium, produci gratiam sanctificantem, cujus causæ existunt sacramenta.

Unde inepte HARNACK, *Dogmengeschichte*, III, 1897, p. 633 s., in nota, contendit Ecclesiam tot nova voluisse creare sacramenta quot sacramentalia.

2° Ineptius adhuc idem Auctor *(ibidem)* Ecclesiæ exprobrat usum sacramentalium, quasi esset « ein wahrer Hohn, nicht nur auf die christliche, sondern auf jede geistige Religion ». In sacramentalibus eorumque efficacia, seclusa omni exaggeratione et superstitione, nihil est religione catholica indignum; contrà aptissima sunt ut homines, conformiter ad naturam suam, per visibilia ad invisibilia ducant, ut sensum religiosum in quotidianæ vitæ praxi continuò excitent ac renovent, nosque doceant vivido modo omnia ad Deum referre, a quo omne donum optimum (1).

A. DE SMET.

---

(1) Cf. hic HEINRICH-GUTBERLET, o. c., IX, p. 58 s.; POHLE, o. c., p. 62, et præ cæteris FRANZ, o. c., I, p. 42 et p. 38 s., quo altero loco ostendit quomodo sacramentalium usus, in medio præsertim ævo, totam vitam fidelium pervaderet ac varias actiones vitæ domesticæ et publicæ successive sanctificaret.

V

Q. *Quelles circonstances favorisèrent l'éclosion et le développement des hérésies durant la seconde période du moyen âge (1073-1294)?*

R. Il peut paraître surprenant que la propagation de nombreuses hérésies coïncide précisément avec l'apogée de l'Église au XIIe siècle ; mais ce fait s'explique, si on considère exactement la situation d'alors ; c'est cette explication que nous voudrions fournir dans la réponse à la question posée. Nous indiquerons d'abord la nature des hérésies, afin de faire mieux saisir l'influence qu'elles subirent de la part des circonstances, que nous signalons ensuite (1).

I. **Caractères généraux des hérésies de la 2de période du moyen âge.**

Un élément se retrouve dans toutes les sectes, dont nous nous occupons : une sorte de pessimisme général, qui tend à donner au mal un caractère absolu, ou du moins à montrer le mal qui existe dans le monde, et surtout dans l'Église, aussi noir que possible. Aussi bien, l'hérésie de ces temps ne se bornait pas à fausser quelques vérités spéculatives de la foi, elle était en même temps suivie d'une révolte contre l'Église extérieure et l'ordre établi, ou se rapportait principalement à la doctrine des Sacrements et de la constitution de l'Église (2). On peut ramener les nombreuses sectes, mystérieuses et mal connues, à trois groupes (3) :

1/ les *enthousiastes :* parmi ceux-ci les uns, tels Tanchelm et ses adhérents dans nos provinces, étaient

---

(1) Voir HERGENRÖTHER-KIRSCH, t. II, p. 518 ; MARX, *Kirchengeschichte*, Trier, 1906, p. 425 ; KNÖPFLER, *Lehrbuch der Kirchengeschichte*, Freiburg i/B, 1902, p. 401.

(2) SCHWANE-DEGERT, *Histoire des Dogmes*, 2e éd., Paris, Beauchesne, 1903, t. V, p. 264.

(3) MARX, *l. c.*

adonnés à un fanatisme grossier et ne s'occupaient qu'à renverser l'ordre établi ; d'autres, à l'instar des Montanistes, rêvaient d'une nouvelle révélation et d'un nouveau règne de Dieu à fonder, ou prétendaient ramener l'Église à la simplicité de l'âge apostolique ;

2/ les hérésies *rationalistes* et *panthéistes*, représentées d'abord par quelques savants isolés, mais reçues et développées par leurs disciples, qui en firent la base d'un faux mysticisme ;

3/ les tendances *manichéennes* et *judaïco-ébionites*, dont les premières surtout, dans la secte des Albigeois, eurent une vogue considérable.

L'Église, on le voit, eut de nouveau à combattre les hérésies qu'elle avait vaincues aux premiers siècles.

II. **Circonstances favorables à l'hérésie.**

Multiples sont les circonstances qui favorisèrent l'éclosion et le développement de ces doctrines erronées ; en dehors des causes générales qui enfantent les sectes, on peut les ramener aux circonstances particulières suivantes :

1/ La répulsion qu'inspiraient les richesses de l'Église et le luxe d'un clergé trop souvent encore oublieux de ses plus saints devoirs, malgré le travail de réforme déjà accompli (1).

La féodalité, en enrichissant l'Église, l'avait également asservie ; on connaît les abus dont la chrétienté souffrait avant Grégoire VII et les nobles efforts tentés par ce pape et ses successeurs pour améliorer les mœurs, libérer la vie ecclésiastique des chaînes du pouvoir civil, arracher le clergé au concubinage et à la simonie. Seulement le mal ne fut pas enrayé de si tôt, et la fièvre religieuse aidant, le pessimisme dont nous parlions plus haut, trouva dans les désordres encore existants autant

(1) Cfr. Hurter, *Hist. d'Innocent III*, Bruxelles 1839, t. II, p. 269 ss. ; Vacandard, *Les origines de l'hérésie albigeoise* (Rev. des Questions histor. 1894, t. LV), p 66 ss. ; Kurth, *L'Église aux tournants de l'histoire*, p. 44 ss.

de point d'attache. « Ce sont les scandales des prêtres simoniaques et concubinaires, dit M. Kurth (1), qui ont ouvert la porte par laquelle les multitudes se précipitèrent hors de l'Église ». Il est en effet un trait de famille fort apparent qu'on peut constater chez toutes les sectes de cet âge : c'est leur aversion sans bornes pour le clergé.

De là le mépris de la hiérarchie, des sacrements, des cérémonies et de tout culte extérieur ; de là, chez beaucoup d'âmes, même bien intentionnées, le rêve d'un retour vers l'Église primitive, vers cette Église pauvre, libre, sans liens avec l'État. Et, remarquons-le en passant, les mêmes idées qui d'une part engagèrent les papes et les fondateurs des ordres mendiants à simplifier la vie religieuse, à la rendre plus intérieure afin de contrebalancer ce qu'il y avait de trop extérieur et de trop compliqué dans les formes de la hiérarchie et dans les ordres religieux, ces mêmes idées inspirèrent d'autre part les efforts fanatiques et fiévreux de réforme en dehors et contre l'autorité.

2/ L'esprit d'indépendance du temps, qui aboutit à la destruction de la féodalité et à la formation des communes, mais favorise d'autre part les vues individuelles.

Les aspirations vers la liberté dans le domaine politique et économique, qui créèrent les villes du moyen âge, eurent également leur contre-coup sur les sentiments religieux. La bourgeoisie, tout en conservant la ferveur de la foi, cherche cependant à s'affranchir de l'immixtion des anciennes abbayes dans sa vie religieuse, comme elle cherchait à s'affranchir de l'immixtion des féodaux dans sa vie juridique et économique ; elle est hostile à tout privilège qui lui semble un obstacle à la marche en avant des institutions populaires. Animées de ces sentiments de démocratie et d'indépendance, les populations des villes prétendent bientôt avoir leur clergé à eux, des chapelains pour leur gildes et con-

(1) *O. c.*, p. 54.

fréries et reçoivent notamment à bras ouverts les nouveaux ordres mendiants, plus mêlés à la vie urbaine.

« Cette liberté d'allure, qui caractérisa le sentiment religieux dans les villes, n'était pas sans danger pour l'orthodoxie. Dans ces milieux actifs et remuants, où tant d'hommes de conditions différentes se trouvaient en présence, la ferveur même de la foi devait facilement pousser à l'hérésie ». Cette considération de M. Pirenne (1), concernant la vie religieuse dans les Pays-Bas au moyen âge, vaut également pour les autres centres urbains de l'Europe, notamment pour les communes italiennes et les villes du midi de la France.

Ajoutons que, par suite d'un mouvement commercial et industriel puissant, un bien-être dangereux pour les mœurs s'était manifesté dans les villes. L'excès de richesse, amenant le luxe et la corruption, révoltèrent d'autre part les bas-fonds de la société. Or il se trouva bientôt des hommes pour justifier par d'étranges théories les débordements de licence, tandis que d'autres au contraire, animés d'un esprit de prosélytisme inconsidéré, entreprirent contre les abus une campagne, trop souvent, hélas, en dehors et contre l'Église. Aussi bien est-ce dans les grands centres urbains, parmi les marchands et les artisans, que l'hérésie se répandit surtout durant l'époque qui nous occupe.

3/ Le goût de la spéculation philosophique entretenu par les nouvelles universités, joint à l'influence de la philosophie incroyante, surtout de la philosophie arabe.

La science ecclésiastique avait grandi dans les écoles du XIIe siècle et dans les universités du XIIIe; mais elle prit surtout son essor, on le sait, à la suite de la

---

(1) *Histoire de Belgique,* Bruxelles, Lamertin, 1900, t. I, p. 332. Voir aussi concernant *les relations de l'Église et des Communes au moyen âge,* les remarques du R. P. Thibaut, S. J. dans le *Rapport sur les travaux du Sém. historique* de Louvain (1909-1910), Annuaire de l'Un. cath. de Louvain, 1911, p. 433-438.

diffusion en Occident des œuvres d'Aristote et grâce aux rapports des savants de l'Europe avec les philosophes musulmans de l'Espagne et de l'Arabie. Cette renaissance des études, facilitée par les fréquentes relations des peuples entre eux, au temps des croisades, fut excellente sans doute : la théologie notamment y gagna une forme originale, la forme dialectique de la scolastique ; mais l'initiation de l'Occident, par les nombreuses traductions, aux ouvrages de la science grecque et arabe jeta aussi le doute et le trouble dans quelques esprits exaltés, plus préoccupés de la méthode que du fond. Certains principes dangereux de panthéisme et de rationalisme une fois admis par quelques docteurs isolés, leurs disciples en déduisirent des conclusions que les maîtres n'avaient peut-être pas prévues et s'en servirent pour donner un corps de doctrine aux rêves creux dont ils étaient hantés (1).

Enfin ce ne furent pas seulement le panthéisme et le rationalisme, qui nous vinrent ainsi pas l'intermédiaire de quelque aveugle admirateur d'Aristote et des Arabes ; les relations avec l'Orient, pays classique des doctrines dualistes, ne sont pas étrangères non plus à ce réveil de vieilles hérésies, dont les restes avaient peut-être survécu en plusieurs endroits de l'Europe chrétienne. C'est en effet depuis les croisades que l'incrédulité et la frivolité religieuse se montrent d'abord d'une façon significative en Europe.

R. De Schepper.

---

(1) Schwane, *o. c.*, t. IV, p. 71 ; M. De Wulf, *Histoire de la Philosophie Médiévale*, 2e éd., Louvain, 1905.

VI

Q. *Interprètez le* §. II *de l'article 8 du décret de 1809 : « lorsque le remplacement ne sera pas fait à l'époque fixée, l'Évêque ordonnera qu'il y soit procédé dans le délai d'un mois ; lequel délai passé, il y nommera lui-même et pour cette fois seulement* ».

R. Après avoir établi aux articles 7 et 8 §. 1, le principe fondamental que le conseil de fabrique, une fois formé, se recrute lui-même par voie d'élection triennale, le décret prévoit le cas où le remplacement des membres sortants n'aura pas été fait à l'époque fixée, c'est-à-dire au premier dimanche d'avril, de trois en trois ans, pour la grande et petite moitié (1). Il statue qu'en cette occurrence l'Évêque ordonnera au conseil qu'il soit procédé à l'élection dans le délai d'un mois, lequel délai passé, il y nommera lui-même et pour cette fois seulement.

Le ministre des cultes, Bigot de Préameneu, dans son rapport sur le décret de 1809, fait valoir les motifs qui ont fait adopter cette disposition. « Cette espèce de déchéance, dit-il, sera pour le conseil un puissant motif de ne pas s'exposer à l'encourir ; il ne voudra pas faire peser sur lui le reproche grave de cette espèce d'abandon de la paroisse. Ce droit accidentel de nomination doit être dévolu à l'Évêque, par les motifs que la fabrique est en elle-même un établissement du culte, que l'occasion de nommer sera très rare et que d'ailleurs les nominations à faire ne seront que d'un très petit nombre de personnes » (2).

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.* ed. 7, n° 999 ; Ar. roy. 12 mars 1849 et circ. minist. du 14 mars 1849, ap. Versluysen, *Handboek voor de kerkfabrieken*, p. 219-225, Louvain, 1877.

(2) *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 515. — Le projet du ministre des cultes portait à son article 10. « Lorsque le remplacement ne sera pas fait à l'époque fixée, il est enjoint à l'évêque d'y pourvoir. Il aura pour cette fois sur le conseil général un droit de prévention », *ibid.*, col. 558.

Pour interpréter cette disposition, il nous faut établir les conditions auxquelles est subordonné l'exercice de ce droit de l'Évêque, et les principaux cas auxquels il y a lieu d'appliquer la prérogative épiscopale.

I. *Conditions.*

1. L'Évêque, averti par voie administrative (1) ou par informations particulières, que les élections n'ont pas été faites, *doit mettre le conseil en demeure* d'y procéder en déans le mois. Ce délai commence à courir depuis le jour de la notification au conseil de l'avertissement donné par l'Évêque.

Cette mise en demeure est essentielle pour que l'Évêque puisse nommer lui-même et elle doit se faire même si le conseil se trouve dans l'impossibilité de faire l'élection (2). Elle peut se faire immédiatement après le premier dimanche d'avril ou plus tard, pourvu que les trois années ne soient pas révolues. Après ce terme, en effet, les pouvoirs de tous les conseillers étant expirés, il y aurait lieu de reconstituer tout le conseil, conformément à l'art. 6 du décret (3).

L'ordre donné par l'Évêque implique pour le conseil l'autorisation de se réunir extraordinairement en déans le mois. Si l'évêque n'use point de son droit, son silence couvre l'irrégularité et le conseil peut valablement faire l'élection omise, à sa première séance ordinaire, où à une séance extraordinaire dûment autorisée (4).

---

(1) Dans notre diocèse, les curés sont obligés d'envoyer dans la quinzaine qui suit le premier dimanche d'avril le résultat des élections et l'état complet du conseil. V. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 54.

(2) Voir la jurisprudence française dans DUBALLET, *Traité théorique et pratique des conseils de fabrique*, n° 30, p. 17 s., Paris, 1896; CAULET, *L'avocat du clergé*, p. 428, Paris, 1897.

(3) ANDRÉ, *Cours de législation civile ecclésiastique*, v° fabrique, p. 129 ss., Paris, 1850; DE CORSWAREM, *De l'administration des fabriques d'églises*, n° 213, p. 246; n° 228, p. 258; *Collationes Namurcenses*, 1905-1906, t. V, p. 146; en sens contraire, LAUWERS, *Code de droit civil ecclésiastique*, p. 49 s., Bruges, 1859; GAUDRY, cf. *Le Mémorial belge*, 1872, t. XVI, col. 196 s.

(4) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 995, 1003; DE CORSWAREM, *o. c.*, n° 225, p. 254; *Collationes Namurcenses*, *l. c.*, p. 153.

2. Le délai d'un mois écoulé le conseil est irrévocablement déchu de son droit (1) et l'Évêque nomme *pour cette fois seulement* les membres dont l'élection n'a pas été faite en temps opportun. Dans la suite, le conseil, ainsi reconstitué par le chef diocésain, conserve la faculté de procéder, dans les formes et les délais voulus, à l'élection ultérieure de ses membres (2). Mais si au renouvellement triennal suivant, le conseil néglige de rechef de pourvoir au remplacement de la série sortante, il semble incontestable que l'Évêque ait le droit d'user de la prérogative que lui donne l'article 8, bien qu'il en arrive ainsi à reconstituer à lui seul tout le conseil (3). Le chef diocésain peut également procéder à une nouvelle nomination, si les membres qu'il a désignés n'acceptent pas les fonctions de fabriciens ou donnent immédiatement leur démission, parce que des désignations de personnes restées sans effet par le refus d'acceptation sont comme des nominations qui n'auraient pas été faites et qui ne peuvent épuiser le droit de l'Évêque, et qu'en outre, on ne peut assimiler le refus d'acceptation à la démission après des fonctions acceptées ou remplies (4).

II. *Principaux cas où il y a lieu d'appliquer la prérogative épiscopale.*

1° Si une élection *ordinaire* (5) n'a pas été faite le

---

(1) Ar. roy. 26 mai 1868 et 8 oct. 1871, ap. LEROY, *Instructions pratiques sur la comptabilité... des fabriques d'églises*, p. 255, note 2, Tournai, 1883.

(2) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 995.

(3) *Le Mémorial belge*, 1872, t. XVI, col. 191 s.; CAULET, *o. c.*, p. 429 s.; DUBALLET, *o. c.*, p. 18, n° 31; *Collat. Namurcen.*, *l. c.*, p. 146 s.; en sens contraire BRIXHE, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2 édit., v° conseil, n° 5, Liége, 1873.

(4) Avis du Conseil d'État, du 19 janvier 1836, ap. ANDRÉ, *o. c.*, p. 130; LAUWERS, *o. c.*, p. 48 s.; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 955.

(5) LAUWERS, *o. c.*, p. 65 ss., examine le cas où au bout des trois premières années de l'organisation du conseil, les fabriciens n'ont pas désigné par le sort les membres qui formeront la première série sortante. Il est d'avis que l'Évêque, après mise en demeure et expiration d'un délai

premier dimanche d'avril de l'année où une série est sortante.

2° Si une élection *extraordinaire*, nécessitée par suite de décès ou de démission, n'a pas eu lieu dans la séance suivant la vacature (1).

Dans ces cas, il ne faut pas distinguer s'il y a eu refus ou négligence de la part du conseil, ou bien si le conseil n'a pas pu procéder à ces élections, soit parce qu'il n'était pas en nombre, soit parce qu'aucun candidat n'a pu réunir la majorité absolue des suffrages (2).

3° D'après certains auteurs, lorsque le conseil n'a fait que des élections *irrégulières*, soit parce qu'il n'a pas observé les formalités requises, soit parce que les candidats ne réunissent pas les conditions d'éligibilité.

Ces auteurs estiment cependant que ces élections doivent d'abord être déclarées nulles par l'autorité administrative supérieure. Le motif invoqué par eux est que le remplacement triennal n'a pas eu lieu, puisque les élections irrégulières sont nulles et considérées comme non avenues (3). Sans examiner pour le moment la question de savoir si les élections irrégulières sont nulles ou seulement annulables, faisons remarquer avec les *Collationes Namurcenses* (4) « que les auteurs en général ne signalent pas ce troisième cas, et même paraissent l'exclure par leur enseignement sur les élections irrégulières, qui, annulées, laissent subsister le

---

d'un mois, a le droit de nommer autant de conseillers nouveaux, qu'il y a de membres dont le mandat aurait dû être renouvelé ; ces conseillers avec les membres de droit désigneront par le sort ceux des anciens membres qui doivent sortir.

(1) *Le Mémorial belge, l. c.*, col. 197 s. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 990 ; *Revue catholique de droit*, 1906-1907, t. IX, p. 110 s. ; de Corswarem, *o. c.*, p. 244 s.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 996 ; de Corswarem, *o. c.*, p. 246.

(3) *Le Mémorial belge*, 1872, t. XVI, col. 191 ss. ; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 996.

(4) *L. c.*, p. 147, note 2.

droit du conseil. Cependant pratiquement des administrations appliquent la prérogative épiscopale à ce troisième cas, même sans exiger l'annulation des élections irrégulières ».

4° D'après certains auteurs également, lorsque l'élection des dignitaires du conseil n'a pas été faite ou renouvelée à la séance d'avril (1).

A. De Meester.

(1) *Le Mémorial belge, l. c.*, col. 249 s. Lauwers, *o. c.*, p. 101; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 997.

PII PP. X

Constitutio Apostolica de nova psalterii in breviario romano dispositione.

PIUS EPISCOPUS

Servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiæ exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus* (1): verum etiam ex more jam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiæ vox* (2), atque psalmodia, ejus *hymnodiæ filia,* ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur (3), *quæ canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quæque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter* confiteantur (4). Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum* (5).

Accedit quod in Psalmis mirabilis quædam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur;... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Hæc iterum Athanasius (6) qui recte ibidem addit:

---

(1) *Hebr.* 13, 15.
(2) Homil. in Ps. 1 n. 2.
(3) Bulla « *Divinam psalmodiam* ».
(4) Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor. n. 10.
(5) In Psalm. 144 n. 1.
(6) Epist. ad Marcell. cit. n. 2.

Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet (1). Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum*, inquit, *flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis et cliquabatur veritas in cor meum et exæstuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimæ et bene mihi erat cum eis* (2). Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa majestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili justitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus ejus tam alte prædicatur? Cui non similes sensus inspirent illæ pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro exspectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores pænitentis animæ? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinæ benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque cælestis sapientiæ dogmata tradit? Quem denique non amore inflamnet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cujus quidem Augustinus (3) *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat?

Jure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadæ spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, cælicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari cœperunt, unde fere

---

(1) Op. cit. n. 12.
(2) Lib. IX cap. 6.
(3) In Ps. 42 n. 1.

factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait (1) *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resultatio.* De hujusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniæ, quod non modo hominibus sacri ordinis tot subtraherentur præsidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostræ quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in æqualitate torpescit sæpe, nescio quomodo, animus, atque præsens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur ejus desiderium et attentio instauratur* (2).

Minime igitur mirum quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum jam gravius laboranti, non majus imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quæ Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quæ deinceps ab aliis Venerabilibus piisque viris admotæ sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadæ spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius avaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum,* corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendæ rationem, quæ Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi

(1) Enarrat. in Ps. 1 n. 9.
(2) Regulæ fusius tractatæ, interrog. 37 n. 5.

munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis præpositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, ejusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari jussimus.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia conjunctionem, nemo non videt, per ea, quæ hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla jam in præsenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis præscribitur: atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacræ Scripturæ cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missæ antiquissimæ de Dominicis infra annum et de Feriis, præsertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus ejusque usum, inde a Kalendis Januariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri sæcularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas juxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari jubemus. Simul vero pœnas in jure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis,

Abbatibus ceterisque ecclesiarum Prælatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque diœcesi, ecclesia vel cœnobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari præcipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id major capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post ejus editionem, rite usurpare licebit.

Hæc vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostræ abolitionis, revocationis, permissionis, jussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo undecimo, Kalendis Novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

FR. SEB. CARDINALIS MARTINELLI.
S. R. C. Præfectus.

A. CARDINALIS AGLIARDI.
S. R. E. Cancellarius.

Loco ✠ Plumbi.

VISA

M. RIGGI C. A., *Vot.*

Reg. in Canc. Ap. N. 571.

Rubricæ in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandæ ad norman Constitutionis Apostolicæ « Divino Afflatu ».

— —

Titulus I.

De ratione Divini Officii recitandi juxta novum Psalterii ordinem.

1. In recitatione Divini Officii, juxta Romanum Ritum, Psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas, de occurrente hebdomadæ die, prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito; quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integræ Octavæ, Dominicæ infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Domini, Vigilia Epiphaniæ et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes; nec non omnia Festa Beatæ Mariæ Virginis, SS. Angelorum, S. Joannis Baptistæ, S. Joseph et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integræ Octavæ, si de eis fiat Officium, quod recitandum erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Diœcesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio; ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. — Tribus autem ultimis diebus majoris hebdomadæ, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est « *Ego dixi: In dimidio* ». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam majore, vel Semiduplici, vel Simplici, et in Feriis Tempore Paschali semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti

hebdomadæ die; reliqua omnia, et Antiphonæ ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis hujusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora majori, eas in eadem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario; in ceteris Horis Psalmi et Antiphonæ dicantur de Feria occurrente.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendæ erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur, nisi sit Festum Domini aut Festum cujusvis ritus B. Mariæ Virginis, vel Angelorum, vel S. Joannis Baptistæ, vel S. Joseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis, aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat. In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eædem Lectiones cum propriis Responsoriis.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis:

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi: Antiphonæ vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonæ cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonæ cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonæ ex Proprio, vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi.

6. In Officio S. Mariæ in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Pesponsoriis propriis, vel de

Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo, duabus Lectionibus in unam junctis, si quando duæ pro Festo habeantur: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est.

7. In Feriis et in Festis Simplicibus Psaimi ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo.

Titulus II.

De Festorum præstantia.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit præstantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis præferendum, sequentes præstantiæ characteres considerandi sunt:

a] Ritus altior, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata; vel etiam quælibet dies Octava juxta Rubricas.

b] Ratio Primarii aut *Secundarii.*

c] Dignitas Personalis, hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariæ Virginis, Angelorum, S. Joannis Baptistæ S. Joseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d] Solemnitas externa, scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e] Proprietas Festorum. Dicitur Festum alicujus loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiæ, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in ejus appendice approbata descripto), cujus habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum cœtu specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, præfertur Festo Universalis Ecclesiæ. Excipiuntur tamen Dominicæ, Feriæ, Octavæ et Vigiliæ privilegiatæ, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiæ, quæ uniuscujusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiæ, cujusvis ritus, quia est præceptivum,

ceteris paribus, præferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quæ tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt.

Titulus III.

De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.

1. De Dominicis majoribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium: Dominicæ vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavæ fit commemoratio Dominicæ in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum. Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomæ Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis; quo in casu die 30 Decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis, cum Responsoriis Dominicæ. Quoad Dominicam vero, quæ occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

3. Duplicia I et II classisr quæ seu ab aliqua Dominica majori, seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quæ libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis hujusmodi Festa excludentibus; salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Joseph.

4. Festa Duplicia majora cujusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiæ non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricæ disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est

commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

5. Porro si in Dominica majori occurrat Officium Duplex majus aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicæ.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cujusvis Festi.

Titulus IV.

De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.

1. Festa omnia ritus Duplicis sive majoris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, juxta Rubricas.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis hujusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitati Purificationis B. M. V. concesso.

3. Dominicæ majores excludunt assignationem perpetuam cujusvis Festi Duplicis etiam I classis: Dominicæ vero minores assignationem excludunt cujuscumque Duplicis majoris aut minoris, nisi sit Festum Domini. Festum SS. Nominis Mariæ perpetuo assignatur diei duodecimæ mensis Septembris.

4. Dies II Novembris excludit tum Festa occurrentia quæ non sint Duplicia I classis, tum Festa perpetuo reponenda cujusvis ritus.

Titulus V.

De concurrentia Festorum.

1. Dominicæ majores Vesperas habent integras in con-

currentia cum quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis sumuntur Antiphonæ cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonæ de Laudibus Dominicæ cum iisdem Psalmis de Sabbato.

2. Dominicæ minores cedunt Vesperas, tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini, tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato.

3. Leges, quibus ordinantur Vesperæ infra Octavam Nativitatis Domini, immutatæ manent.

Titulus VI.

De Commemorationibus.

1. In Duplicibus I classis non fiat commemoratio de præcedenti, nisi fuerit aut Dominica quævis, etiam per annum, aut Duplex I vel II classis, aut dies Octava alicujus Festi Domini primarii, aut dies infra Octavam privilegiatam, aut Feria major. In occurrentia fiat tantum commemoratio de Dominica quacumque, de Octava privilegiata et de Feria majori. De sequenti vero Officio (etiam ad modum Simplicis redacto) fiat semper commemoratio, minime autem de die infra Octavam non privilegiatam aut de Simplici.

2. In Duplicibus II classis de præcedenti Officio semper fieri debet commemoratio, nisi fuerit de aliquo Festo Semiduplici, vel de die infra Octavam non privilegiatam. In occurrentia fit commemoratio de quavis Dominica, de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum Simplicis redacto, de Octava privilegiata, de Feria majori et de Vigilia: de Simplici vero fit tantum in Laudibus et in Missis privatis. De sequenti autem Officio quolibet, etiam Simplici vel ad modum Simplicis redacto, fit semper commemoratio, ac etiam de die infra Octavam, si in crastino Officium de ea agendum sit; et tunc cum Antiphona et Versiculo e I Vesperis Festi.

3. Licet Festa Domini eorumque Octavæ privilegio gaudeant ut in occurrentia prævaleant Dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes

(cauto quod in Vesperis semper fiat prima commemoratio de Officio concurrenti, cujusvis ritus et dignitatis), tam in Vesperis, quam in Laudibus et Missa hic ordo servetur: 1° de Dominica qualibet; 2° de die infra Octavam Epiphaniæ aut Corporis Christi; 3° de die Octava; 4° de Duplici majore; 5° de Duplici minore; 6° de Semiduplici; 7° de die infra Octavam communem; 8° de Feria VI post Octavam Ascensionis; 9° de Feria majori; 10° de Vigilia; 11° de Simplici.

Titulus VII.

De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano et de tertia oratione in Missa.

1. Quando eadem die occurrunt plura Officia, quæ propriam habeant conclusionem Hymnorum vel proprium Versum ad Primam, conclusio et Versus dicantur, quæ propria sunt Officii, quod ea die recitatur.

2. Deinceps, quando facienda erunt Suffragia Sanctorum, unum tantum fiet Suffragium, juxta formulam propositam in Ordinario novi Psalterii.

3. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in Festo SS. Trinitatis et in Dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est Officium salva exceptione, de qua n. sequenti.

4. Quando in Dominica fit commemoratio de aliquo Officio Duplici, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, omittuntur Suffragium, Preces, Symbolum *Quicumque* et tertia Oratio in Missa.

Titulus VIII.

De Officiis votivis deque aliis Officiis adititiis.

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causæ cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 Julii 1883 pro Officiis votivis, hæc ipsa Officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur.

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus præscriptis, Officium parvum B. Mariæ Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos

Graduales ac Pænitentiales. Capitula vero, quæ ad ista Officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum.

Titulus IX.

De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiæ et de Patronis.

1. Festum Dedicationis cujuslibet Ecclesiæ est semper primarium, et Festum Domini.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis et Festum Titulare ejusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Diœcesim ab universo Clero sæculari et etiam regulari Kalendarium Diœcesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Diœcesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava.

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, præter magnam Resurrectionis Dominicæ sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam sæculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur.

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Diœcesis, vel Provinciæ, vel Nationis, Clerus sæcularis, et regularis ibi degens et Kalendarium Diœcesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava.

Titulus X.

De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis.

1. In Dominicis, etiam minoribus, quodcumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel ejus dies

Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominica cum commemoratione festi. Quod si Festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio.

2. In Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicujus Festi Duplicis (non tamen I vel II classis) aut Semiduplicis, Missæ privatæ dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriæ aut Vigiliæ, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi: prohibentur tamen Missæ votivæ privatæ, aut privatæ pro Defunctis: quæ item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicæ. In Quadragesima vero Missæ privatæ Defunctorum celebrari tantum [illegible] prima die cujuscumque hebdomadæ libera in Kalendario Ecclesiæ, in qua Missa celebratur.

3. Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cujus rei judex erit Ordinarius), Missæ de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur. Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicæ, aut Feriæ, aut Vigiliæ, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur.

4. Ad Missam Dominicæ etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum majoris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicæ, cum Præfatione SSmæ Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavæ alicujus Festi Domini.

4s **gradus** est vera animi summissio seu spiritualis humilitas, ex qua tamquam ex fonte profluunt quatuor rivuli: obedientia, mititas, patientia et propriæ voluntatis abnegatio, ita ut soluti et liberi atque omni re nobisquemetipsis vacui simus.

Hæc omnia egregie evolvuntur, et concluduntur hoc monito: in his acquirendis virtutibus et servandis sita

est pugna spiritualis necessaria ad vincendum in ludo amoris, et numquam cessanda donec erimus in corpore mortali.

Sequitur **5s gradus**, qui longe amplior evolvitur. Vocatur nobilitas seu dignitas omnium virtutum et bonorum operum. Hæc nobilitas seu corona eo continetur quod honorem Dei desideremus ac quæramus super omnia. Et in hoc sita est charitas, radix et origo omnis virtutis et sanctitatis.

Heic, juxta fidem christianam de Trinitate et de incarnatione Verbi, concinne exponit Rusbrochius honorandam esse SS. Trinitatem Dominumque nostrum Jesum Christum. Glorificandus autem est Deus a nobis, non quod egeat nostra glorificatione, qui ipse est sua gloria et beatitudo summa, sed ideo ut cum ipso uniamur et beati simus.

Deinde addit quomodo glorificandus est Deus, nempe oculis mentis illuminatis a Deo ipsum agnoscere valemus in similitudinibus quasi in speculo, in quo videmus formas, imagines, similitudines Dei. At substantiam, qui ipse est, videre non possumus nisi per seipsum, et hoc supra nos, supraque omne exercitium virtutum est.

Ideo libenter Deum aspiciamus in imaginibus, ut nos extollat supra nos in unitate secum sine similitudine. Nunc videmus in speculo nostro cum imaginibus innumeras Dei perfectiones; indeque rapitur ratio nostra et intellectus in admirationem, et amorosum desiderium nostrum cupit Deo digna dare laudem et honorem.

Propter hoc desiderium Spiritus Domini nos docet *tres exercitativos modos* dandi Deo omnem quem possumus honorem, quorum primus nos unit Deo sine medio (1); secundus nos unit divinæ voluntati median-

---

(1) Attende unionem immediatam non esse uniusmodi, nec unius gradus, sed, ut infra videbimus, diversam secundum subjectam materiam, et diversos gradus habentem sicut et mediatam per gratiam.

Hoc quoque nota, unionem immediatam nequaquam excludere media-

tibus gratia et nostris operibus bonis; tertius nos in unione cum Deo servat et crescere facit in gratia et virtutibus.

Primus modus est Deum *adorare, honorare* et *diligere* propter se et gloriam suam unice, per charitatem perfectam, qua Deo unimur, in Deo manemus et ipse in nobis.

Secundus modus ex illa charitate nascens in eo est quod *desideramus* Dei gratiam ut in ejus honorem et secundum nostram indigentiam ei possimus servire; quod *supplicamus* et petimus a Deo sua dona, nominatim dona Spiritus sancti, quæ breviter explicantur; et porro quod ipsum Spiritum sanctum *postulamus* et cum libertate quasi exigimus in nobis, Dominum omnium donorum.

Tertius modus, qui nos perficit in virtutibus et sancta vita, est *gratiarum actio, laus* et *benedictio* Dei. Quæ quidem omnia in tribus istis modis pulcherrime explicantur; finiendo autem hanc explicationem notatur gratiarum actionem, laudem et glorificationem Dei fuisse primam operam a creaturis effectam, in æternum duraturam, eamque incœpisse in cœlis per Angelos.

Hac occasione, qua de Angelis sermo fuit, sequitur quædam digressio in qua, juxta doctrinam S. Dionysii Areopagitæ, exponitur *quomodo ministrant nobis cœlestes hierarchiæ.*

Interim tamen prosequitur Rusbrochius suum propositum, et graphice describit mutuam Deum inter et liberam, humilem animam amantem, conversationem ac locutionem. Ubi inter alia notat mutuam complacentiam Deum inter et liberum humilem esse celsissimum et nobilissimum opus in interiore vita, quo omnes virtutes et bona opera rite ordinantur, Deo dante homini

---

tam. Ita in tertio exercitativo modo manemus uniti cum Deo sine medio, et perficitur nostra unio cum medio, nempe gratia et virtutibus; imo quo intimior fit una, eo perfectior fit altera.

suam gratiam, homine vero interiore sua opera Deo, quæ quidem gratia et opera continuo renovantur et crescunt.

Tum enarrat quomodo angitur et agitatur amans, volens uniri Deo inque eo quiescere, et simul operari. Cui respondet Deus: Ego me tibi do supra omnia dona mea, et exigo atque attraho te in me supra omnia opera tua. Quando jam anima interna huic tractioni Dei satisfacit, se libere, et integre donans Deo, sentit amorem immensum, quo tota comprehensa est; et supra se elevata supraque omnia dona in Spiritu Domini, experitur infinitum et incomprehensibile gaudium, in quo tota a se defluit.

Concludit hunc esse nobilissimum et altissimum modum in interioribus exercitationibus, et vitæ contemplativæ propinquiorem.

Post hæc nova digressione (1) *de duplici via* scil. præceptorum et consiliorum nobis a Christo tradita, exponit secundum Christi exemplum, triplici puncto, progressum ad vitæ actuosæ (2) perfectionem, quæ illius est qui supra omnia opera bona exterius et omnes virtutes interius attollit oculos ad Deum, ipsum aspiciens confidenter et in christiana fide, ipsum intendens et diligens super omnia, atque in his perseverans, eaque exercens super omnia.

---

(1) Digressiones quidem sunt, magis tamen quod solam formam attinet, quæque unitati doctrinæ expositæ non obstant. Rationem forte harum reddere potest Auctoris modus mirabilis dictandi suos codices, quem refert Pomerius, in ejus Vita, cap. XIV: « Interpolatis vicibus edidit præfatos suos codices, ut, non obstante mora diutina quandoque plurium hebdomadarum quibus dictandi gratia [nempe Spiritu illuminante] privabatur, tandem, reversus ad morem pristinum, tam compendiose tamque decenter absque priorum tamen memoria præteritis præsentia continuaret, ac si uno eodemque tempore sine qualibet vicissitudinis interpolatione eosdem codices compilasset. »

(2) Intellige non de vita activa ad extra, puta apostolica aliaque virtuosa vita se exerente erga proximum, sed de vita activa interiore, ducente ad contemplativam.

Deinde invehitur in plures homines, etiam religiosos et ecclesiasticos, qui se habent præcelsos cum in multis errent, quorum vitia et defectus scrutatur et carpit, in fine adhortando unumquemque ut, examine facto, aliquid hujusmodi in se deprehendens, illud emendet et fugiat. Oportet enim mori peccato, rebusque caducis omnibus, nobisquemetipsis, ut Deo vivamus eique uniamur. Tum poterimus ei benedicere et in pace audire cœlestes melodias. Sicque transit ad ultimam quamdam tractationem, in hoc quinto gradu, *de cœlestibus melodiis*.

Primus modus cœlestis cantus est amor Dei et proximi propter Deum, sine quo nemo accessum habet ad cœlestem chorum.

Secundus est sincera humilitas.

Tertius est in eo quod propriæ voluntati omnique proprio renuntiamus, et naturam nostram amabilissimæ voluntati Dei damus et resignamus, ad omnia patienda quæ Deus voluerit nos pati.

Quartus modus cœlestis cantus, intimior, nobilior et altior cæteris est deficere in laude divina. In hoc Deus dat affluenter gratiam, sed exigit ut reddamus ei gratias, laudes et bona opera.

Porro, supra gratiam et supra opera nostra omneque virtutum exercitium, se ipsum dare vult Deus et omne quod est, et exigit ut ei reddamus quidquid sumus. Sic vult esse totus noster, et nos vult esse totos suos; attamen manet ex integro unusquisque quod est, non enim possumus Deus fieri, sed uniti sumus Deo cum medio et sine medio.

Nempe primo mediante gratia, quacum in nobis, et cum amore nostro ad ipsum, unum opus mutuo simul efficimus. Et in hoc opere condigne amandi, laudandi ac glorificandi Deum, omnino deficiunt et præ impotentia dilabuntur omnes spiritus amantes in cœlo et in terra coram abyssali altitudine Dei. Et hoc est nobilissimum altissimumque medium Deum inter et nos, atque in eo est gratia perfecta seu consummata cum omnibus virtutibus.

At supra hoc medium, uniti sumus Deo sine medio, supra gratiam et supra omnem virtutem (1). Nam supra hoc medium accepimus imaginem Dei in vivacitate animæ nostræ, quo fit ut Deo uniamur absque medio, quin tamen fiamus Deus. Simul deiformes manemus mediante gratia. Unimur autem Deo sine medio supra gratiam et virtutes, per hoc quod ejus imaginem portamus in suprema parte seu apice ac arce nostri creati esse. Sic manemus semper Deo similes in gratia et gloria, et supra similitudinem unum cum ipso in æterna nostra imagine.

Vitalis unitas cum Deo est in essentia nostra, hancque unitatem capere, enarrare aut assequi non valemus. Præcurrit ipsa seu præludit omnibus viribus nostris, postulatque nos unum esse cum Deo omnino sine medio. Hoc autem nos efficere non valemus. Propterea sequimur Deum in quodam otioso esse nostræ essentiæ. In hoc otioso esse quiescit et habitat Spiritus Domini cum cunctis donis suis. Spirat autem suam gratiam suaque dona in omnes vires nostras, atque exigit nostrum amorem, gratiarum actionem ac laudem.

---

(1) Heic jam habes unionis immediatæ gradum quemdam superiorem, et diversum ab illo quem supra obvium habuimus, estque hæc unio immediata *supra gratiam et virtutes*. Abhinc, ut in explicatione sequente Auctoris videbimus, fit transitus ad ea quæ de unione contemplativa (in sexto et præsertim septimo gradu) dicentur. Etenim gradus illi septem scalæ amoris non sunt separati, nec ita ab invicem distincti, ut intra certos limites non incurrant vicini unus in alium, quemadmodum nec triplex via quam Auctores ascetici et mystici sæpius indicant, scilicet *purgativa* (ad quam quatuor priores gradus in opusculo Rusbrochii pertinent), *illuminativa* (quintus gradus ejusdem Rusbrochii) et unitiva (sextus et septimus gradus). Deinde, ut et Rusbrochium jam monentem audivimus, isti gradus in praxi nequaquam invicem excludunt, nec similiter una ex tribus prædictis viis alias: dum enim in vita interiore ac via illuminativa vel et contemplativa ac unitiva versamur, simul nobis ipsis per viam purgativam usque invigilare debemus, quo puritatem animi servemus atque augeamus.

De hac unione immediata, ob rei difficultatem fusius Auctorem exscribimus fere ad literam vertendo ejusdem explicationem, quo postea nostram interpretationem facilius assequi possit lector.

Habitat vero ipse in essentia nostra, et exigit nos otium et unum esse secum supra omnes virtutes. Ideo non possumus satiari seu consistere in nobis per bona opera, nec supra nos cum Deo in otio. Hic est maxime intimus ludus seu pugna amoris.

Spiritus Domini est æterna activitas Dei, et vult ut nos æternum operemur, sibique similes simus. Est quoque quies et fruitio Patris et Filii, omniumque charorum suorum in æterno otio. Frui autem supra activitatem nostram est, nec illud comprehendere valemus. Activitas semper manet infra fruitionem, nec eam in fruitionem adducere possumus. In operando semper deficimus, Deum satis amare non valentes. In fruitione satis est nobis, sumusque quidquid volumus.

En quartus modus cœlestis cantus omnium præstantissimus.

In fine hujus quinti gradus, describit Rusbrochius cœlestem beatitudinem futuram, præsertim post gloriosam corporum resurrectionem ; ubi unum notatum velimus, quod nempe dicit Christum in sua humana natura recturum cœlitum chorum dextrum, ad quem pertinent omnes in quibus ipse vivit quique vivunt in ipso. Alter chorus erit Angelorum. Etsi enim hi nobiliores sunt natura, nos tamen altius sumus donis decorati in Christo, quocum unum sumus. Scilicet hæc doctrina omnino concinnit cum doctrina nonnullorum Patrum qui insinuant nos altiori quadam ratione adoptivos esse filios Dei quam ipsos Angelos, hancque filiationem adoptivam apicem suæ perfectionis habituram in futuro sæculo (1). Profecto cum Verbum vere assumpserit naturam nostram humanam, adeoque mirabili modo affines simus Christo, potiori jure quam Angeli, non sine fundamento sperare possumus nos, cum æqualibus meritis, non modo pares sed quodammodo superiores futuros Angelis in cœlesti gloria.

---

(1) Cf. quæ notavimus agendo *de unione justorum cum Deo,* apud *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 520, nota (1) et 525 ; coll. Tom. XVI, p. 313, n. 89 et sqq.

6s gradus. Jam ex professo de ipsa contemplatione agitur, et in hoc quidem gradu, præprimis ex parte subjecti considerata. — Contemplatio tria sibi propria habet, quæ exurgunt ex viva quadam profunditate, in qua sumus Deo uniti supra rationem omneque virtutum exercitium (1); eaque sunt: clara intuitio, nuditas mentis et puritas spiritus. Qui contemplari vult, debet Deo offerre omnes suas virtutes bonaque opera absque intuitu ullius mercedis, et super omnia seipsum offerre ac resignare beneplacito divino, et usque non retrospiciendo progredi in viva dignitate Dei.

Præparatio autem ad vitam contemplativam in eo est ut vita sensibilis externa sit rite ordinata in bonis operibus coram proximo, vita interior sit plena gratia et charitate, dives virtutibus. Memoria soluta ac libera sit ab omni sollicitudine, vacua ab omni imagine; animus liber et apertus, ultra cœlos elevatus; mens vacua, absque consideratione, nuda in Deo. Ibi est arx et clausura omnium spirituum amantium, quo congregantur omnes puræ mentes in una simplici puritate, tamquam in habitaculo Dei in nobis, in quo nemo operari valet nisi Deus; in qua eadem puritate omnes unum sumus, viventes in Deo et Deus in nobis. Ibi est intuitus, fixus aspectus et contemplatio æternæ veritatis oculis mentis superformatis ac illuminatis. Ibi res omnes sunt uniformes, una veritas, et una imago in speculo Sapientiæ Dei. Ad hoc ut hanc imaginem inveniamus, agnoscamus et possideamus in essentia nostra et puritate mentis nostræ, nos fecit Deus. Et hanc aspicientes ac exercentes in divino lumine simplici intellectuali oculo, habemus vitam contemplativam.

Post hanc explicationem præparationis tum remotæ, tum proximæ ad contemplationem, simulque duorum elementorum contemplationis, nempe vacuæ imaginibus mentis et claræ intuitionis in divino lumine, jam addit

(1) Adverte et hunc gradum unitionis immediatæ *sonder middel*.

tertium, scilicet spiritum purum elevatum coram facie Dei. Purus spiritus semper inclinat se ut sequatur claram intellectionem cum nudo amore in suo principio. Pater autem noster cœlestis principium est et finis omnium quæ fiunt. In ipso incipimus omne bonum cum nuda mente in aspectu imaginibus experte. In Filio ejus aspicimus omnem veritatem intellectu illuminato divino lumine. In Spiritu sancto perficimus seu consummamus omnia opera nostra, dum nos ipsos exspiramus seu proprio spiritu nos exuimus cum nudo amore in conspectu Dei. Ibi sumus soluti et vacui ab omnibus historiis et dictaminibus. En vita contemplativa maximi ponderis. Singulis momentis incipere et perficere, amoris consilia sunt.

Tandem 7s gradus in scala amoris et sanctæ vitæ nobilissimus et supremus est contemplatio altissima et unio cum Deo suprema quam vocat Rusbrochius *sonder onderscheet, sonder differentie.*

Audiamus ipsummet, quem rursum presse sequemur, cum haud pauca difficiliora occurrant postea interpretanda. Duos modos exponit quibus ducitur internus et complativus homo ad Dei fruitionem.

Unus est, quando supra omnem agnitionem et notitiam, in nobis deprehendimus abyssale quoddam nescire; quando supra nomina omnia quæ Deo tribuimus aut creaturis, emorimur et transimus in æternum quoddam innominatum, in quo nosipsos amittimus; quando supra omne exercitium virtutum in nobis aspicimus et experimur æternum otium, in quo nulli operari licet, et supra cunctos beatos spiritus abyssalem beatitudinem, in qua omnes unum sumus, idemque unum quod ipsa beatitas est in seipsa; quando aspicimus omnes beatos spiritus secundum esse sibi excidisse, defluxisse seseque amisisse in sua superessentia, in quadam modi experte ac ignota caligine.

Aspiciemus quoque Patrem, Filium, Spiritum sanctum, Trinitatem personarum, unum natura Deum, crea-

torem omnium, qui et fecit nos in imaginem suam secundum suam figuram. Deitas sua non est operosa, est simplex otiosum esse. Si otium cum Deo possideremus, essemus cum ipso in sua deitate unum otiosum esse et æterna beatitudo. Personæ vero divinæ in fœcunditate suæ naturæ sunt unus Deus æternum operans. In simplicitate autem suæ essentiæ sunt deitas, æterna quies. Ita Deus in personis æterna activitas et in essentia æternum otium seu quies est.

Inter actionem et quietem vivit amor et fruitio. Amor vult semper operari, est enim æterna cum Deo actio. Fruitio semper otiosa esse debet, quoniam supra amorem et desiderium est, amans in amato complexa, in amore nudo imagine experte, ubi Pater cum Filio complectitur suos charos in fruitiva unitate sui Spiritus, supra fœcunditatem naturæ.

Mutuum ibi gaudium et complacentia tanta est Deum inter et amantes suos spiritus, ut hi seipsos quasi exspirent, liquefiant et diffluant, unusque spiritus fiant cum Deo in fruendo, æternum propendentes in abyssalem beatitatem ejus essentiæ.

En unus modus fruendi viventium contemplativorum hominum.

Deinde alter modus quo pervenitur ad Dei fruitionem exponitur, quo nempe nos ipsos evacuantes ab omni impedimento creaturarum, nosque ipsos abnegantes, ascendimus pura et ardenti charitate, puro spiritu, et mente imaginibus vacua in Deum.

Ibidem Rusbrochius graphice describit pugnam inexpertis ignotam amoris, cui numquam satis est. Rursumque explicat quomodo est intrandum in otium fruitionis et exeundum in bona opera, usque manendo in unione cum Spiritu Dei. Quomodo in fruendo otiosi sumus, solo Deo agente qui omnes amantes spiritus exspirat, superefformat et consumit in unitate sui Spiritus, eosque in uno incendio amoris congregat, cum Patre et Filio in unitate Spiritus sancti, ubi divinæ personæ se ipsas ex-

spirant in unitate suæ essentiæ, in infinita abysso simplicis beatitatis. Ibi nec Pater est, nec Filius, nec Spiritus sanctus, nec ulla creatura, sed solummodo unum esse, quæ est substantia divinarum Personarum. Ibi omnes unum sumus et increatum in nostra superessentia. Ibi omnis fruitio consummata est et perfecta in essentiali beatitudine. Ibi Deus est in simplici suo esse sine actione, æternum otium, caligo absque ullo modo, innominatum esse, omnium creaturarum superessentia, et Dei omniumque Sanctorum simplex abyssalis beatitas.

Verum in natura fœcunda est Pater, Filius et Spiritus sanctus, creator omnium; quo loco exponit Rusbrochius doctrinam de SS. Trinitate (1).

Tandem finiendo repetit, ut supra, mediante virtuosa vita nostra Deique gratia nos in Deo vivere, ipsoque in nobis, ita ut simus omnes una congregata unitas cum Deo in amore. Et Pater cum Filio nos comprehenderunt, complexi sunt et superefformarunt in unitate sui Spiritus. Sumusque cum divinis personis unus amor et una fruitio. Quæ quidem fruitio perfecta est in esse omni modo experte deitatis. Ibi sumus omnes cum Deo una simplex essentialis beatitudo. Ibi nec Deus est nec creatura, ad modum personalitatis. Ibi sumus omnes cum Deo sine distinctione *(onderscheet)* una abyssalis

(1) Ubi dixit « Deum esse trinitatem in sua fœcunda natura, et trinitatem esse proprietatem personarum, unitatem vero esse in natura, » addit: « Et unitas est pater noster cœlestis, creator omnium, qui vivit et regnat in nobis, unitas in trinitate, trinitas in unitate, omnipotens Deus, in supremo apice nostri esse creati. » Hæc non rite intellexisse videtur Gerardus M. Patrem cœlestem, creatorem omnium, qui vivit et regnat in nobis, intellexit de *persona* Patris, et ideo interpretando potius quam vertendo laborat ut orthodoxum acceptabilemque sensum inveniat. Nobis vero indubium videtur et obvium intelligere Patrem cœlestem, non de persona Patris, sed de Deo uno ac trino, creatore omnium rerum, ut fecimus in textu, et nobis consentit Surius, qui sic Rusbrochium interpretatur: « hæc trinitas proprietas personarum est, sicut unitas naturæ proprietas: quæ quidem noster cœlestis Pater est.... qui vivit et regnat in nobis, unitas in trinitate, et trinitas in unitate.

simplex beatitas. Ibi omnes nosipsos amisimus, nobisipsis excidimus et defluximus in quadam ignota caligine.

Hæc difficiliora de Deo, quatenus dicitur in simplicitate essentiæ æterna quies, in personis æterna activitas, etc.; pariter de unitate seu unione nostra cum Deo, sine distinctione, *sonder onderscheet,* paulo fusius exposuimus, ut interpretationem postea faciendam facilius prosequi possit lector.

Prius breviter conferemus doctrinam mysticam contentam in opusculo *De septem gradibus*, hinc quidem cum conspectu generali theologiæ mysticæ nuper a nobis, juxta doctrinam S. Thomæ Aquinatis, exposito (1); inde vero cum doctrina mystica S. Joannis a Cruce.

(Continuabitur).

---

(1) Vid. *Collat. Brugen.*, tom. XVI, p. 321, sq. et 377 et sqq.; quæ in gallicam quoque et flandricam linguas translata fuerunt *La mystique et la perfection chrétienne. Over mystiek en christelijke volmaaktheid.* De Haene-Bossuyt, Bruges, 1911.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Interpretare Psalmum 148:* Laudate Dominum de cœlis.....

R. **Auctor** hujus psalmi in textu Vulgatæ, sicut et in textu hebraico nullus indicatur; sed a versione LXX et a versione arabica indicantur Aggæus et Zacharias (duo prophetæ postexilici). Similiter versio syriaca in sua inscriptione habet: « Aggæi et Zachariæ ». Et addit, circa argumentum psalmi: « Sermo de Deo ut quemadmodum superi sic laudent inferi gloriosum Dominum exercituum Deum omnipotentem ». — Revera certum videtur hunc psalmum, sicut et duos sequentes, fuisse compositum, tempore Nehemiæ vel Esdræ, in gratiarum actionem ob liberationem ab exilio babylonico, quum Deus exaltaverat cornu populo suo, i. e. restituerat ipsi potentiam (cfr. v. 14).

Argumentum et Occasio. Psalmus se exhibet ut canticum jubilationis ob specialem protectionem a Deo exhibitam populo suo Israel, et signanter ob reductionem ipsius ab exilio et restitutionem.

Invitantur autem universæ creaturæ ad Deum laudandum (1):

1. *Cœlestia* quidem, ad laudandum Deum, qui verbo suo omnia creavit, et providentia sua omnia sustentat et gubernat, eisque leges præscribit;

2. *Terrestria* vero, ad laudandum Deum qui mirabili

---

(1) Circa hanc invitationem directam ad omnes creaturas, etiam irrationales, vide dicta *supra*, pp. 13 s.

suo interventu, hisce in terris populum suum Israel humiliatum et attritum exaltavit.

Hinc *duæ strophæ,* eodem parallelo modo dispositæ: præmissa invitatione generali: Laudate Dominum *de cœlis,* i. e. creaturæ quæ in cœlo sunt; et: Laudate Dominum *de terra,* i. e. creaturæ quæ in terra sunt; — dein enumerantur variæ creaturæ istæ, in vocativo; — et concluditur eadem formula: (Illa omnia) laudent nomen Domini, — addito singula vice motivo proprio quod supra indicavimus (1).

Textus Psalmi, juxta argumentum indicatum, et applicatis quæ infra in modum adnotationis dicentur, sic describi potest:

Iª Stropha.

1. Alleluia. — Laudate Dominum *de cœlis,*
   laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum omnes angeli ejus;
   laudate eum omnis exercitus ejus (= agmina spirituum cœlestium);
3. laudate eum sol et luna;
   laudate eum omnes stellæ lucis (= lucentes);
4. laudate eum cœli cœlorum (= cœli altissimi);
   et aquæ omnes quæ super cœlos (sunt);
8. ignis (= fulgur) et grando, nix et glacies;
   ventus procellæ (= procellosus), qui facit verbum ejus.

5. (Omnia ista) laudent nomen Domini;
   quia ipse præcepit, et creata sunt;
6. stare fecit ea in æternum, in sæculum;
   præceptum dedit, et (istud) non præteribit (unquam).

IIª Stropha.

7. Laudate Dominum *de terra.*

---

(1) Sicut hucusque in Liturgia in unum jungebantur tres ultimi psalmi (148-150), ita etiam probabiliter ab ipsa origine sua unum canticum constituebant, seu ut unum psalmum conscripti sunt.

Dracones (cete marina) et omnes abyssi (seu maria profunda);
9. montes et omnes colles;
lignum fructiferum et omnes cedri;
10. bestiæ (feræ) et universa pecora (domestica);
reptilia et volucres pennatæ;
11. reges terræ et omnes populi;
principes et omnes judices (= rectores) terræ;
12. juvenes etiam et virgines
senes cum junioribus.

13. (Omnes isti) laudent nomen Domini;
quia altum est nomen ejus solius (= quia solus ipse magnus est);
gloria ejus super cœlum et terram (= quia dignus est qui a creaturis universis laudetur):
14. Et (etenim) exaltavit cornu (= restituit potentiam) populo suo;
(quare) laus ejus omnibus sanctis ejus (= dignus qui ab omnibus sanctis suis laudetur)
(nimirum a) filiis Israel, populo appropinquanti Ipsi (= per electionem suam Deo tam proximo). — Alleluia.

Annotationes.

2. *Exercitus ejus*, *tseba'av*, ob parallelismum cum *Angelis* videtur intelligi de agminibus spirituum qui thronum Dei circumstant. Eodem sensu: Ps. CII, 20; Jos. V, 14; III Reg. XXII, 19.

3. *Cœli cœlorum*, i. e. vel universi cœli, vel cœli quantumvis extensi; vel melius: cœli altissimi. — *Aquæ omnes quæ sunt super cœlos* seu super firmamentum. De his vide supra, p. 14.

5. Verba Vulgatæ: *Ipse dixit et facta sunt*, non leguntur in textu hebraico; disturbant parallelismum membrorum, et melius omitterentur.

8. Hic vs. juremerito, ut videtur, huc transponitur. Etenim, præterquam quod in textu actuali numerus vss. non idem est in utraque stropha parallela (6 in priore, 8 in altera), creaturæ quæ in v. 8 enumerantur, modo concipiendi et

loquendi in usu apud Hebræos, melius citantur inter cœlestia. Vide in cantico *Benedicite*, supra, pp. 14 ss. — *Glacies:* sic legit S. Hieronymus, et versio arabica; versio syriaca: *gelu*. Reliquæ versiones et textus hebraicus habent: *vapor* (?).

6. Deus, universi gubernator, præceptum dedit omnibus creaturis istis, orbitam et locum ipsis assignando. Hoc præceptum *non præteribit*, sed in æternum manebit; — vel: creaturæ istud nunquam transgredientur.

11. *Judices* terræ, sensu usitatissimo, designat rectores seu principes.

13-14. Sensum qui videtur his vss. dandus indicavimus in textu. *Alleluia*, ponitur in initio et in fine psalmi, sicut etiam in ps. 149 et 150. Fuerit forte responsorium a populo post singulum vs. repetendum. — *Allelou-Yah*, laudate Dominum.

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Explica et demonstra hoc assertum:* In Christo non datur nisi unum esse substantiale actualis existentiæ.

R. I. **Explicatio.**

1. Ex divina Revelatione cognoscimus Christum esse verum Deum et verum hominem, nempe Verbum, Personam divinam, factum esse hominem, proinde *unum eumdemque* esse perfectum in deitate et perfectum in humanitate.

Eadem porro veritas exprimitur dicendo in Christo esse *unicam personam* et *duas naturas*. Et hoc omnes catholici credunt et confitentur.

At quæstio nostra spectat *ulteriorem* explicationem de *unicitate personæ* in Christo et inquirit utrum, supposita unicitate personæ in Christo, consequenter admittendum sit in Ipso dari unum *esse* substantiale actualis existentiæ (1).

---

(1) Non igitur formaliter *idem* dicit ille qui affirmat esse in Christo *unam personam* ac ille qui affirmat esse in Christo *unum esse substantiale*

2. Vocabulo *esse* hîc intelligitur id quo aliquid est formaliter actu *existens,* seu positum extra statum possibilitatis in ordine physico rerum; hic sensus explicatur per verba: *actualis existentiæ.*

Inde in memoriam revocemus distinctionem inter essentiam et existentiam. « Ens reale resultare concipitur ex duobus internis principiis invicem intime connexis: ex *essentia* scil., qua unaquæque res constituitur in convenienti sibi gradu definitæ realitatis [h. e. speciei]; et ex *existentia*, qua quæque res propriæ suæ realitatis fungitur actuali exercitio ut *sistatur extra mentem* et (si de re causata sermo sit) *extra suas causas*... Existentia... accedit ad essentiam plene jam formaliter constitutam, tamquam perfectio seu actus novi ordinis, physici scil. realitatis exercitii » (1).

3. Quando agitur de Christo, imprimis evidens est Verbum, Personam nempe divinam, ab æterno et immutabiliter existere et proinde proprium sibi habere esse substantiale actualis existentiæ (2). Quapropter quando quæritur utrum in Christo sit tantum unum esse substantiale actualis existentiæ, quæstio ad hoc reducitur: utrum sit in Christo tantum *esse* substantiale *divinum,* utrum nempe assumpta humana natura fiat actu *existens* per ipsissimum esse divinum secundæ Personæ SS. Tri-

---

actualis existentiæ; imo licet ad fidem catholicam pertineat esse in Christo unam personam, non ad hanc fidem pertinet esse in Christo unum esse substantiale.

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 197. « Illud *esse,* seu existentia, dicitur a S. Thoma: *actus entis in quantum est ens,* id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura ». *Quodlibetum IX,* a. 3. Hoc igitur *esse* est ultima actualitas essentiæ et id quo ipsa essentia fit existens seu ponitur in rerum natura. Inde nec essentia, nec existentia (seu actus existentiæ) concipiendæ sunt ut *quod* est, sed utraque ut *quo* est aliquid, sed in alio et alio ordine.

(2) Licet esse divinum sit omnino idem ac natura divina et proinde communis tribus Personis, tamen divinæ Personæ realiter ab invicem distinguuntur, quia et quatenus sunt *incommunicabilis relatio subsistens,* subsistens nempe per esse divinum. Cf. *Collat. Brug.*, t. III, 553; VIII, 263, 432, 475.

nitatis, et non per esse substantiale creatum, realiter distinctum ab esse divino: si assumpta humana natura esset actu existens per actum existendi creatum, realiter distinctum ab esse substantiali divino, tunc essent in Christo duo esse substantialia actualis existentiæ: unum nempe *divinum*, alterum autem creatum (1).

Quæstioni propositæ respondemus, cum S. Thoma (2), in Christo esse tantum *unum esse substantiale* actualis existentiæ, nempe esse divinum, ita ut esse æternum Filii Dei fiat esse substantiale humanæ naturæ assumptæ, aliis verbis: esse æternum Filii Dei supplet illum

---

(1) Hic actus existendi esset *substantialis:* quia humana natura est substantia. Nihil impedit quominus sint in Christo diversa esse *accidentalia:* plura enim sunt accidentia inhærentia humanæ Christi naturæ, v. gr. intellectus, voluntas, scientia, gratia sanctificans, etc.

(2) Cf. S. Thomas, in III, dist. 6, Q. 2, a. 2 et 3; *Quodlibetum IX*, a. 3; *Summa theologica*, 3, q. 17, a. 2; *Compendium Theologiæ*, c. 212; Capreolus, in III, dist. 7, Q. I. Edit. Turonibus, 1904, t. V, p. 111 ss.; Cajetanus, in 3, q. 17, a. 2 qui h. l. n. V, ait: « Procul dubio... doctrina Auctoris [S. Thomæ] est in Christo non inveniri aliquod esse actualis existentiæ substantiale nisi esse existentiæ divinum ». Eodem modo S. Thomam interpretantur et hujus sententiam propugnant, inter recentiores, Terrien, *S. Thomæ Aq. doctrina sincera de unione hypostatica*, Parisiis, 1894, p. 162 ss.; Card. Billot, *De Verbo Incarnato*, thes. VII, § 4, Romæ, edit. 3ª, 1900, p. 125; Janssens, *De Deo-Homine*, P. I, Friburgi Br. 1901, pp. 607, 626; Van Noort, *De Deo Redemptore*, Amstelodami, 1904, n. 47; Van Crombrugghe, *De Verbo Incarnato*, Gandavi, 1909, p. 58; Manzoni, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Augustæ Taurinorum, 1911, Vol. III, Tract. VIII, n. 106 ss.

Circa sententiam S. Thomæ movetur difficultas ex scripto: *De unione Verbi Incarnati*, quod invenitur inter *Quæstiones disputatas S. Thomæ*. Si hæc disputatio genuina sit, dicendum est, cum Cajetano, *o. c.*, n. VI, opinionem ibi propositam fuisse retractatam in *Summa theologicæ*. Non desunt Auctores qui dubitant de genuinitate prædicti operis; et hoc jam innuit Cajetanus dicendo: « Quæ [quæstiuncula] rationabilius creditur colligendo condita inter schedulas disputationum inventa quam unquam edita a divo Thoma ». *O. c.*, l. c. Hæc tamen quæstiuncula inter authentica S. Thomæ scripta adnumeravit nuperrime cl. P. Mandonnet, *Des écrits authentiques de S. Thomas d'Aquin*, Fribourg, 1910, p. 106.

A sententia S. Thomæ omnino discedit Suarez, *De Incarnatione*, disp. 36, sect. 1, aliique quos citant et, in hoc punto, sequuntur Franzelin, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 1869, thes. 34; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, Friburgi Br. 1896, t. IV, n. 106.

actum existendi creatum quo humana natura assumpta fieret actu existens, si non assumeretur, ita tandem ut humana in Christo natura sit actu existens per eumdem actum divinæ existentiæ quo ipse Filius Dei ab æterno existit.

II. **Demonstratio.**

Si in Christo essent duo esse substantialia actualis existentiæ, essent in Christo duæ personæ; atqui hoc est falsum imo hæreticum, ergo.

Declaratur antecedens. Uti suprà diximus, in Christo est esse substantiale actualis existentiæ *divinum;* remanet consideratio de esse substantiali actualis existentiæ *creato.* Porro si humana natura in Christo existeret per actum existendi ipsi proprium et realiter distinctum ab esse Verbi Dei, hæc humana natura eo ipso esset suppositum seu persona, et sic in Christo haberetur et humana persona et altera, sc. divina.

Etenim in Christo humana natura est substantia, eaque singularis h. e. propriâ animâ propriâque materiâ constans, proinde limitata ac definita sicut omnis humana natura, et distincta seu divisa ab omni alia humana natura existenti. Proinde si humana Christi natura haberet propriam existentiam seu existeret actu existendi ipsi proprio, esset in se *simpliciter individuum,* esset ens in se primo et simpliciter divisum ab ente, et non posset uniri alii enti nisi *accidentaliter,* sicut v. gr. lapis qui prius seorsim jacet in terra et postea unitur lapidibus aliis ad efficiendam domum. Natura igitur humana si existeret proprio essendi actu, esset et remaneret necessario *ens,* in linea entis actu existentis, *simpliciter distinctum,* essetque *secundum semetipsum,* h. e. proprio existendi actu, existens et proinde *distinctum subsistens;* quum esset distinctum subsistens in *natura rationali* esset *persona.* Consequenter essent in Christo duo supposita, duæque personæ (1); nec

(1) Cf. Card. Billot, *o. c.,* p. 116, 132. — Quoad ulteriorem refuta-

amplius haberetur unitas hypostatica. Inde coarctat angumentum S. Thomas his verbis: « Unumquodque secundum quod dicitur ens, dicitur unum: quia unum et ens convertuntur. Si ergo in Christo essent duo esse [substantialia] et non tantum unum, Christus esset duo, et non unum » (1).

Adnotatio. Conclusio, quam demonstravimus, objective præsupponit *realem* esse distinctionem inter *essentiam* creatam et ejus *existentiam* (seu esse seu ipsum actum existendi): si enim non esset realis prædicta distinctio, nempe si omnis essentia creata existens esset realiter idem ac suum esse seu actus quo fit existens, tunc impossibile foret ut humana natura in Christo careret suo proprio actu existendi et fieret existens per *ipsum esse personale Verbi Dei.*

Sententia de reali distinctione inter essentiam et existentiam demonstratur propriis argumentis in philosophia (2); sed illam etiam ex ipso dogmate de unicitate Personæ in Christi logice censemus inferri tamquam conclusionem theologicam (3).

J. Van der Meersch.

III

Q. Act. Ap., II, 38, VIII, 16, X, 48 et XIX, 5, *legitur quosdam fuisse baptizatos* in nomine Jesu: *ostende illud factum conciliari posse cum doctrina catholica circa formam Baptismi, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti administrandi.*

R. 1. **Doctrina catholica,** docens Baptisma esse *pro*

---

tionem sententiæ tenentis personalitatem formaliter consistere in aliquo *modo substantiali terminante* naturam singularem cf. ID., *o. c.*, p. 120-124; Van Noort, *o. c.*, n. 56-57; Van Crombrugghe, *o. c.*, p. 60 s.

(1) 3, q. 17, a. 3. *Sed contra.*

(2) Hanc distinctionem docuisse S. Thomam constat: cf. Card. Billot, *o. c.*, p. 57; Janssens, *o. c.*, 627; Card. Mercier, *Ontologie*, Louvain, 1902, p. 110; quoad sententiam aliorum scholasticorum hac de re, cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 375; *Revue thomiste*, 1911, p. 445.

(3) Cf. Card. Billot, *o. c.*, p. 119.

valore administrandum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, idque ad cujuscumque alterius formæ exclusionem, nititur in traditione ecclesiastica et Ecclesiæ magisterio: quemadmodum apparet ex variis documentis SS. Patrum (1), Pontificum ac Conciliorum, signanter ex rescripto Pelagii ad Gaudentium (2), ex decreto Eugenii IV, in Concilio Florentino, necnon ex canone 4° Sessionis VII, *de Baptismo,* Synodi Tridentinæ.

Huc etiam spectat consuetudo antiquissima baptizandi *trina* mersione, quippe quæ aptè correspondeat triplicis Personæ SS. Trinitatis invocationi; quam invocationem, in sacramenti collatione, ipso apostolico tempore adhibitam fuisse, innuitur quoque apud *Act. Apost.*, XIX, ubi S. Paulus narratur discipulos Ephesinos reperiisse in ignorantia Spiritus Sancti, eosque ideo interrogasse in quo essent baptizati, sic innuens non posse fieri ut Spiritum Sanctum ignorarent si rite fuissent abluti (3).

2. **Conciliatio** dictæ doctrinæ cum locis citatis *Act. Ap.* proponi potest *duplex:*

Vel a/ locutio « baptizari in nomine Jesu » ita explicatur ut non exhibeat formulam in Baptismatis ministratione usurpandam, sed potius significet indolem Baptismi ejusque distinctionem ab alio quolibet, speciatim a baptismo Joannis (cf. *Act. Ap.*, XIX, 3 et 5),

---

(1) Cf. SCHANZ, *Die Lehre von den hl. Sacramenten der kathol. Kirche,* Freiburg i. B., 1893, p. 230 ss.; PESCH, *Prælectiones Dogmaticæ*, Friburgi Br., 1908, 3ª ed., VI, n. 381; SASSE, *Institutiones theologicæ de Sacramentis Ecclesiæ,* Friburgi Brisg., 1897, I, p. 207 ss.; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik,* Paderborn, 1906, III, p. 117 s.; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogmatische Theologie,* Mainz, 1901, IX, p. 282 s.; VAN NOORT, *Tractatus de Sacramentis,* 1905, n. 187-190.

(2) DECRETUM GRATIANI, *De Consecratione,* Dist. IV, cap. 30.

(3) « Cette réflexion de l'Apôtre, établissant un lien immédiat et spontané entre le baptême et le Saint-Esprit, suppose clairement qu'on faisait mention de ce dernier dans l'administration du sacrement ». *Dictionnaire de théologie catholique*, Paris, 1905, v° *Baptême,* col. 172.

quatenus nempe urgeat illud esse Baptisma Christi, a Christo institutum, virtute et auctoritate Christi conferendum, ac per illud neophytos ad nominis Jesu ejusque religionis professionem deputari, ac adeo Christo Domino incorporari ejusque familiæ inseri.

Huic sensui haud ægre accomodatur locutionis tenor, tam in Vulgata quam in textu græco. Formula nimirum εἰς τὸ ὄνομα, uti legitur *Act. Apost.*, VIII, 16 et XIX, 5, attento usu scripturistico, aptissima est quæ notet incorporationem in Christum ejusque familiam; formula: « baptizari ἐν τῷ ὀνόματι » (*Act. Ap.*, X, 48) importat Baptismum suscipi virtute et auctoritate alicujus (cf. *Marc.*, XVI, 17 et 1ª *Cor.*, VI, 11); tandem in formula ἐπὶ τῷ ὀνόματι, quæ occurrit apud *Act. Ap.*, II, 38, ἐπὶ varians videtur esse lectio pro ἐν; ac cæteroquin ἐπὶ apte significaret Baptisma conferri in fide Christi Jesu.

Juxta hanc proinde explicationem, Baptismus censetur fuisse semper ministratus nomine SS. Trinitatis, nec unquam pro valida forma habita fuit invocatio nominis Jesu; Baptisma autem sic collatum in nomine P. et F. et Sp. S[i], dicebatur Baptisma Christi, quatenus virtute Christi efficaciam haberet, ac neophytos Christo incorporaret.

Quæ interpretatio egregie confirmatur ex *Doctrina XII Apostolorum* (circa finem sæculi I[i]): ex una parte nitidè et expresse docetur (c. VII, 1 et 3) (1) formam adhibendam esse in nomine P. et F. et Sp. S[i], et ex alia parte ibidem, c. IX, 5 (2), legimus fideles baptizari *in nomine Jesu* (3).

---

(1) Vers. 1: « baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti... »; vers. 3: « effunde in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Editio *Funk*, Tubingæ, 1887.

(2) « Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum actione (ἀπὸ της εμχαριςτίας ἡμων), nisi qui baptizati sunt *in nomine Jesu* ».

(3) Dantur Auctores qui censent, antiquitus morem fuisse ut, momento Baptismi nomine SS. Trinitatis collati, alta voce proclamaretur nomen Jesu. Ita Koch, *Die Taufe im Neuen Testament* (Biblische Zeitfragen), Münster i. W., 1910, p. 8. Contra est quod nullum apparet ullibi vestigium hujusmodi consuetudinis.

Vel b/ Sustineri potest Christum quidem pro forma Baptismi determinasse distinctam SS. Trinitatis invocationem (1), sed ita ut hanc formam noluerit urgere tanquam fixam et immobilem, ne varietur, ad modum quo diximus suprà, apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 631 s., ubi de institutione sacramentorum: juxta hanc sententiam relicta fuisset aliqua latitudo Apostolis et futuræ Ecclesiæ, quatenus potuerint, salvo valore, illam formam, infra certos limites, moderare, ampliare vel restringere.

Quod si admittatur, facilè liquet hæc duo simul posse consistere: ex una parte Ecclesiam *nunc* pro forma unicè valida urgere invocationem SS. Trinitatis, et ex alia parte *olim* usurpatam fuisse diversam formam æque validam, talem nimirum quæ cum priori forma quamdam analogiam retinuerit (2); posset etiam in posterum alia forma, servatis servandis, ab Ecclesia induci.

Porro, omnibus perpensis, præferendam censemus solutionem priorem; non videtur tamen reprobanda altera, eamque tutó invocare possent quibus prior non placuerit, quemadmodum eruitur ex generali theoria de institutione sacramentorum, de qua l. c., et ex *ibidem,* p. 639, dictis de institutione Baptismatis in specie.

Hoc ultimo loco, in nota, adduximus auctoritatem S. Bonaventuræ et Ruardi Tapper, qui descriptam

---

(1) Ad hoc provocatur ad textum *S. Matthæi,* XXVIII, 19, verba Christi ita sumendo ut referant formulam in conferendo Baptismate adhibendam: non quod ex seipsis hunc sensum exigant (possunt namque significare omnes esse Baptismo devovendos et consecrandos in SS. Trinitatis communionem), sed quod ita fuerint in traditione ecclesiastica intellecta. Cf. Knabenbauer, *Evangelium sec. S. Matthæum,* Parisiis, 1893, p. 563 s.; Koch, *o. c.*, p. 6.

(2) Formulæ « ego te baptizo in nomine Jesu » non deest hujusmodi analogia cum forma invocante SS. Trinitatem: « qui enim, ait *Catech. Conc. Tridentini,* P. II, cap. 2, n. 15, Jesum Christum dicit, simul etiam Patris personam, a quo unctus, et Spiritum Sanctum, quo unctus est, significat ».

alteram sententiam a veritate catholica non habent alienam, horumque suffragrio addi posset suffragium plurium Scholasticorum (1), præeunte Petro Lombardo (2), imo et ipsius S. Pontificis S. Nicolai I (3), necnon Catechismi Concilii Tridentini, l. c. Non omnes tamen eodem modo loquuntur nec eamdem latitudinem admittunt in potestate moderandi formæ tenorem, a Christo Domino propositum: hanc mutandi potestatem restrinxerunt nonnulli ad solos Apostolos, Spiritus Sancti afflatu motos, dum alii eam latè extenderunt, imo eousque processerunt ut, juxta ipsorum doctrinam, hodiedum agnoscendus foret valor Baptismatis in nomine Jesu ministrati; quod sanè dici non posset.

IV

Q. *Expone doctrinam de necessitate medii sacramenti Baptismatis.*

R. *Sacramentum Baptismatis est ad salutem necessarium necessitate medii, supplebiliter.*

1. Est necessarium **necessitate medii**, seu existit medium necessarium ad salutis consecutionem, a. v. positive conducit ad gratiæ et salutis adeptionem, et qua tale (i. e. qua positive conducens) requiritur. Cf. notiones quas apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 389 ss., proposuimus.

Omnes in hoc conveniunt, Baptisma omnibus esse necessarium ad minus *de præcepto*, quod indubiè continetur in verbis Christi Domini ad Nicodemum (*Joan.*,

---

(1) Cf. Koch, *o. c.*, p. 7; Turmel, *Histoire de la Théologie positive*, 2e éd., Paris, 1904, p. 297 ss.

(2) *Sententiarum* L. IV, dist. 3ia.

(3) *Ad Consulta Bulgarorum* (866): « Hi (baptizati scil. a Judæo quodam) profecto, si in nomine SS. Trinitatis vel tantum *in nomine Christi*, sicut in *Act. Ap.* legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuò baptizandos » Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, Friburgi Br., 1911, n. 335.

III, 5 : « Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei ».

Quod autem non tantum sit necessitas præcepti, sed *necessitas medii*, eruitur præprimis

a/ ex doctrina Ecclesiæ circa infantes Baptismo præmortuos, quippe quos docet cœlesti gloria privandos. Quodsi infantibus, ad intrandum regnum cælorum, necessarium est Baptisma, signum est quod hujus necessitas non sit solius præcepti, cum præceptum in infantes cadere nequeat.

b/ Confirmatur etiam ex ipsa insistentia Christi ad inculcandam necessitatem (amen, amen dico tibi), Ejusque verborum omnimoda generalitate.

Cujus argumenti confirmatorii vis non parum augetur ex comparatione quam ipse Christus instituit inter generationem corporalem et regenerationem spiritualem (cf. vers. 4 et 6) : qua attenta comparatione, apparet Christum necessitatem spiritualis regenerationis per Baptismum æquo gradu urgere ac necessitatem generationis ad vitam corporalem.

Ulterius indagando circa naturam assertæ necessitatis medii, dicendum est eam non procedere *ex natura rerum*, sed *ex positiva ordinatione Dei:* habitudo nempe Baptismatis, tanquam medii necessarii ad justificationem et salutem, non oritur ex ipsis essentiis rerum, neque absolutè et ante omnem hypothesim, neque etiam in supposito elevationis ad ordinem supernaturalem ; Baptismus est a Christo institutus in ratione medii ejusque necessarii ad salutem.

2. Necessitas medii est **supplebilis**.

Argumentum generale est in hoc quod ex una parte, cum necessitas medii non oriatur ex natura rerum sed ex sola positiva ordinatione Dei, nihil obstat quominus relaxetur illa necessitas ac derogationes admittat ex divina voluntate ; et quod ex alia parte voluntas salvifica universalis postulat ut cœlestis beatitudinis accessus

non denegetur hominibus, omne quod in se est facientibus et quibus, citra omnem ipsorum culpam, deest copia sacramentum Baptismatis suscipiendi.

Porro defectui sacramenti suppleri potest

a/ Per *Baptismum flaminis,* seu desiderii : per actum scil. charitatis seu contritionis perfectæ, votum sacramenti implicite saltem continentem.

Et sanè « in præsenti ordine actus perfectæ charitatis natura sua est dispositiò exigens infusionem gratiæ sanctificantis; non quod gratiam de condigno mereatur, sed quia, supposita voluntate Dei salvificandi omnes homines, impossibile est ut Deus non convertatur ad animam Ipsum ex motu gratiæ actualis perfecte quærentem » (1). Quam charitatis efficaciam urget Ecclesia in damnatione propositionis Baii 31ª : « Charitas perfecta et sincera..., tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum » (2).

Supposita autem sacramenti necessitate modò vindicata, sub 1º, actus charitatis perfectæ non potest non includere, saltem implicitè (in voluntate scil. servandi mandata), propositum suscipiendi sacramentum ; sed sedulò notandum est votum illud, in charitatis actu, ad justificationem requiri non tantùm ut conditionem sine qua non, ut removens prohibens, sed ut elementum ad illam positivè conducens : quo pacto optimè salvatur dependentia hujus medii subsidiarii a medio primario, ex Christi institutione pro norma adhibendo.

b/ Per *Baptismum sanguinis,* seu per martyrium, circa cujus efficaciam cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 316 s., coll. tom. X, p. 657 ss. (3).

Nota 1º Non eadem habitudine sese habent ad sacramentum Baptismatis, Baptismus flaminis et Baptis-

---

(1) Van Noort, *o. c.*, n. 210.

(2) Denzinger-Bannwart, *o. c.*, n. 1031.

(3) Circa conditiones ad martyrium requisitas, cf. *ibidem,* t. III, p. 309 ss.

mus sanguinis. Solus horum prior medium est *proprio sensu suppletivum,* quia in ipso solo salvatur intrinseca dependentia a medio primario sacramenti suscipiendi: martyrium namque justificat et ad salutem conducit independenter a sacramento et absque ejusdem voto, quemadmodum liquidò apparet in infantibus martyribus, ita ut, in adultis martyrium subeuntibus, voluntas sacramentum suscipiendi non postuletur nisi qua removens prohibens.

2° Licet triplex distinguatur Baptismus, quo ad justificationem perveniri possit, Baptismus nempe fluminis (= sacramentum), flaminis et sanguinis, tamen *non* est dicendum *tria esse instituta media regenerationis.*

Nimirum Baptismus flaminis, juxta notionem datam, est medium essentialiter dependens a medio principali, a sacramento, siquidem absque hujus voto, eoque positivum influxum exercente, justificare nequit, ac proinde unum censetur regenerationis medium constituere cum sacramento. Quod autem spectat Baptismum sanguinis, non est nisi medium prorsus extra normam positum, nec potest dici a Christo ordinatum vel ab Ipso intentum, ne subsidiaria quidem intentione, cum præsupponat necessario nefariam malitiam tyranni persecutoris.

A. De Smet.

V

Q. *Faites connaitre l'hérésiarque Tanchelm et les erreurs qu'il répandit dans les Pays-Bas, au commencement du XIIIe Siècle* (1).

R. Le démagogue Tanchelm, probablement origi-

(1) Les manuels et les ouvrages généraux, tels le *Kirchenlexicon* de Wetzer et Welte et *Realencyklopädie* de Hauck, verbo *Tanchelm,* ne consacrent qu'une courte mention au novateur. Car bienque son influence ait été grande, elle n'a été qu'éphémère et n'a guère dépassé les limites des Pays-Bas. Remarquons cependant que vers le même temps on ren-

naire des Pays-Bas, fut le chef d'une de ces sectes de fanatiques, nombreuses au moyen âge, qui en voulaient surtout à l'Église, à la hiérarchie établie et au pouvoir qu'elle exerçait. Sa doctrine, ou plutôt le thème de ses discours séditieux, ainsi que quelque rares détails concernant sa vie et le succès de ses prédications, nous sont surtout connus par une lettre que le clergé d'Utrecht adressa, en 1112, à l'archevêque Frédéric de Cologne (1). Nous donnerons, d'après cette lettre, d'abord un aperçu de la doctrine subversive de Tanchelm, ensuite les détails connus de sa vie.

I. **Doctrine subversive de Tanchelm.**

Le thème des sermons incendiaires de Tanchelm ne forme pas un corps de doctrine : son enseignement est presque uniquement négatif et peut se réduire aux quatre ou cinq articles suivants, que nous copions textuellement de la lettre citée :

Hanc vitam « actuosam per virtutes morales cum charitate conjunctas » distinguit a vita strictius dicta interna, quæ consistit in « exercitationibus internis simul cum ipsa vita activa » estque quintus gradus in præsenti opusculo (1).

Quod autem vita, tum actuosa, tum stricte interior refertur ad unionem contemplativam ut finem eique subordinatur, ut diximus, id quoque Rusbrochius facto probat, cum totam vitam interiorem referat ad contemplationem.

Notatu etiam dignum est Rusbrochium, ad septimum iam gradum cum pervenerit, monere utramque vitam non esse disjungendam : « Intrare, *ait,* in otiosam fruitionem, et exire in bona opera, simulque manere semper unitos Spiritui Dei, hoc est quod sentio ». Et rursum paulo infra: « Attamen oportet nos semper ascendere et descendere gradus nostræ cœlestis scalæ in interioribus virtutibus et exterioribus operibus bonis, juxta præcepta Dei et ordinationem sanctæ Ecclesiæ, ut supra dictum est ».

Quod jam quatuor stadia attinet vitæ contemplativæ, quæ enumeravimus, nullo labore ostendemus doctrinam ex S. Thoma expositam re ipsa cum septem gradibus amoris B. Rusbrochii optime convenire.

Et primum quidem stadium, quæ est ascesis et præparatio moralis seu via purgativa ad unionem contemplativam, percurrit, ut jam diximus, Rusbrochius quatuor prioribus gradibus, ubi instat plurimum, ut et nos

(1) Cf. *De ornatu spirit. nuptiarum*, l. II, c. III.

fecimus, mortificationi christianæ et veræ humilitati. Confer etiam in quinto gradu digressionem de duplici via, necnon de cœlestibus melodiis, ad primum, secundum et tertium modum cœlestis cantus.

Secundum stadium, quæ est præparatio præprimis intellectualis cum affectu perfectæ charitatis, atque via illuminativa ad contemplativam unionem, pertractat Rusbrochius in quinto gradu.

Jamvero quod initio secundi stadii ex S. Thoma monuimus, scilicet nos, inspecta natura nostra composita, ad uniformem intuitum contemplationis pervenire non posse, nisi amoveatur duplex difformitas, altera quæ est ex diversitate exteriorum rerum, et amovetur quatenus anima relinquit exteriora, introiens ab aliis ad seipsam; altera, quæ ex discursu rationis oritur, quæque removetur reducendo omnes animæ operationes ad simplicem contemplationem veritatis; hoc idem Rusbrochius advertit dum sæpius inculcat oportere ut simus imaginibus vacui ad hoc ut videre possimus regnum Dei (1); ad contemplationem requiri memoriam curis liberam et imaginibus solutam; et rursum mentem vacuam, imaginibus expertem; nos in Patre cœlesti incipere omne bonum cum nuda mente in aspectu imaginibus experte; et expresse addit: Ibi res omnes sunt *uniformes*, una veritas, et una imago in speculo Sapientiæ Dei (2).

---

(1) In 5º gradu, paulo ante digressionem de cœlesti melodia.

(2) In 6º gradu. — Alio in opusculo, nempe *De vera contemplatione* (apud Surium) alias *De duodecim Beghinis*, distinguit imagines sensibiles et intellectuales; sic habet: « Porro ultra hoc exercitum (nempe considerationis ac meditationis Christi, Dei et Hominis, ejusque vitæ, mortis, gloriæ) omnesque sensibiles de Christo conceptas imagines, spiritus puritate elevati simus oportet in internam spiritalem vitam et imagines intellectuales ut veritatem, sapientiam et virtutes omnes spiritum exornantes atque illustrantes in conspectu Dei cognoscamus. Sed et supra hæc omnia nudum ac imaginibus vacuum in divino lumine adspectum, ad æternam veritatem, quæ Christus ipse est, habere debebimus, atque illic munditia cordis et spiritus puritas consummata est. Ibi tum Deum conspiciemus.... »

Deinde quod actus attinet contemplationi prævios, quos juxta S. Thomam in eodem secundo stadio enumeravimus, quorum tres ad acceptionem principiorum pertinent, quatuor vero ad deductionem ex eisdem principiis, eos actus apud Rusbrochium haud ægre reperies.

Tres priores actus, quibus accipimus principia ex quibus proceditur ad contemplationem sunt auditio doctrinæ sacræ, lectio Scripturarum et Doctorum, et oratio quæ fons est interni luminis.

Jamvero Rusbrochius auditionem doctrinæ fidei et lectionem divinarum Literarum et Patrum nos facto docet, eo ipso quod non semel, juxta christianam fidem, ut ait, exponit doctrinam Dei creatoris, SS. Trinitatis, incarnationis Verbi etc. quemadmodum vidimus.

De oratione vero agit ex professo, in hoc quinto gradu, ubi de secundo modo exercitativo, perpulchre enarrans quomodo expetere debemus dona Spiritus sancti, ipsumque tandem Spiritum postulare et exigere.

Quatuor actus deductivi ex principiis, scilicet cogitatio, consideratio, meditatio et speculatio, in hoc quinto gradu continuo exercentur a Rusbrochio atque diriguntur in finem contemplationis, ut legenti patet; ita quidem ut se invicem excipientibus continuoque magis evolutis considerationibus et meditationibus unctione plenis de Deo creatore, de summa Trinitate, de Christo et Beata Virgine, de cœlestibus spiritibus, de mirabili ludo ac pugna amoris, de cœlesti gloria, lectorem præparet et pedetentim conducat in hoc eodem quinto gradu, ad profunda Dei quæ, de altissima contemplatione agens, eructabit in sexto et præsertim septimo ac ultimo gradu.

Quod nominatim speculationem attinet, qualem definivimus in nostri tractatuli stadio secundo, tamquam transitu ad tertium stadium, Rusbrochius eamdem speculationem expresse commendat in initio quinti gradus, ut suo loco notavimus.

Jam de tertio stadio nostro, quod aliud non est quam speculatio prædicta Deo applicata, quem contemplemur in suis operibus, vix aliquid addendum est, cum de illa Dei speculatione valeat quod modo de Rusbrochii commendatione dicebamus.

Quod autem ibi addidimus, Deum non esse longe a nobis quærendum, cum et in nobis sit et Spiritus sanctus habitet in nobis, opportunius cum Rusbrochii doctrina conferemus alio in loco, ubi de unione cum Deo juxta ejusdem Contemplatoris sententiam dicemus.

Pariter de ipso actu contemplandi seu quarto stadio nostro cum Rusbrochii doctrina conferendo melius infra agemus, ubi difficiliora ejusdem Doctoris divini interpretabimur.

Idem valet de quinto stadio, seu de actibus consequentibus contemplationis ipsius actum, nempe de admiratione et fruitione, qui terminus sunt contemplationis. De fruitione enim ex Rusbrochio fusius agendum erit.

De admiratione tamen verbulum addere possumus, scilicet, cum Rusbrochius plura habeat de fruitione, in sexto et præsertim septimo suo gradu, de admiratione ibidem expresse nihil dicit. Eamdem tamen ut consequentem ad contemplationem non omnino reticet, siquidem in quinto gradu ubi de speculatione Dei agit, eamdem commemorat, dicens ex speculatione divinarum perfectionem rationem nostram et intellectum rapi in admirationem, et amorosum desiderium nostrum accendi ut Deo demus digna laudem et honorem, ut suo loco advertimus (1).

Videtur autem Rusbrochius censere admirationem in suprema contemplatione jam deficere. Ait enim: « Ubi mira hæc (amorosi complexus divinarum personarum) sine admiratione et intelliguntur et gustantur, ibi spiritus supra seipsum sublevatus, unum cum Dei spiritu effectus est, etc. (2) ».

---

(1) Cf. *De ornatu spirit. nuptianem*, l. II, c. XXXIX (alias XXXVIII).
(2) Op. cit., l. III, c. ult. seu XIV.

VI

Jam transimus ad instituendam brevem comparationem doctrinæ mysticæ tum a nobis ex S. Thoma expositæ, tum a Rusbrochio in opusculo de septem gradibus amoris, cum doctrina alius celeberrimi Contemplatoris, nempe S. Joannis a Cruce. Quod quidem ideo facimus, tum ut pateat Sanctos contemplativos, etsi forma et methodo discrepent, optime tamen in ipsa doctrina sibi concinnere, tum ut lectoris pii et ad opera Sancti Joannis a Cruce in re mystica insignia sit accessus facilior (1).

Itaque, sicut S. Thomæ et B. Rusbrochio, ita S. Joanni a Cruce perfectio est in unione animæ cum Deo (2) seu perfecta unione amoris (3).

Sæpius quoque distinguit expresse idem Sanctus gradus incipientium, proficientium et perfectorum, ut videbimus; et pariter viam purgativam, illuminativam et unitivam vel expresse, vel æquivalenter.

Primum autem initium incipientium, cui quidem charitas seu status gratiæ, apud omnes, supponitur, dicitur a S. Joanne firma resolutio serviendi Deo (4) quæ a

---

(1) Recentius apparuit operum S. Joannis a Cruce versio gallica ex originali hispanico (Paris, H. Oudin, 1910) cui titulus *Vie et œuvres de l'admirable Docteur mystique le B. Père S. Jean de la Croix*, traduction nouvelle faite sur l'édition de Séville de 1702, publiée par les soins des Carmélites de Paris, 5e édition. Constat tomis quatuor et videtur aliis editionibus magis completa. Utiliter leges Præfationem (tom. II) R. P. Chocarne, O. P.

Hæc versio nobis videtur opportune recognoscenda, cum hic illic sive punctuationis saltem, sive et rectæ interpretationis defectu, minus accurata appareat. Cujus defectus origo aliqua videtur in eo esse quod translator minus instructus fuerit quam ipse sanctus Auctor habitu theologiæ scholasticæ; quem habitum si aliquatenus supplet amor illuminativus et scientia mystica contemplativi lectoris (ut notat Sanctus, t. IV, *Le Cantique spirituel*, Prologue) ipsum translatorem eodem habitu carere non decet.

(2) Vid. *La Montée du Carmel*, Expos. du sujet.

(3) Ibid., *Prologue*.

(4) Vid. *La nuit obscure*, l. I, chap. I, p. 242 tomi 3i (citamus editionem supra indicatam).

bona voluntate in primo gradu Rusbrochii nihil distat, seu excludit contraria charitati, ut loquitur S. Thomas.

Tunc ingrediuntur incipientes viam purgativam, quæ complectitur 2^{m}, 3^{m} et 4^{m} gradum Rusbrochii, quamque et consiliorum viam appellare possumus; quæ omnia cum doctrina juxta S. Thomam exposita vidimus (1) optime convenire. Estque hoc primum stadium seu præparatio moralis, ascetica, ad unionem contemplativam.

Sequitur secundum stadium seu præparatio intellectualis ad contemplationem, per viam nempe illuminativam qua procedunt proficientes (5^{s} gradus Rusbrochii), ubi rursum vidimus consensum doctrinæ ex S. Thoma haustæ cum doctrina Rusbrochii.

Ut autem utriusque consensus demonstretur cum doctrina S. Joannis a Cruce, oportet paulo fusius hujus scripta analysi subjicere, ejusque methodum exponere, quæ ipsi peculiaris est et omnia ejus scripta pervadit, ita ut, hac methodo rite perspecta, nullo labore ejus scripta legi ac intelligi probe possint. En igitur modus quo S. Joannes a Cruce describit viam ad perfectionem seu ad intimam cum Deo unionem, qui quidem modus ipsi proprius est et quasi clavis totius ejus doctrinæ.

Utitur metaphora noctis per quam anima transire debet antequam perveniat ad divinum lumen perfectæ unionis amorosæ.

Hæc nox triplex est seu tres partes habet: prima est nox sensitivæ seu inferioris partis, a qua incipit purgatio, de qua agit Auctor in *La Montée du Carmel,* liv. I.

Secunda est nox partis intellectivæ, seu purgatio, non modo passionum, sed intellectus, memoriæ et voluntatis, per viam fidei, spei et charitatis; de ea tractat eod. opere, l. II quoad intellectum et fidem; l. III quod attinet memoriam et voluntatem, spem et charitatem.

(1) Supra, sub V.

Tertia est ipse terminus quo tendit anima, nempe Deus, infinitus et incomprehensibilis, adeoque nox peregrinantibus. Deus ibi se communicat animæ secreto et intime, in contemplatione tenebrosa, obscura (1); qua communicatione facta seu tertia nocte trajecta consummatur unio animæ cum sponso, Verbo seu Sapientia nempe Dei (2).

De hac autem unione amorosa perfecta agitur in duplici alio opere *Le cantique spirituel* et *La vive flamme d'amour,* de quibus infra.

Porro duplex prior illa nox, seu purgatio tum inferioris, tum superioris partis animæ, considerari debet sub duplici respectu, scilicet active, quatenus operatur anima; et passive, ubi solus Deus agit, anima solum consentiente divinæ actioni (3). Primus respectus, activus, consideratur in opere cit. *La Montée du Carmel.* Alter vero passivus in opere diverso, cui titulus *La nuit obscure de l'âme,* ubi duplici libro de duplici parte noctis seu purgationis passivæ animæ, nempe sensuum et spiritus, agitur.

Hic prospectus generalis in opera S. Joannis a Cruce ejusque methodum jam sufficit ut intelligamus doctrinam ejusdem Sancti contemplatoris re ipsa non differre ab illa quam ex S. Thoma et Rusbrochio exposuimus, hoc præcipue attento quod, uti notavimus, diversæ viæ diversique gradus ad perfectionem non sunt ita separati atque distincti ut intra certos limites nihil commune habeant (4).

---

(1) Vid. *Montée du Carmel,* lib. II, c. II; hanc contemplationem obscuram quoque vocat alibi (*La nuit obscure,* l. I, c. XIV) contemplationem *infusam* seu *theologiam mysticam* (ibid., l. II, c. V). De his appellationibus *infusa* et *obscura* infra sermo recurret.

(2) Hæc de triplici nocte summatim exponit Auctor, *La Montée du Carmel,* l. I, chap. I-III; et l. II, chap. I-III.

(3) V. *La Montée du Carmel,* l. I, chap. I, p. 16; chap. XIII, p. 93.

(4) Supervacaneum videtur notare S. Joannem a Cruce, sicut Rusbrochium, subordinare vitam activam interiorem vitæ contemplativæ atque ad hanc omnia in suis operibus dirigere. Ea enim legenti manifesta res est.

Re quidem vera, nox sensuum ad viam proprie purgativam spectat et ad quatuor priores gradus Rusbrochii, estque incipientium magis quam proficientium. Nox vero spiritualis, etiam activa, jam est proficientium et ad viam potius illuminativam pertinet, atque illorum est qui, ut ait S. Joannes a Cruce, jam intraverunt in viam contemplativam (1), quos fides ad Deum ducit et purificat, ut per severam mortificationem disponantur ad ingrediendam arctam semitam contemplationis obscuræ (2). Idem Sanctus etiam expresse dicit (3) Deum per noctem passivam sensuum animam deduxisse a via incipientium ad viam profectus; item secundam noctem, spiritualem, paucorum esse, valde exercitatorum atque jam progressorum (4).

Heic notare juvat S. Joannem a Cruce iteratis vicibus denuntiare tamquam proprium statui incipientium exercitium meditationis, a qua opportuno tempore est cessandum (5).

Hoc primo intuitu forte mirum videbitur, cum supra, juxta S. Thomæ doctrinam, meditationem posuerimus in secundo stadio vitæ contemplativæ, quod potius ad viam illuminativam pertinere diximus. Atvero omnia rite conciliantur, si attendamus hoc secundum stadium esse præparationem intellectualem seu partis superioris animæ ad contemplationem, hanc vero præparationem initium quidem sumere ab actibus intellectus, nempe a consideratione, meditatione etc., sub quo respectu adhuc ad incipientes potius pertinet, perfici vero purgatione seu nocte spiritus tum activa, tum passiva, ut loquitur S. Joannes a Cruce (6); qui expresse

(1) *Montée du Carmel,* l. II, chap. VI in fine.

(2) Eod. loc., chap. VII in fine.

(3) V. *La nuit obscure,* l. II, ch. I, initio.

(4) *La nuit obscure,* l. I, chap. VIII, initio.

(5) Vid. *La Montée du Carmel,* l. II, chap. XII, p. 183 ss. et chap. XIII-XV; *La nuit obscure,* l. I, ch. I, initio, et chap. X; *La vive flamme d'amour,* Strophe III, vers 3, § IV et suiv.

(6) Propterea quoque, ubi ostendimus supra doctrinam Rusbrochii in

ait (1): anima e nocte purificationis sensuum egressa, jam incœpit penetrare in viam spiritus quam sequuntur animæ proficientes, quamque etiam vocant viam illuminativam seu viam ad contemplationem infusam (2).

Cæterum nihil impedit meditationem aliosque actus proprios esse incipientibus seu ad viam purgativam pertinere, atque simul a proficientibus adhuc usurpari in ingressu viæ illuminativæ. Ad utramque viam aliquatenus pertinent: ad purgativam, tamquam propriæ, necessariæ exercitationes; ad illuminativam, tamquam actus præparatorii et, qua actus intellectus, ducentes ad actum perfectum contemplationis. Hoc idem observat S. Joannes a Cruce (3); qui alio in loco (4) expresse asserit utilitatem redeundi quandoque ad meditationem ingredientibus viam illuminativam et viam contemplativam.

Quod tandem maxime dignum est attentione nostra, perfecta miraque convenientia est doctrinæ S. Joannis a Cruce de nocte spirituali, activa et passiva, cum

---

quinto gradu convenire cum secundo stadio nostro, hoc stadium definivimus ut præparationem intellectualem *cum affectu perfectæ charitatis*, et purgatione spiritus eum evacuando ab omnibus imaginibus (onverbeelde geest), de qua in 5o gradu agit idem Rusbrochius, sicut de purgatione sensuum agit in quatuor prioribus gradibus.

(1) *La nuit obscure*, l. I, c. XIV.

(2) Hanc contemplationem *infusam* intellige, ut supra obscuram, de ultimo termino purgationis spiritus, in quo ait S. Joannes: « Dieu de lui-même nourrit l'âme et la sustente, sans qu'elle y coópère d'aucune manière par actes discursifs ou autrement. » Terminus hic est, dicimus, purgationis spiritus et transitus ad viam unitivam.

Quod hæc contemplatio infusa non excludat acquisitam, neque, ut nobis videtur, sit semper et necessario intelligenda de infusa per donum gratis datum, videbimus infra. Nec enim putamus S. Joannem a Cruce per contemplationem obscuram et infusam intelligere semper solam contemplationem dono supernaturali gratis dato, ut ajunt, infusam; quamquam neque e contrario hanc excludit. — Adverte obiter congruentiam contemplationis *tenebrosæ, obscuræ* S. Joannis a Cruce cum *abyssali nescire, æterno innominato, incognita sine modo obscuritate* B. Rusbrochii.

(3) *La nuit obscure*, l. I, chap. X, in fine.

(4) *La Montée du Carmel*, l. II, chap. XV.

doctrina Rusbrochii in quinto gradu scalæ amoris (1).

Nonne crederes audire Rusbrochium disserentem de necessitate nuditatis spiritus, ab omnibus imaginibus evacuandi, quando legis S. Joannem a Cruce, in suo opere *La Montée du Carmel*, agentem per totum fere librum II de purgatione activa intellectus per noctem fidei, ubi sæpe inculcat mentem evacuandam esse ab omnibus formis, figuris, notionibus distinctis, sive naturalibus sive supernaturalibus (2), ab omni actu discursivo (3), et concludit eumdem librum his verbis : « Toute la doctrine de ce livre porte sur le renoncement absolu de l'esprit, sur la contemplation passive, sur l'oubli de tout le créé, le détachement des formes et des images, et l'abandon aveugle à la conduite de Dieu, par un simple regard dirigé vers la suprême Vérité (4). Or, cette doctrine substantielle [quant à la substance ?] ne s'entend pas seulement de l'acte de parfaite contemplation, dont la quiétude sublime et toute surnaturelle serait troublée par les filles de Jérusalem, c'est-à-dire par les bons discours et par les méditations. Cette doctrine, dis-je, s'étend encore aux moments fortunés où Notre-Seigneur appelle l'âme à goûter une attention générale, sainte et pleine d'amour : attention, recueillement, dans lesquels l'âme aidée de la grâce peut s'établir elle-même (5). Qu'elle s'efforce alors de main-

---

(1) Confer etiam *Samuël sive Apologia* B. Rusbrochii, c. VI, ubi de languore tartareo, cum doctrina S. Joannis a Cruce in *La nuit obscure*, præsertim l. II, c. V.

(2) Vid. v. g. cit. lib. II. cap. XVII, p. 231. Cf. *La nuit obscure*, l. II, c. XVII.

(3) Vid. *La nuit obscure de l'âme*, l. I, chap. X; chap. XIV, initio.

(4) Hæc quadamtenus illustrant quod alibi (*La nuit obscure*, l. II, c. IV) dicit: la purification, la contemplation, le denûment ou la pauvreté d'esprit, tout cela est ici presque synonyme.

(5) Vides S. Joannem a Cruce plures gradus contemplationis distinguere (cf. etiam *La nuit obscure*, l. I, c. IX in fine, et *Montée du Carmel*, l. II, c. XIV), nec excludere contemplationem activam seu acquisitam, quæ cum supernaturalis sit, semper quoque sub aliquo respectu infusa dici potest. Cæterum ea quæ Deo agente et homine consentiente efficitur,

tenir toujours son esprit dans le calme, sans le fatiguer par le mélange des formes, des conceptions ou des images particulières. Elle pourrait cependant s'en servir d'une manière transitoire, avec douceur et suavité d'amour, dans le dessein de s'embraser de plus en plus du feu de la charité. Mais, hors de ce temps, elle devra s'aider, dans tous ses exercices, du secours des bonnes pensées et de la méditation, selon la méthode dont elle recueillera plus de dévotion et de profit spirituel. Elle s'appliquera en particulier aux mystères de la vie, de la passion et de la mort de N. S. Jésus-Christ, pour conformer ses actions, ses pratiques et toute sa vie à la sienne (1).

Similem doctrinam, quod attinet purificationem et nuditatem memoriæ ab omni imagine, per spem theologicam soli Deo summo bono inhærentem, reperies in ejusdem operis libro III, c. I-XIV.

De nocte activa voluntatis rectificandæ, ut charitate ardescat, longius tractat S. Joannes, eod. libro III a c. XV ad finem; neque vero rem absolvit, cum de quatuor affectibus voluntatis, respondentibus quatuor passionibus seu affectibus appetitus inferioris tractaturus, nempe de gaudio, spe, dolore et metu, de solo gaudio egerit, cæteris, nescitur qua de causa, omissis.

Jamvero, sicut Rusbrochius quintum gradum scalæ amoris definit per hoc, quod in omnibus et super omnia honorem et gloriam Dei quæramus et desideremus, ita S. Joannes tamquam fundamentum ponit et lumen directivum totius doctrinæ suæ circa purgationem affectus gaudii, hoc principium : « la volonté doit placer sa joie uniquement en ce qui regarde l'honneur et la gloire du Seigneur, et le plus grand honneur que nous puissions

---

eo sensu a Deo infusa merito dicitur, etiamsi non agatur de dono proprie gratis dato, ut aiunt.

(1) Heic rursum confirmatur quod modo supra dicebamus ad mentem Sancti Joannis, nempe meditationem non excludi ab initio viæ illuminativæ et contemplativæ apud proficientes.

lui rendre, c'est de le servir d'une manière conforme à la perfection évangélique (1) ».

Quando legimus apud eumdem Sanctum : « Le disciple fidèle... qu'il le sache bien, plus il anéantira pour Dieu ses facultés sensitives et ses facultés spirituelles, plus il s'unira à lui et opérera de grandes œuvres. Enfin, parvenu à cet anéantissement, qui est le suprême degré de l'humilité, l'union sera consommée. C'est l'état le plus élevé, auquel l'âme puisse prétendre en cette vie ; il ne consiste pas en jouissances... mais dans une mort crucifiante pour les sens et pour l'esprit, à l'intérieur et à l'extérieur (2) ». Nonne videmur nobis audire Rusbrochium disserentem, in quinto gradu (ubi de cœlestibus hierarchiis) de perfecta humilitate atque abnegatione suî, et concludentem : « Underlinghe behaghen tusschen Gode en den vrien ooetmoedeghen, dat es dat hooeghste ende dat edelste werc in innighen levene ».

Quod speciatim noctem seu purgationem spiritus passivam attinet, delectabiliter conferes quæ habet Rusbrochius eodem loc. cit. (3) de vera humilitate et plena abnegatione suî ac resignatione omnimoda in Deum, deque pugna amoris qua Deus animam exercet et angit, cum sequente pagina S. Joannis a Cruce, quæ compendium quodammodo exhibet suæ noctis spiritualis passivæ, simulque docet quanti nostra intersit, ad sanctitatis perfectionem acquirendam, exercitium virtutum theologalium : « La foi aveugle l'entendement et le dépouille de toutes ses connaissances naturelles, pour le disposer à l'union de la Sagesse divine. L'espérance fait le vide dans la mémoire en éloignant d'elle toute possession des créatures, puisque selon S. Paul l'espérance a pour objet ce qu'on ne possède pas. Elle bannit donc de la mémoire tout ce qu'on peut posséder en ce

(1) Cit. lib. III, c. XVI. — Cf. ibid., c. XXI, in fine, et passim in sqq.
(2) *La Montée du Carmel*, l. II, chap. VII, versus finem.
(3) Ubi de cœlesti hierarchia, in 5º gradu.

monde, et la remplit de ce qu'elle espère posséder plus tard. Lorsqu'on n'a plus d'espérance qu'en Dieu, la mémoire se trouve d'autant mieux préparée à l'union de l'amour qu'elle est plus vide de tout le reste. Il en est de même pour la charité, car elle soustrait la volonté aux affections et aux appétits étrangers, pour les concentrer en Dieu seul; elle dispose ainsi cette puissance à l'union de l'amour divin. En résumé ces trois vertus ayant pour fonction spéciale de détourner l'âme de tout ce qui est inférieur à Dieu, ont par là même pour office de préparer son union avec lui (1) ».

Hic finem facimus disserendi de doctrina S. Joannis a Cruce collata cum doctrina a nobis olim ex S. Thoma exposita, et cum doctrina B. Rusbrochii. Quæ enim de contemplatione perfecta et unione amorosa cum Deo, seu, uno verbo, de via unitiva docet, opportunius, sicut et de Rusbrochii theologia mystica altiori fecimus, remittimus ad interpretationem nunc faciendam locorum difficiliorum ejusdem Rusbrochii. Eo meliori jure ita agimus quod de ista summa contemplatione atque unione cum Deo agit ex professo S. Joannes a Cruce in duplici opere diverso (2), quod complet doctrinam secus incompletam operum hucusque consideratorum, quodque erit conferendum cum sexto et septimo gradu scalæ Rusbrochii.

(Continuabitur).

---

(1) *La nuit obscure*, l. II, chap. XXI, p. 461. Et cf. *La Montée du Carme* l. II, c. VI.

(2) *Le cantique spirituel*, et *La vive flamme d'amour*.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Q. Interpretare psalmum 149: *Cantate Domino canticum novum...* (1).

R. 1. **Argumentum et divisio.**

Adjuncta quibus psalmi 149-150 respondent eadem sunt ac illa quæ psalmo 148 supponuntur (2), et merito videntur quibusdam, cum eo unum psalmum constituisse.

Argumentum quod spectat:

Ps. 148 invitavit *creata omnia omnesque homines* ad Deum laudandum propter liberationem populi Israel e captivitate babylonica.

Ps. 149 jam in specie invitat *populum Israel* ipsum ut laudes suas Deo deferat:

in *I^a stropha*, ob liberationem suam e captivitate (1-4);

in *II^a stropha*, ob gloriosum certamen quod ipsos manet erga hostes suos: jubilantes gladium arripiant, et in gentiles exerceant judicium jam diu a Deo adversus illos statutum (5-9). — Hisce recoluntur promissiones *messianicæ* de futura submissione omnium nationum populo Israel, sensu utique spirituali, nimirum de victoria Christi et Ecclesiæ in universum mundum reportanda.

Ps. 150 iterum, invitat homines universos, et populum Israel in specie, ut omni modo omnique instrumentorum musicorum genere, Dominum laudent propter magna et fortia sua opera. — Pulcherrima doxologia qua constat

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. X, pp. 579 ss. — Psalmo 149 strophice descripto, adjungimus ps. 150, ob tationem in textu assignatam.

(2) *Supra*, p. 93.

hic ultimus ps. clauditur quinta et ultima sectio psalterii nostri (1).

2. **Textus.**

Iª stropha.

CXLIX. 1. Alleluia. — Cantate Domino canticum novum,
laus ejus (resonet) in congregatione sanctorum (in conventu Israelitarum).
2. Lætetur Israel in eo (in Domino) qui fecit eum (in populum suum),
et filii Sion (Israelitæ) exultent in rege suo.
3. Laudent nomen ejus in choro;
in tympano et cithara psallant ei.
4. Quia placitum habet Dominus populum suum (sibi complacet in eo),
glorificat (lætificat) afflictos per salutem (eis tribuendo salutem).

IIª stropha.

5. Exultent sancti (Israelitæ) in gloria (ob gloriam sibi a Deo tributam),
lætentur super cubilibus suis (?)
6. Exaltationes (Laudes) Dei (sint) in gutture eorum,
et gladius anceps in manu eorum,
7. ut faciant (exerceant) vindictam in gentibus,
(et) castigationes in populis,
8. ut ligent reges eorum in compedibus (vinculis),
et nobiles (magnates) eorum in compedibus ferreis;
9. ut faciant (exerceant) in eis judicium (jamdiu a Deo adversus illos) descriptum

(1) Psalterium quale hodie exstat, quinque libris seu sectionibus constat: 1-40; 41-71; 72-88; 89-105; 106-150, quarum unaquæque finem accipit per aliquam doxologiam, a psalmo cui adjungitur independentem. — Ultima doxologia integrum psalmum 150 complectitur.

(ut gentes ethnicas submittant populo Israel):
gloria erit hoc pro omnibus sanctis (Israelitis) ejus. — Alleluia.

III^a stropha.

CL. 1. Alleluia. — Laudate Dominum in sanctuario suo;
laudate eum in firmamento fortitudinis suæ (in firmamento ubi gloriam et virtutem suam ostendit).
2. Laudate eum propter fortia sua opera,
laudate eum secundum multitudinem magnitudinis suæ (secundum infinitam magnitudinem suam).
3. Laudate eum in sono buccinæ,
laudate eum in lyra et cithara,
4. laudate eum in tympano et choro,
laudate eum in chordis et organo,
5. laudate eum in cymbalis resonantibus,
laudate eum in cymbalis jubilantibus.
6. Omne quod halitum habet (Omnis homo),
laudet Dominum! — Alleluia!

3. Annotationes.

Ps. 149, v. 1. Ecclesia seu *congregatio sanctorum*, populum Israel designat, utpote quem Deus in populum sanctum suum sibique sacratum elegit. Vocantur et *filii Sion*, quia subditi regni illius ubi Dominus, in monte Sion, templum suum sedemque regalem habet.

2. Invitantur ut glorificent Dominum, *factorem* suum: ipse enim Israelitas in populum olim constituit, iterumque nunc restituit; — et *regem* suum: qui populum suum regit, tuetur et ducit ad victoriam.

3. Hoc vers., sicut et in ps. 150, vv. 3-5, enumerantur varia genera instrumentorum musicorum, — de quibus cfr. *Collat. Brug.*, t. X, p. 580. — Præplacet *in choro* (hebr. *mâchôl*), hic et in ps. 150, v. 4 intelligere, non de choreis, sed, ut reliqua omnia his locis, de instrumento quodam musico (cfr. Exod. XV, 20; Jud. XI, 34; Jerem. XXXI, 4).

4. Indicatur motivum cur Deus sit laudandus: Sibi complacet in populo suo, adeoque eum tuetur et protegit: *glorificat* seu ornat populum suum *afflictum* et humiliatum, ipsi tribuendo *salutem* et liberationem a captivitate.

5. Lætentur *super cubilibus suis,* sensum obvium non præbet; fueruntque tentatæ variæ interpretationes: in cubilibus ubi olim gemebant, jam lætentur (CEULEMANS); — custodes qui de nocte circa urbem vigilias custodiant lætentur in lectis suis (NIGLUTSCH); — gaudeant publice et privatim (BEELEN), in domibus suis (VIGOUROUX), etc.; — variæ quoque fuerunt propositæ correctiones textuales. Ob parallelismum cum 5ª, cujus sensus videtur esse: Exultent Israelitæ *propter gloriam* sibi tributam, exspectatur designatio beneficii divini ipsis tributi. ZENNER-WIESMANN, post GUNKEL, proponit loco *miskebotam* legendum *maskurtam:* lætentur *propter mercedem* sibi datam.

6-9. Ore suo Deum laudantes, manu sua gladium utraque parte acutum arripiant, ut exerceant in gentibus judicium jam olim erga ipsos conscriptum. — Hisce vv., ut videtur describuntur promissiones messianicæ: populus np. Israel, aliquando, canticis in ore, et gladiis utraque parte acutis in manibus (v. 6), vindictam sumet de universis gentibus, easque castigabit (v. 7), reges eorum et magnates vinculis constringet (v. 8), — utique sensu spirituali hæc omnia intelligendo —, sicque adversus eos exercebit judicium jam diu sive in libris sacris (puta Deut. VII, 2; XII, 1-3; XXXII, 41; Is. LXV, 6) sive saltem in decretis divinis consignatum, de exterminatione vel submissione omnium gentium. — Quanta hinc gloria erit pro universo populo sancto Dei (v. 10)!

Ps. 150, v. 1. Concinne resumitur idea psalmi 148: Laudate Deum hisce *in terris,* ubi sanctuarium suum habet Dominus; laudate ipsum et *in cœlo,* in firmamento ubi gloriam suam et virtutem ostendit. — Vulg.: *in sanctis ejus,* ab aliis, minus bene, ut videtur intelligitur: in cœlo; — vel ob sanctitatem suam, vel propter sanctos suos (quia populum suum sanctificavit).

2. Item resumitur *motivum* cur Deus laudandus est: quia, fecit populo suo fortia et magna, liberando eum a captivitate.

6. *Omnis spiritus,* omne quod halitum habet, designat vel

omnes homines, vel forte omnes creaturas in quantum cogitantur ut capaces Deum laudandi.

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas:* Persona definitur « rationalis naturæ individua substantia »; atqui humana natura a Christo assumpta est rationalis naturæ individua substantia; ergo humana natura a Christo assumpta est persona, ergo in Christo sunt duæ personæ.

R. *Ad Majorem:* Concedo definitionem et explico sensum: Persona est rationalis naturæ substantia *individua* simpliciter et *complete, conc.; individua secundum quid* tantum, *nego. Contrad. min.* Humana natura a Christo assumpta est... substantia *individua simpliciter et complete, nego; individua secundum quid tantum, conc.*

Explico distinctiones. In exponendo mysterio SS. Trinitatis et Incarnationis, maximi momenti est notio *personæ* et quidem quoad hanc notam, qua dicitur *individua* substantia: hoc enim est præcipuum in notione suppositi et personæ (1). Jamvero in definitione personæ, notio *individua* est sumenda simpliciter, h. e. secundum completam rationem *individui.* Individuum autem est « illud quod sic terminis concluditur suis propriis ut in aliena diffluat nullatenus, quod est *indivisum in se et divisum a quovis alio*, quasi ontologice sui juris existens et *incommunicabile* (ἰδιοσυστατον, op zijn eigen bestandhebbende, zijns zelfs) » (2). Quapropter ut detur substantia *simpliciter individua,* non sufficit ut

(1) RICHARDUS DE S. VICTORE († 1175), *De Trinitate*, L. IV, c. 6 ss. optime disserit de ratione personæ. « Proprietas autem personalis pro certo est incommunicabilis. Proprietas personalis est ex qua unusquisque habet esse is qui ipse est. Personalem proprietatem dicimus per quam quilibet unus est ab omnibus aliis discretus... Hinc ergo apte colligimus... quod proprietas personalis omnino sit incommunicabilis ». *O. c.*, c. 17.

(2) DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 243.

sit *singularis*, v. gr. ut humana natura constituatur *hac* anima et *hoc* corpore (per hoc est individua *secundum quid* tantum); sed requiritur ut sit *tota in se*, *incommunicabilis*, et complete distincta ab omni alio supposito (1).

Ad humanitatem autem Christi quod attinet, hæc absque dubio est *singularis*, constans scilicet hac anima et hoc corpore, ideoque est individua *secundum quid*, h. e. aliqua ratione distincta ab omnibus aliis; quia vero *per se sola non existit*, nec independenter ab omni alio, sed, e contrario *inexistit ipsi Personæ divinæ*, Ipsique *communicatur* ita ut *ontologice* (seu physice) *unus* sit Christus, homo simul ac Deus, ideo ipsa humana Christi natura nec suppositum est nec persona.

Nota. Hæc nostra responsio valet, quamlibet amplectaris sententiam de formali constitutivo personæ, et opponitur ipsi hæresi Nestorii qui duas asserebat esse in Christo personas, scilicet personam divinam et personam humanam, accidentaliter vel *morali* aliqua conjunctione vel inhabitationis, vel affectuum vel operationis unitas (2).

Quando vero ulterius inquiritur qua præcise ratione *communicetur* Personæ divinæ humana natura, seu, quod idem est, quid præcise humanæ Christi naturæ desit quo non per seipsam subsistat aut non sit suppositum vel persona, tunc incipit inter catholicos controversia, oriturque diversitas sententiarum (3): de quibus loquemur in aliis responsis.

J. Van der Meersch.

---

(1) Richardus de S. Victore, *o. c.*, c. 24, de persona proponit hanc definitionem: « *existens per se solum* juxta singularem quemdam existentiæ rationalis modum. Ideo autem *per se solum* adjungimus, quia persona nunquam recte dicitur nisi *unus aliquis solus a ceteris omnibus singulari proprietate discretus* ». — Eamdem notionem tradit Jungmann, *De Verbo Incarnato*, n. 139.

(2) Cf. Jungmann, *o. c.*, n. 109, 123; S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 41.

(3) « Licet Catholici omnes inter se conveniant quoad generalem

III

Q. *Determina* rem et sacramentum *Baptismatis; adde quid ad illius consecutionem requiratur ex parte sacramenti et ex parte subjecti.*

R. I. *Res et sacramentum,* seu dispositio prævia (1), est in deputatione et potestate ad agendam vitam regeneratam supernaturalem, ad suscipienda scilicet sacramenta et ad ponendos actus vitales novæ vitæ, signanter initiales actus fidei.

Hæc deputatio, qua baptizati constituuntur tanquam membra neo-genita in familia Christi, obsignatur et sigillatur signo ontologico et indelebili, i. e. charactere; nimirum res et sacramentum non est in ipso charactere, sed in descripta entitate intentionali, i. e. in deputatione illa, potestate ac mancipatione familiæ Christi; character autem est dictæ deputationis, potestatis et mancipationis custodiculum, sigillum ac ornamentum, non secus ac habitus militaris signum est et ornamentum deputationis et mancipationis ad militiam, quam miles a principe accepit.

II. Res et sacramentum, in sacramento Baptismatis, quemadmodum et in aliis sacramentis, *semper* consequi-

---

notionem naturæ et personæ, tamen quando devenitur ad metaphysicam horum conceptuum analysim, incipit apparere sat magna diversitas ». CARD. BILLOT, *De Verbo Incarnato,* Romæ, 3a Ed. 1900, p. 49.

(1) Dicitur: *dispositio prævia* quia est effectus disponens subjectum ad ulteriorem effectum suscipiendum, ad infusionem gratiæ sacramentalis; dicitur etiam *effectus intermedius* quia medium tenet inter signum sacramentale et gratiam: a signo procedit ut effectus directus et immediatus, et viam sternit ad mediatum effectum, ad gratiam. Tandem vocatur *res et sacramentum,* quia participat de natura rei et de natura sacramenti: juxta terminologiam scholasticam, *sacramenti* est significare et causare, *rei* est significari et causari; dispositio autem prævia a significatur et causatur a signo sacramentali, et ideo dicitur *res;* b/ suo modo etiam significat et causat, quatenus ad modum causæ materialis disponit subjectum ad infusionem gratiæ, eam exigendo, et ideo dicitur simul *sacramentum,* ergo *res et sacramentum.*

tur *validam* sacramenti collationem, nec unquam ulla indispositione subjecti repellitur ; adeoque id unum quod ad ejusdem consecutionem requiritur est ut *validè* ministretur et suscipiatur sacramentum.

Quo posito, *requiritur et sufficit*

1° *ex parte sacramenti:* ut materia et forma rite conjungantur cum intentione ministeriali ; a. v. ut nomme et auctoritate Christi (implicita saltem intentione) subjectum fuerit aqua naturali ablutum sub invocatione SS. Trinitatis.

2° *ex parte subjecti* (quod supponitur capax) : si agatur de adulto non perpetuo amente, ut intentionem saltem habitualem habuerit suscipiendi Baptismum.

Nimirum a/ requiritur *intentio* Baptisma suscipiendi, quia Deus vult nos salvari conformiter ad nostram naturam, adeoque libere volentes ; sicut autem nos nolentes salvare renuit, nec etiam vult ut nobis reluctantibus prosint adminicula salutis, qualia sunt sacramenta ; qui non vult proinde nec intendit sacramentum, frustra et inaniter illud suscipit, ac intentio illud suscipiendi ad ipsum valorem requiritur (1).

b/ Sufficit intentio *habitualis,* olim scil. habita et non retractata, ac hìc et nunc omni virtute destituta ; non enim opus est ut intentio illa influxum exerceat in sacramenti constitutionem ejusve efficaciam, nec adeo debet actu vel virtute permanere: unicè postulatur tanquam conditio sine qua non, ut removens prohibens, reluctantiam nempe aut saltem defectum voluntatis, qui sàcramenti valorem impediret.

c/ Disputatur autem utrum postuletur intentio Baptismi *explicita,* an vero *implicita* sufficiat. Porro dubia censetur implicitæ intentionis sufficientia : unde non est, extra urgentis necessitatis casum, ad Baptismum procedendum, nisi constiterit, penes subjectum, de voluntate explicita Baptismatis ; quodsi urgeat mortis periculum

(1) Cf. decretum Innocentii III, c. 3, X, III, 42.

nec potest actus voluntatis explicitus provocari in moribundo, puta sensibus destituto, licet Baptisma ministrare sub conditione (si capax es), modò moribundus antea manifestaverit sacramenti desiderium, saltem implicitè contentum in nota, vel meritò præsumpta, voluntate servandi mandata Dei, præsertim si hæc voluntas conjungatur cum quadam notitia confusa religionis christianæ (1).

IV

Q. *Quisnam est minister Baptismi pro valida ac licita ministratione sacramenti, sive in necessitate sive extra necessitatis casum; quisnam ordo est servandus inter varios ministros necessitatis?*

R. I. *Pro* **valida** *Baptismi administratione, competens minister est quilibet homo ratione utens.*

Explicatio.

Ex una parte nihil est in natura sacramenti Baptismatis quod ab ejus ministerio quemquam hominum excludat, aut determinatos electos ministros exigat quibus conferatur. Sufficit enim ut forma rite conjungatur ad materiam, cum intentione agendi nomine et auctoritate Christi, seu faciendi quod facit Ecclesia: quæ omnia ac singula a qualicumque hominè commodè præstari possunt; sola autem difficultas, quæ moveri possit contra hæreticos et infideles, quasi debitam intentionem habere non valeant, jam est præoccupata suprà, tom. XVI, p. 579.

Ex alia parte non apparet Christum Dominum, aut Apostolos aut Ecclesiam (in quantum hujusmodi potestas illis est agnoscenda), positiva ordinatione, vali-

(1) Cf. MICHEL, *Questions pratiques sur le Baptême et la Confirmation*, 3e ed., Maison-Carrée, 1904, p. 13-50; LEHMKUHL, *Theologia moralis*, ed. 11a, Friburgi Brisg., 1910, I, n. 106-108; PESCH, *Prælectiones dogmaticæ*, ed. 3ia, Friburgi Brisg., 1908, VI, n. 439.

dum Baptismatis ministerium restrinxisse ad quamdam categoriam personarum. Contrà praxis universa Ecclesiæ, ejusque doctrina indubia quoslibet habet uti habiles ad Baptismi ministerium (1), sacerdotes et laicos (2), viros ac mulieres (3), tam infideles et hæreticos (4) quam fideles; illamque habilitatem confirmat ratio congruentiæ ex Baptismatis necessitate medii deducta (5).

Nota autem neminem posse agere ministrum erga semetipsum, quemadmodum explicitè docet Innocentius III, c. 4, X, III, 42 (6).

---

(1) Ita, in Concilio *Lateranensi* IV: « Sacramentum Baptismi... *a quocumque* rite collatum proficit ad salutem ». DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion* (1911), n. 430. Decretum *Eugenii IV*, pro Armenis: « In causa autem necessitatis, non solum sacerdos vel diaconus, sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et hæreticus baptizare potest ». *Ibidem*, n. 696. Tandem *Rit. Rom.*, Tit. II, cap. I, n. 12, docet infantem periclitantem posse « a quocumque baptizari in qualibet lingua, sive clerico sive laico, etiam excommunicato, sive fideli sive infideli, sive catholico, sive hæretico, sive viro sive fœmina ».

(2) Textus *Constitutionum Apostolorum* (ed. Funk, Paderbornæ, 1906), III, 10, 1, ubi laici a munere baptizandi excluduntur, ita est intelligendus quatenus negetur ipsorum officium esse baptizare, cum officium sit sacerdotale (cf. tamen HEINRICH-GUTBERLET, *Dogmatische Theologie*, Mainz, 1901, IX, p. 311). Cæterum TERTULLIANUS, *De Baptismo*, c. 17, laicis jam agnoscit baptizandi potestatem. Cf. *Tertulliani quæ supersunt opera*, ed. Oehler, Lipsiæ, 1853.

(3) *Constitutiones Apostolorum*, III, 9, rursus ita interpretandæ sunt ac si solam *liceitatem* spectent, quando severè invehuntur contra Baptismum a muliere conferendum: « Mulierem aut baptizare vel a muliere baptizari non approbamus, quia hoc illegitimum est et magnum periculum ei quæ baptizat et ei qui baptizatur ». Etiam TERTULLIANUS, *ibidem*, non favet Baptismo a fœmina ministrando. In favorem ministrationis per mulierem, cf. c. 4, Causa XXX, qu. 3, collato S. THOMA, P. III, qu. 67, art. 4.

(4) Quod hæretici vel infideles positiva ordinatione a Baptismi ministerio non excludantur, ostendimus suprà, tom. XVI, p. 580 s.

(5) S. THOMAS, P. III, qu. 67, art. 3: « Ut homo circa remedium tam necessarium defectum pati non possit, institutum est ut et materia Baptismi sit communis, scil. aqua, quæ a quolibet de facili haberi potest, et minister Baptismi etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter defectum Baptismi homo salutis suæ dispendium patiatur ».

(6) « Sanè intimasti quod quidam Judæus in mortis articulo constitutus, cum inter Judæos tantum existeret, in aquam seipsum immersit, dicendo: ego me baptizo in nomine... Respondemus quod, cum inter

II. Quod spectat Baptismatis ministrationem **licitam**:

A. *Extra urgentis necessitatis casum:*

1° Minister *ordinarius* est, præter Episcopum, *sacerdos* qui vel sit *parochus proprius*, vel sit ab Episcopo aut parocho proprio *ad hoc commissus* (1). Nimirum *officium est sacerdotis* baptizare; ad hujus autem officii licitum exercitium requiritur ut sit vel Episcopus seu parochus proprius, vel ab alterutro ad hoc delegatus, hoc etiam attento quod parochus (ejusve delegatus) non possit licitè baptizare suos in ecclesia non sua, nisi de hujus rectoris licentia.

Porro *parochus proprius* ille est in cujus parochia domicilium vel quasi-domicilium habent, aut vagi existunt, baptizandi horumve parentes. *Commissio*, quæ penes alium sacerdotem non parochum proprium requiritur, potest esse commissio *expressa*, qualem ab Episcopo accipiunt vicepastores et coadjutores; sed sufficit commissio *tacita*, ut si quis baptizaret sciente et non contradicente parocho proprio, imo etiam *præsumpta* dumtaxat: et ita, ex præsumpto proprii parochi consensu, potest proles extra parentum parochiam nata in loco alieno baptizari ab hujus loci parocho (sive mater ibidem casu pepererit, sive per modum peregrinantis morata sit), nisi infans, ratione habita omnium adjunctorum, ad proprium parochum commodi deferri queat (2).

baptizantem et baptizatum debet esse discretio, sicut ex verbis Dómini colligitur, dicentis Apostolis: ite, baptizate omnes gentes..., memoratus Judæus est denuò ab alio baptizandus, ut ostendatur quod alius est qui baptizatur, et alius qui baptizat ».

(1) *Conc. Trident.*, Sess. XXIV, c. 13, *De Reformatione; Rit. Rom.*, Tit. II, c. I, n. 12.

(2) Cf. *Revue théologique*, I (1856), p. 283-285, ubi ulterius advertuntur hæc duo cautè servanda: a/ ut a parocho ad Baptismum non admittatur proles, quam parentes ex alia parochia oriundi ad ipsum deferunt ex odio contra proprium parochum, ut hujus ministerio subtrahatur Baptismi collatio; b/ ut non repellatur nec ad proprium parochum baptizanda remittatur proles illegitima quam contingit nasci in aliqua parochia, ad quam mater ex alieno loco paritura advenit eo fine ut ejus ignominia in propria regione celetur et sic famæ penes concives parcatur.

2° Minister *extraordinarius* est *diaconus*, ad hoc ab Episcopo vel parocho proprio *specialiter deputatus*.

Nimirum proprium officium diaconi non est baptizare (1); sed potest exceptionaliter ac præter normam, posita causa rationabili, ad illius muneris excercitium deputari auctoritate Episcopi vel parochi proprii; quæ deputatio, si jure communi potest a parocho concedi, in nostris regionibus, vi consuetudinis, reservatur Episcopo.

B. *In urgenti necessitate:*

Quilibet potest *licitè* ad conferendum Baptisma accedere, hac tamen salva duplici restrictione: ut *primò* debitus ordo servetur, de quo sub III, utque *secundò* a nemine, præterquam a sacerdote aut diacono specialiter deputato, cœremoniæ adhibeantur: hi soli possunt Baptismum ministrare solemniter (2), et ideo vocantur ministri solemnitatis, dum reliqui, laici aut clerici diacono inferiores, dicuntur ministri necessitatis.

III. **Ordo servandus** inter ministros, in casu necessitatis (3).

In supposito quod præsto non sit sacerdos nec diaconus, hæc est norma ut, inter clericos, dignior, puta subdiaconus, inferiori clerico præferantur, ut clericus præcedat laicum, vir fœminam. A qua norma recedere oportet, quatenus mulier baptizet potius quam vir, quotiescumque a/ « pudoris gratia deceat fœminam,

(1) S. Thomas, P. III, qu. 67, art. 1: « Dicuntur autem diaconi quasi *ministri*, quia videlicet ad diaconos non pertinet aliquod sacramentum principaliter et quasi *ex proprio officio* præbere, sed adhibere ministerium aliis majoribus in sacramentorum exhibitione: et sic ad diaconum non pertinet, quasi *ex proprio officio*, tradere sacramentum Baptismi, sed in collatione hujus sacramenti et aliorum, assistere et ministrare majoribus ».

(2) Clericus solemniter baptizans incurrit *irregularitatem*, juxta c. 1, X, V, 28.

(3) Intelligitur necessitas stricte dicta, quatenus scil. periculum positive timetur ne puer moriatur; tunc tantùm ad ministerium ministri necessitatis, et in specie obstetricis recurri potest: quod inculcavit C. S. O., in decreto 11 Jan. 1899, apud *N. R. th.*, XXXI, p. 518 s.

potius quam virum (non medicum), baptizare infantem non omninò editum » (1); b/ « melius fœmina (puta obstetrix) sciret formam et modum baptizandi » (2); c/ mulier sit catholica, vir autem acatholicus; d/ vir præsens sit pater prolis: pater namque (et idem valet de matre respectu aliarum fœminarum forte præsentium) ultimo loco venit, nec unquam propriam prolem baptizare potest nisi deficiente qualibet alia persona apta (3).

A. De Smet.

V

Q. *Donnez un bref aperçu des doctrines hétérodoxes qu'Amaury de Bène († 1204) professa à Paris, à la fin du XIIe siècle. Faites connaître l'origine et l'influence de ces erreurs.*

R. Amaury, originaire de Bène, au pays de Chartres, était vers la fin du XIIe siècle un des maîtres les plus en vogue de l'Université de Paris. Il s'y fit remarquer dans l'enseignement de la dialectique d'abord, ensuite dans ses leçons de théologie, par ses allures d'homme indépendant, qui ne s'accommodait pas volontiers des opinions et des méthodes reçues. Bientôt le panthéisme mêlé de rationalisme théosophique qu'il soutenait devant ses auditeurs émut les autorités ecclésiastiques. Condamné par l'Université, puis par le pape auquel il en avait appelé, Amaury fut contraint de se rétracter: humiliation qui, dit-on, le conduisit au tombeau. Il mourut à St Martin des Champs en 1204. L'enseignement et l'influence de maître Amaury, que nous avons

(1) In descripto casu deberet ipse sacerdos locum cedere obstetrici.
(2) *Rit. Rom.*, l. c.
(3) Ratio est in hoc quod parentes, prolem baptizando, ad invicem contrahunt cognationem spiritualem, quæ ipsa cognatio, inducit prohibitionem usus matrimonii, nisi in quantum ab hac pœna incurrenda excuset necessitas.

à faire connaître plus en détail, nous sont surtout connus par le procès institué au Synode de Paris en 1209 (1).

I. **Doctrine d'Amaury de Bène.**

In diœcesi Brugensi, vi specialis facultatis, anno 1881, vivæ vocis oraculo Episcopo Brugensi concessæ, possunt parochi, aliique sacerdotes, stipendium accipere pro missa in casu legitimæ binationis, ea tamen lege ut integrum stipendium scholis catholicis impendatur (1).

Supponas autem viceparochum missam binationis *cantatam* celebrare, hora ordinaria, indeque recipere stipendium trium francorum; an satisfacit tribuendo operi scholari stipendium consuetum missæ lectæ, seu duos francos, reliquam autem partem stipendii sibi retinendo in renumerationem majoris laboris pro missæ cantu erogatam?

Hujus quæstionis solutio pendet *a tenore indulti Pontificii*. Auctores admittunt, nixi documentis Romanis, cantum sese habere relate ad Missam, ad modum circumstantiæ separabilis et pretio æstimabilis propter majorem laborem ex illa obvenientem; adeo ut inde enascatur titulus extrinsecus ad renumerationem specialem, quæ sejungi potest ab integritate stipendii missæ lectæ operi scholari solvenda. Hoc emolumentum speciale sibi retinere valent celebrantes, nisi ex tenore facultatis petitæ et concessæ impendi debeat pio operi *integrum stipendium missæ lectæ et cantatæ*.

Hæc erui possunt ex decisionibus recentioribus S. Congregationis Concilii:

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 454; *Collat. Brug.*, t. III, p. 464. Simile indultum anno 1881 Episcopo Gadaven. concessum, jam cessavit ab anno 1890. Cf. *Collat. Gandaven.* 1911, t. III, p. 309, nota 1.

I. In *causa Bambergensi*, d. d. 17 junii 1905 (1), ad quæstionem analogam casui nostro, responsum fuit a Patribus S. C. Concilii: « Communicetur Archiepiscopo resolutio diei 11 martii 1879. » Hæc resolutio (2) data fuit die 31 januarii 1880 ad dubium propositum die 11 martii 1879 ab Archiepiscopo Lugdunensi, postquam indultum obtinuerat, quo, diebus festis suppressis, liceret parochis dispensatis ab applicatione missæ pro grege, accipere stipendium pio operi attribuendum. Jam vero ad petitionem: « An parochi, misso ad Episcopum stipendio a statutis diœcesanis taxato, valeant sibi missarum eleemosynæ excessum retinere in casu », responsum est: Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ, vel ob majorem laborem aut incommodum.

Unde pluribus (3) merito visum est, casu quo stipendium augeatur propter laborem extrinsecum, ratione cantus aut horæ tardioris aut itineris faciendi, excessum stipendii propter illos titulos præstitutum (4) a celebrante retineri posse.

Attamen modo generali affirmari nequit dari *semper* augmentum stipendii intuitu personæ aut ratione laboris et incommodi extrinseci, quoties eleemosyna major sit taxa diœcesana missæ lectæ manualis. Pingius enim stipendium erogari potest ex liberalitate fidelium, ex consuetudine locali. Ideo intelligitur optimo jure datum fuisse responsum S. C. Concilii, die 27 februarii 1905 (5),

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 632 ss.; *Il Monitore ecclesiastico*, 1905-1906, t. XVII, p. 342 ss.

(2) *Acta Sanctæ Sedis*, 1880, t. XIII, p. 256 ss.

(3) *Collat. Brug.*, t. X, *l. c.*; *Monitore ecclesiastico*, *l. c.*

(4) Si de facto stipendium propter onus extrinsecum non augeatur, non posset celebrans augmentum stipendii alio ex fonte quærere, puta ex capsis seu truncis, ubi colliguntur eleemosynæ ad missas celebrandas, nisi certo constet de hac intentione fidelium.

(5) *Il Monitore ecclesiastico*, 1905-1906, t. XVII, p. 55; *La Vie Diocésaine*, 1907, t. I, *Documenta ecclesiastica*, p. 44 s.; *Revue du clergé français*, 1909, t. LVII, p. 212.

Episcopo Sancti Deodati (Saint-Dié), qui sequens exposuerat dubium :

« Vigore plurium indultorum idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suæ diœcesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda missa, vel pro missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suæ diœcesis operibus piis applicetur. Porro, vestigiis trium suorum antecessorum inhærens idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quæcumque sit eleemosynæ quantitas ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, id est fr. 1,50. Quæritur an hæc Episcopi concessio sit legitima ? » Responsum fuit. « Negative ».

Hac in re, ulterior et magis determinata declaratio S. C. Concilii publicata fuit, die 24 martii 1906, in in *causa Anneciensi* (1).

Postulaverat Episcopus :

« 1. Quando parochi, diebus festis suppressis, celebrant missam cantatam sive manualem sive fundatam, quæ in dominica præcedenti prænuntiata fuerit, cum indictione diei et horæ, licetne ipsis ad Episcopum transmittere tantummodo stipendium missæ lectæ juxta taxam diœcesanam, an debent tradere integrum stipendium per Constitutiones diœcesanas pro hujusmodi missis præstitutum ?

2. Si missam exequialem cum cantu prædictis diebus celebrant, satisfaciuntne suæ obligationi, mittendo stipendium missæ lectæ communis juxta taxam diœcesanam, an debent mittere stipendium missæ cantatæ, juxta prædictam taxam, salvis juribus stolæ ? ». S. C. Concilii respondit : « Ad utrumque, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, quoties morali certitudine constet augmentum communis eleemosynæ datum fuisse ob majorem laborem et incommodum, ad quæ aliunde parochus obligatus non sit. »

(1) *Il Monitore ecclesiastico*, 1906-1907, t. XVIII, p. 162 ; *La Vie Diocésaine*, *l. c.*, p. 45 ; *Revue du Clergé français*, *l. c.*, p. 213.

Inde sequitur (1), quod sive agatur de missa cantata manuali aut fundata, sive de missa exequiali cantata, parochus aut sacerdos satisfaciat obligationi suæ, mittendo taxam diœcesanam missæ privatæ, sibi retentis supplementis ratione laboris extrinseci (2), notatim ratione cantus, dummodo ad hunc laborem ex officio suo non teneatur, uti verificatur in diœcesi nostra, ubi præcepto particulari imponitur parochis *solemne* sacrum offerre pro grege (3).

Unde non est cur excipiatur casus (4), quo parochus singulis diebus, hora consueta, missam cantandam habet. Etenim cantus semper est circumstantia separabilis a missa, adeo ut excessus hoc de titulo celebranti obveniens ab stipendio detrahi possit, sive agatur de missa cantata ordinaria aut extraordinaria.

Ita fere res applicata fuit in diœcesi Tornacensi, ubi decisum est in conventu Decanorum, die 23 novembris 1905, art. 15: (5) « Après un échange de vues et la lecture des diverses décisions émanées du Saint-Siège au sujet de l'honoraire *des messes de binage* (6) à verser à l'Évêché MM. les doyens se sont trouvés d'accord pour admettre que dans le diocèse on peut se contenter de remettre à l'Évêché la somme de deux francs, sauf dans le cas (7) où l'on aurait célébré une messe manuelle basse dont l'honoraire serait supérieur à deux francs et n'aurait pas été donné expressément intuitu personæ. »

---

(1) Cf. Boudinhon, in periodico *Revue du clergé français, l. c.*, p. 213.

(2) Ratione missæ prænuntiatæ e suggestu, horæ tardioris, itineris instituendi etc.

(3) *Stat. Diœcesana,* Tit. II, art. V, § 2.

(4) *La Vie Diocésaine, l. c.*, p. 46; ubi, p. 44, indultum 31 maii 1904 affertur quo in diœcesi Mechliniensi dispensatio conceditur a celebratione pro grege diebus festis suppressis, soluto stipendio pio operi.

(5) *Collat. Tornacen., Acta et documenta,* t. II, p. 269.

(6) Cf. indultum obtentum a. 1880 in diœcesi Tornacen. pro solis missis binationis, ap. *Collat. Brug.*, t. III, p. 463.

(7) Excipiendus videtur etiam casus quo stipendium missæ *cantatæ* manualis augeatur, non ratione laboris extrinseci, aut intuitu personæ, sed ex consuetudine locali aut ex mera liberalitate fidelium. Cf. responsum S. C. C. 25 julii 1874, ap. *Acta S. Sedis,* t. VIII, p. 75 ss.

Ex documentis supra citatis concludi ergo potest quod in casu indulti permittentis, in festis suppressis aut in missis binationis, perceptionem stipendii erogandi in favorem piorum operum diœcesanorum, solvendum est integrum stipendium, detractis iis quæ morali certitudine obveniunt celebranti ex juribus stolæ, ex labore extrinseco (distantiæ, horæ, cantus, annunciationis missæ e suggestu), aut intuitu personæ.

III. An hæc prædicta de cantu, applicari possunt in nostra diœcesi? Videtur quod non; quia indulta (1) quibus licet accipere in favorem operis scholaris stipendia tum in missis binationis, tum a parochis in festis suppressis, fuerunt petita et concessa ea lege ut stipendium integrum tum missæ privatæ, tum missæ cantatæ pio operi impendatur.

Uti merito dicit R^dus^ adm. D^nus^ Van den Berghe (2): « Ill^mus^ et Rev^mus^ Episcopus Faict, qui primum istud indultum (3) obtinuit, illud cum clero suo communicando, talibus usus est verbis, ut casum *missæ cantatæ* præ oculis habuisse censeri debeat. Ait enim: « Licet proin RR. DD. Parochis, exceptis dominicis, quatuorque majoribus anni solemnitatibus, in cœteris festis accipere stipendium, ea lege stricta ut impendatur stipendium aut *pars stipendii celebranti obveniens,* operi scholari » (4): porro solius missæ solemnis aut cantatæ stipendium dividitur inter celebrantem et alios, puta assistentes, sacristam, organistam etc. ».

Jam vero, indultum permittens accipere stipendium in missis binationis, circa idem tempus vivæ vocis oraculo obtentum, est prorsum ejusdem generis, ejusdemque scopi, ita ut eodem modo sit interpretandum.

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 454 et 448; *Collat. Brug.*, t. III, p. 464 ss.

(2) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 494 s.

(3) pro festis suppressis.

(4) Litt. circ. Ill^mi^ ad clerum suum, die 12 februarii 1882, ap. *Collect. Epist. pastor.*, t. XV, p. 68, n° 3.

Videtur concludendum apud nos integrum stipendium sive missæ privatæ sive missæ cantatæ esse solvendum operi scholari, exceptis solummodo juribus casualibus seu parochialibus si quæ sint, retentis etiam retributionibus pro labore extrinseco horæ tardioris, et itineris, proclamationis e suggestu etc., et iis quibus augeatur eleemosyna intuitu personæ. De iis omnibus oportet ut constet morali certitudine.

Declarationis gratia opportune hic afferuntur documenta spectantia ad diœcesim Mettensem (1).

Petierat Episcopus Mettensis indulta similia nostris, sed scripto et magis explicite, nimirum ut sacerdotibus suæ diœcesis concessio fieret : 1° accipiendi stipendium pro secunda missa ; 2° accipiendi stipendium loco applicationis missæ pro populo, diebus festis suppressis ; cum onere in utroque casu integrum stipendium sic acceptum sive missæ lectæ, sive missæ cantatæ transmittendi ad Episcopum, pro determinato pio opere, retentis solummodo, si quæ sint, juribus casualibus seu parochialibus.

Die 11 novembris 1904, S. C. Concilii petitioni annuit, ad triennium tantum, ea conditione ut integra eleemosyna missæ erogetur ad finem præstitutum. Jam vero Episcopus in Instructione d. d. 16 decembris 1904, sequenti modo obligationem determinat : Quant au chiffre de l'honoraire à Nous envoyer, en conformité avec le texte de l'indult, Nous règlons ce qui suit : Pour une messe chantée, *quelle qu'elle soit*, on nous enverra uniformément la somme de 3 francs ou 2 M. 40 (2).

« Pour une messe basse, on Nous enverra la somme entière qui a été remise comme honoraire proprement dit (1 M. 20, 1 M. 60, 2 M., etc.), déduction faite seulement des indemnités de déplacement, des droits casuels pour mariages, enterrements, services, etc.,

(1) *Revue ecclésiastique de Metz*, 1905, t. XVI, p. 5 ss.
(2) Cf. p. 147, nota 7.

ou du surplus qui aurait été donné au prêtre à titre personnel. »

Etsi in diœcesi nostra extensio indultorum quoad determinationem stipendii in favorem pii operis solvendi non ita adamussim determinetur, tamen sufficienter constat de obligatione sacerdotis celebrantis vi indulti solvendi operi scholari integram eleemosynam missæ lectæ et missæ cantatæ.

A. De Meester.

E S. Congregatione Rituum.

I

ADRIEN.

Hodiernus compositor Kalendarii Adriensis Diœceseos, hæc dubia Sacræ huic Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit:

I. Celebrans et ministri, qui in Missa solemni diei festi Annuntiationis B. M. V. nec non SS. Natalis D. N. I. C. genuflectunt quando a choro cantantur verba « *Et incarnatus est* » etc., genuflectere ne debent etiam quando eadem verba simul recitant ad altare?

II. In vigilia Festi alicujus Sancti, cujus nomen continetur in Canone Missæ, celebrans debet ne caput inclinare quum idem nomen pronuntiat?

III. Festum S. Stephani Pp. M. insignis Collegiatæ Titularis, in tota Civitate Rhodigii jamdiu celebrari solet sub ritu duplici I. classis cum octava. Quæritur utrum in tota eadem civitate *Credo* in Missa recitari possit ac debeat.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta Rubricas Missalis de Ritu celebrandi Missam tit. V. n. 2 (1).

---

(1) *Ritus celebr. Missam,* V, 2, sic statuit: « Et similiter [caput inclinat] ubicumque nominatur nomen beatæ Mariæ vel Sanctorum de quibus dicitur Missa vel fit commemoratio ». Verum auctores communiter ab hujus regulæ observatione excludebant *vigilias* festorum propter decret, n. 3767, 25, quod explicite declaraverat « inclinationem capitis faciendam *in* FESTIS *Sanctorum tantum*, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur... » Jamvero vigiliam non esse *festum* apud omnes in confesso est. Inducit ergo hoc decretum aliquam disciplinæ mutationem.

Ad III. Negative et servetur Decretum n. 2189 *Perusina*, 23 Martii 1709.

Atque ita rescripsit et declaravit die 24 Novembris 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.

L. ✠ S. † Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius*.

Adnotandum. Ex præsenti decreto cum antiquioribus (1) collato regula statui posse videtur sequens:

Inclinatio capitis parva, quæ exprimat cultum duliæ, facienda est in vigiliis, festis et octavis Sanctorum (2) quoties exprimitur nomen eorum de quibus celebratur missa, vel fit commemoratio (3) vel celebratur octava, etiamsi ejus commemoratio *per accidens* fieri non possit. Ita v. g. missæ votivæ solemnes et missæ festorum duplicium 1 et 2 classis excludunt commemorationem octavæ ratione solemnitatis: nihilominus occurrente nomine Sancti cujus celebratur octava, facienda est capitis inclinatio.

Omittenda autem est inclinatio in missis quæ nullam habent relationem ad vigiliam, festum aut octavam Sancti cujus nomen recitatur... v. g. in oratione communi aut suffragio *A cunctis*, in missis *Requiem*, in votivis de Sancto nominato, in missis in quibus Sanctus tantum nominatur ratione stationis (v. g. S. Cosmas in missa fer. V post Dom. III Quadragesimæ), aut si penitus cesset octava, adveniente tempore octavas prohibente; aut in missis conventualibus quæ sunt feriales aut votivæ dum altera missa conventualis celebratur de festo occurrente (4).

Adverte inclinationem capitis faciendam esse:

---

(1) Cf. notatim decreta nn. 2572, 20; 3767, 25; 19 jun. 1903, ap. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 574.

(2) Non agimus de *Mariæ* nomine, ad quod inclinatio paulo major, respondens cultui hyperduliæ, facienda est quandocumque occurrerit.

(3) Intelligimus etiam commemorationes alicujus Sancti (v. g. S. Pauli in officio vel missa S. Petri) quæ ob intimam connexionem inter duos sanctos, nunquam omittuntur in festo alterius.

(4) Cf. *Collat. Brugen.*, t. X, p. 306; *Ephem. liturg.*, 1903, p. 456 ss.

a/ ad solum nomen *proprium,* non accommodatitium (v. g. Mariæ in Communione festi Assumptionis, n. 2872, 6), nec ad alia appellativa v. g. Saulus, Simon Bar Jona;

b/ versus *librum*, nisi adsit Sancti nominati imago in loco principali altaris;

c/ ubicumque occurrerit nomen, exceptis tamen titulis lectionum, epistolæ aut evangelii (n. 2915, 5).

C. CALLEWAERT.

II

DECRETUM (1).

De festis ritus duplicis majoris Octava condecoratis.

Quædam Festa, quamvis perpauca, ritus Duplicis Majoris, pro aliqua particulari Ecclesia, transactis temporibus, Octava decorata fuerunt. Quum autem harum Octavarum celebratio novissimis Sanctæ Sedis dispositionibus minime congruat, Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicæ, reque accurato examine perpensa, statuit et decrevit: *Festa ritus duplicis majoris Octava gaudere nequeunt;* et si quæ hujusmodi Octavæ jam concessæ inveniantur, amodo declarantur suppressæ. Atque ita servari præcepit die 30 Decembris 1911.

L. ✠ S. Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

III

MONITUM (2).

Sacræ Rituum Congregationi visum est R^mos^ locorum Ordinarios certiores facere, eosque orare ut suis subditis notum faciant, nullius roboris esse *rescripta, responsa ad dubia, concessiones, declarationes cujusque generis, privilegia, commentaria*

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1912, p. 83.
(2) *Acta Apost. Sedis,* 1912, p. 84.

nomine ipsius S. Congregationis evulgata, nisi, prout de jure, subsignata fuerint exclusive ab Emo Cardinali ipsi S. Congregationi Præfecto una cum S. ipsius Congregationis Secretario vel ejus Substituto, aut, in casu necessitatis, saltem ab Emo Præfecto, vel a Secretario aut ejus Substituto: Item nil esse commune inter S. Rituum Congregationem et cujuscumque generis ephemerides rem liturgicam pertractantes, cum Sacra ipsa Congregatio, quoties promulgatione opus sit, ea quæ statuerit, in Commentario officiali *Acta Apostolicæ Sedis* ad tramitem Constitut. Ap. « *Promulgandi pontificias* » inserenda curet.

Ex S. R. C. Secretaria, die 28 Januarii 1912.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius*.

IV

Decreto 15 Januarii 1912 (*Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 84) prohibetur quominus Episcopi concedant typographis suæ diœceseos facultatem imprimendi novum « Psalterium ». Decretum enim S. R. C. dici 15 Nov. 1911 in editione typica Vaticana relatum, hanc editionem « typicam » declaravit, « statuitque ut novæ ejusdem Psalterii editiones huic in omnibus sint conformes et non imprimantur nisi *a typographis hujus S. Congregationis*, servatisque præscriptionibus ab hac Secretaria tradendis ».

V

ROMANA ET ALIARUM (1).

Circa doxologiam, versum primæ, et præfationem propriam in occurrentia festorum B. M. V. ad instar simplicis redactorum.

Quum ex Constitutione Apostolica « Divino afflatu » SSmi Dni Nostri Pii Papæ X, diei 1 Novembris 1911, Festum B. M. V. ritus duplicis majoris, aut dies Octava ejusdem Deiparæ, si in Dominicam occurrant, amodo sim-

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 82.

plificari debeant; Sacræ Rituum Congregationi insequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. An in prædictu casu conclusiones Hymnorum et versus Responsorii brevis ad Primam esse debeant de ipsa Beata Maria Virgine?

II. Quæ Præfatio in casu dicenda sit in Missa?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, nisi dicenda sit propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus.

Ad II. Præfatio Trinitatis, nisi occurrat Præfatio de Tempore aut alicujus Octavæ Domini, juxta Novas Rubricas, tit. X, n. 4.

Atque ita rescripsit die 30 Decembris 1911.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotandum. *Ad secundum.* Pari ratione, in missa de feria quadragesimali in qua facienda occurrit commemoratio alicujus festi duplicis (v. g. Apostoli) propriam præfationem habentis, dicenda est præfatio quadragesimalis.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

J. Creusen, S. J. *Tabulæ fontium traditionis christianæ* (ad annum 1563). Fribourg i/Br., Herder, 1911. Gr. in-8°, VII p. et 8 tableaux de 51 × 26 cm. F. 1,75.

Le P. Creusen a réuni en ces 8 tableaux synchronistiques les noms ou les titres d'ouvrages des principaux écrivains ecclésiastiques, ainsi que les dates et les faits sans lesquels on ne peut prétendre à une connaissance sérieuse de l'histoire ecclésiastique. Chaque tableau comprend trois divisions : *Romani Pontifices — Hæreses et Concilia — Scriptores ;* les indications qui se rangent sous ces rubriques sont mises en regard de telle façon qu'un simple coup d'œil suffit pour voir aussitôt quelle était, durant le règne de tel ou tel pape, la situation de l'enseignement et de la science ecclésiastique. Chaque colonne contient d'ailleurs un bon résumé, montrant le développement et les phases successives, soit de l'histoire du dogme, soit de la patrologie. Ajoutons que le P. Creusen par la disposition du texte et par de nombreux signes et sigles a trouvé moyen de fournir non seulement les explications essentielles, par exemple : objet, durée, groupement des hérésies), mais encore quelques utiles indications bibliographiques.

L'abbé Sylv. Balau. *Précis d'histoire contemporaine de la Belgique* (1789-1911). 4e édition. Liége, H. Dessain, 1911. In-12°, 342 p.

Le manuel de M. l'abbé Balau, considérablement augmenté dans cette 4e édition, comprend deux parties : la première, intitulée : *La Belgique sous ses divers gouvernements,* raconte d'après l'ordre chronologique et sous d'excellentes divisions notre histoire politique générale depuis la révolution brabançonne. La seconde partie, qui a surtout reçu dans cette nouvelle édition une plus grande extension, met en relief les progrès accomplis depuis un siècle par notre pays dans les divers domaines de son activité, (Religion, — Industrie et commerce, — Arts, Sciences et Lettres). Malgré sa concision, le *Précis* clair et substantiel de M. Balau sera très utile non seulement à nos professeurs de collège, mais encore à ceux de nos lecteurs qui, en vue de leurs sermons et conférences ou pour d'autres occupations du ministère paroissial, désirent se renseigner rapidement sur les diverses phases de notre histoire contemporaine, par exemple sur la composition, la caractéristique et l'activité des divers ministères, sur le développement de nos institutions, sur la marche progressive de l'industrie, des arts et des sciences etc. L'auteur, voulant

faire œuvre de vulgarisation, n'a pas surchargé son livre d'indications bibliographiques; il pouvait s'en dispenser d'autant mieux qu'il avait développé la même matière dans ses ouvrages plus importants: *La Belgique sous l'Empire* (2 vol.) et *Soixante dix ans d'histoire contemporaine de Belgique* (4e éd. 1890).

R. De Schepper.

Rutten, O. P. *Petit Manuel d'Études Sociales*. Gand, imprimerie Het Volk, 151 p.

« Fréquemment, déclare l'auteur dans son Avant-propos, des jeunes gens: séminaristes, religieux, étudiants d'Université et normalistes, nous font l'honneur de nous consulter sur les études sociales qu'ils désirent entreprendre ou au sujet d'œuvres sociales dont ils veulent s'occuper. Ils nous ont amené à écrire ce petit livre, né du besoin de gagner du temps, et surtout, de l'espoir que ces conseils affectueux de frère aîné pourront faire quelque bien ».

Ces lignes, qui nous renseignent sur le but poursuivi par l'écrivain, nous disent clairement que son œuvre n'est pas un cours d'économie sociale ni un manuel dans le genre de ceux du P. Antoine ou du P. Vermeersch. C'est à une autre besogne que s'est attelé l'infatigable promoteur des œuvres ouvrières: ce qu'il nous donne ici, c'est un guide, un indicateur du chemin à suivre pour parvenir à la connaissance théorique et au maniement pratique des questions et des œuvres sociales; ce qu'il a voulu entreprendre, comme il le spécifie lui-même, c'est de « faire office d'aiguilleur sur un champ de manœuvres où les voies sont très enchevêtrées et les signaux fort compliqués ».

Son livre comprend trois parties principales: la première s'adresse à tous ceux que leurs études supérieures rangent parmi les classes dirigeantes, et dont la formation intellectuelle, pour être complète, requiert des notions sociologiques au moins fondamentales. A ceux-là le P. Rutten indique la route à suivre, la façon d'acquérir ces connaissances générales tant théoriques que pratiques, par l'étude de quelques livres de chevet et la lecture d'une ou deux bonnes revues, par le contact fréquent avec les hommes d'œuvres et les œuvres elles-mêmes, par l'observation attentive de leur propre milieu social et ainsi de suite. Tout cela est expliqué dans le détail, avec une clarté précise, une sagacité consommée, une chaleur communicative.

Dans la seconde partie, l'auteur se tourne spécialement vers ceux que leur dévouement désintéressé ou leurs devoirs d'état déterminent à se spécialiser dans les études et les œuvres de sociologie. Ici les explications se font plus abondantes encore et plus particulières, la liste des livres et des revues à consulter plus fournie, les avis et conseils plus étroitement adaptés aux circonstances concrètes, la mise en garde contre les écueils plus significative.

Enfin, dans un Epilogue suggestif, l'écrivain résume et condense, en un chapitre écrit de main de maître, les diverses conditions qui assureront

le succès dans les études et surtout dans les œuvres; et il termine par des conseils spéciaux au jeune clergé.

N'oublions pas de mentionner les Annexes, qui fournissent, au sujet des ouvrages et revues recommandés ou signalés, l'indication précise des éditeurs et des prix.

Quel jugement d'ensemble porter sur le livre du R. Père? C'est le péché mignon de la plupart des auteurs, de s'imaginer combler une lacune en publiant leurs ouvrages. Mais ici, franchement, la lacune existait. Nous en appelons à tant de personnes sincèrement désireuses de se mettre au courant des questions et des œuvres sociales, et dont la bonne volonté est paralysée ou bien qui s'engagent à l'aventure, faute d'une boussole et d'un guide; nous en appelons à tant d'autres encore, qui ayant déjà pris contact avec la théorie, se consacreraient avec bonheur à la pratique, mais qui hésitent, se demandant avec auxiété comment mettre la main à la tâche. Aux unes comme aux autres le P. Rutten vient en aide; et l'autorité incontestée de sa parole se double de celle de son expérience. Ses conseils sont vécus; partout on sent le doigté d'un homme mûri dans l'action, et sûr de ce qu'il recommande. Pas d'utopies fantaisistes, pas de châteaux en Espagne, mais pas non plus de pessimisme résigné; pas d'emballement, mais non plus pas de torpeur apathique; pas d'exagérations, mais pas de faiblesse. Vraiment, ce petit livre vaut son pesant d'or; et pour tous les jeunes, il sera l'initiateur, le vademecum pour ainsi dire indispensable.

Pesch Chr., S. J. *Prælectiones dogmaticæ.* Tomus IX; *De virtutibus moralibus, de peccato, de novissimis.* Editio tertia, Friburgi Br., Herder, 1911. In-8, x-436 p. Pr. 8 f.

Præsenti volumine absolvitur nova editio totius operis dogmatici doctissimi Pesch, cui jure merito laudem tribuunt tum sanæ moderatæque doctrinæ, tum solidæ et ad fontes ipsos quæsitæ eruditionis amantes. Quibus si claram addas atque logicam rerum expositionem, linguamque facili decurrentem cursu, ipsum auctorem de re theologica optime meritum unusquisque testabitur.

Tribus autem partibus præsens volumen constat: quarum prima de quatuor virtutibus cardinalibus disputat necnon de virtute religionis; secunda vero de peccato; tertia autem de novissimis. Adnectitur præterea duplex index generalis, referens tum loca Scripturistica allata, tum tabulam analyticam omnium rerum in novem voluminibus totius operis expositarum.

Ut notum est, materiam suam sub respectu tantummodo dogmatico auctor evolvit, reliqua omnia remittens ad moralistas, præsertim ad cl. Lehmkuhl. Quæ rerum disjunctio non omnibus arridet, prout in nostro periodico data occasione jam est adnotatum; præsertim cum in præsenti volumine quædam partes summo tantum calamo attingi videantur, ut exempli gratia pars de virtute justitiæ, quæ unica propositione absolvitur.

Illam ceteroquin concisam brevitatem in expositione punctorum par-

ticularium pariter invenire est. Sic mirabitur non nemo nihil in tractatu de Fortitudine proponi circa martyrium infantium, quos tamen ut martyres Ecclesia colit; queretur quis S. Thomam ibidem silentio premi, ubi clare innuit milites in bello justo posse, saltem coram Deo, martyrii palmam adipisci. Similiter in tractatu de Temperantia malitiam intrinsecam peccati luxuriæ et impudicitiæ tam breviter propositam inveniet lector, ut compendium rei potius quam expositionem auctor præbuisse videatur etc.

Liceat proinde nobis expectare ut nimis decurtata in sequenti quondam editione paululum evolvantur, quo perfectius adhuc reddatur opus illud dogmaticum, imo in suo genere omnibus numeris quasi absolutum.

Gaffre L.-C. *Le Christ et l'Église dans la Question Sociale.* Conférences données au Brésil. Paris, Bloud, 1912. In-16, xxv-342 p. Prix : 3 fr. 50.

Ce volume présente aux lecteurs sept des conférences les plus importantes que M. Gaffre est allé récemment donner au Brésil sur les doctrines de l'Église et les devoirs des catholiques au point de vue social; conférences dont les Lettres-Préface de plusieurs notabilités de l'Église brésilienne attestent tout le succès : « le sillage lumineux de votre passage sera une voie lactée indélibile dans nos cœurs... » p. XXV.

Ce sont proprement, non des leçons, mais des discours qui sont réunis dans cet ouvrage. Le style en est imagé et fleuri à profusion; nombre de considérations et de procédés de développement s'inspirent des nécessités de la polémique locale, et n'ont rien de rigoureusement didactique, ainsi que l'écrivain le déclare lui-même. Ajoutons que la fougue éloquente qui entraîne l'orateur explique aisément certaines exagérations de langage et certaines généralisations tant soi peu hasardeuses, non moins qu'elle excuse de ci de là quelques lacunes de fond.

Mais encore n'avons-nous ici que le pâle résumé de ces conférences, la rédaction momifiée — c'est le mot de M. Gaffre — des pensées communiquées dans le feu de l'action à l'auditoire brésilien, alors que celui-ci « donnait son rythme à l'orateur, l'imprégnait de sa chaleur, l'emportait dans son élan » p. 2.

Toujours est-il qu'à la lecture de ces pages, on admire sincèrement la belle et courageuse conviction du conférencier, son ardeur d'apôtre, sa parole vibrante, et le relief tout personnel qu'il sait donner à ses idées.

E. Hosten.

Dr Derkcx, *De Vrouwe.* Kerkrade, Alberts, 1911. In-8°, 325 bl. Fl. 1,60.

Een voortreffelijk werk, wiens verheven doel is : aanwijzen welke plaats Maria inneemt in het algemeen plan der goddelijke Voorzienigheid en welke houding den Christen mensch past tegenover haar.

Het boek heeft drie afdeelingen. — In de *eerste* handelt S. over het

begrip *natuur* en *bovennatuur*, over het bestaan van God en andere vraagstukken die tot de Apologetiek toebehooren: dit ten eerste, om het verband aan te toonen tusschen de natuurlijke en bovennatuurlijke orde en diensvolgens de beteekenis van Maria vollediger uit te leggen; ten tweede, om de valscheid der hedendaagsche dwalingen te doen uitschijnen en den vasten grond bloot te leggen waarop de christelijke beschouwing gesteund staat. — Klaar en grondig is de verhandeling over het geloof (1) bl. 71-67, 114; over de vooroordeelen der rationalisten, bl. 81 vv.; de wederlegging der syncretisch-ontwikkelingstheorie in zaak godsdienst, bl. 91 vv.

In de *tweede* afdeeling is eigenlijk het stelsel voorgedragen dat S. bedoelt: Maria, als moeder van Jesus-Christus, is in waarheid Moeder van God, en, ten opzichte van het menschdom, is zij een tweede Eva, naast Christus, den tweeden Adam: « driemaal rijst voor ons oog, onafscheidelijk met haar Zoon, het beeld der *Vrouwe*... in de *Genesis* als profetie, in de *Evangeliën* als vervulde werkelijkheid, in de *Apocalypse* als beschrijving van de werkelijkheid, die haar eigen toekomstbeeld en profetie geworden is, het beeld der voortzetting van het verlossingswerk, de eeuwen door ». S. onderzoekt de verschillende daden van Maria's leven, die ons in de Evangeliën verhaald worden, en toont ons aan hoe Maria, in tegenstelling met Eva, door nederigheid en lijden, medewrocht met Jesus tot de herstelling van het menschdom. In deze afdeeling vinden wij eene diepingaande verdediging der Mariavereering tegen de Protestanten: S. bewijst dat zij door de h. Schrift gewettigd is en niet tegenstrijdig met den eeredienst — van aanbidding — die aan God alleen toekomt. Het leerstelsel, volgens hetwelk Maria ook de moeder des menschen is, wordt (op bl. 249 vv.) niet volledig uiteengedaan.

In de *derde* afdeeling aanschouwt S. den invloed van Maria op het christelijk leven: voor *ieder Christen* is Maria het voedsel van zijn geloof, van zijn hoop en van zijn liefde, van heel het bovennatuurlijk leven; voor de Kerk is Maria, door de vereering die haar toekomt, om zoo te zeggen, de « monstrans die Christus draagt » en een bron van geestelijk leven.

Gansch het werk getuigt van grondige kennis der godgeleerdheid, veel belezenheid en dichterlijk gevoel. De uiteenzetting der gedachten is, hier en daar, wat langdradig en de hoofdgedachte verduistert daarbij. Niettemin zullen de ontwikkelde lieden en voornamelijk de priesters, daar onderricht vinden omtrent verschillende waarheden van ons geloof, stof tot zalige overwegingen, opwekking tot eerbied, liefde en betrouwen tegenover Jesus en zijne Moeder.

J. VAN DER MEERSCH.

---

(1) Betreurenswaardig is 't dat onlangs, in een schrift dat met goed inzicht opgesteld is, het begrip van den geloofsakt en zijn vrijheid gansch verkeerd is opgevat geweest: dit getuigt van gebrek aan wetenschappelijk onderzoek.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Describe doctrinam S. Jacobi in epistola sua circa *justificationem, fidem* et *opera*.

II

Breviter indica et dijudica sententias, a S. Thomæ doctrina diversas, quas catholici Theologi propugnant ad determinandum cur humana Christi natura non sit persona.

III

Describe materiam proximam sacramenti Confirmationis, ejusque significationem accuratius determina.

IV

Vindica doctrinam Ecclesiæ circa elementa constitutiva descriptæ materiæ proximæ, eamque concilia cum praxi ævi apostolici.

V

Præmisso tenore formæ Confirmationis, quæ in Ecclesia Latina ac Græca respective usurpatur, utriusque formæ convenientiam ostende.

VI

A qui incombent les travaux de décoration et d'embellissement des églises?

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVII, pag. 168).

—

VII

Jam accedimus ad interpretanda quæ difficiliora occurrunt apud Rusbrochium.

Referuntur præsertim ad duo puncta, connexa ad invicem, videlicet ad quædam effata de Deo secundum unitatem essentiæ et trinitatem personarum; et ad unitatem seu unionem mysticam spiritus creati cum Deo.

In utroque puncto, inspectis hinc quidem subjecta materia et scopo Rusbrochii, inde vero connexione et corelatione quam inter utrumque punctum existere mox videbimus, nobis recurrendum erit ad theologiam dogmaticam simul et ad principia theologiæ mysticæ; ita ut in priore puncto magis ad dogma, in altero potius ad principia mystica sit attendendum.

Igitur ante oculos habeamus textum ipsum opusculi de septem gradibus scalæ amoris vel saltem ejusdem summarium supra a nobis exaratum, ubi de septimo gradu sermo est.

Ex verbis Rusbrochii, dum altissimum mysterium

Dei unius et trini præclare exponit, videmus eumdem considerare divinam essentiam seu naturam sub duplici respectu: 1/ ut est unum simplex otiosum esse (een sempel ledegh wesen) seu deitas quæ non operatur (sine godheit die en werct niet); 2/ ut est natura fœcunda, summe et æternum activa (De godleke persone in vrochtbaerheit haerre natueren sijn een god eewelec werkende. Ende in de sempelheit haers wesens, sijn si godheit, eeweghe ledegheit. Ende aldus es God in den personen eewegh werc, ende in den wesene eeweghe ledegheit).

Porro, sub respectu naturæ fœcundæ est 1/ fœcunditas *ad intra*, duæ nempe processiones, et trinitas personarum, ut iteratis vicibus exponit. Est 2/ fœcunditas *ad extra*, posita prius, prioritate rationis, Trinitate personarum. (Ende in den werken ieghewelc persoen heeft alheit der natueren in heme, ende alsoe es hi almechtegh God in cracht der natueren, niet in persoenlec onderscheede).

Obiter addamus verbulum quo jam pateat contactus seu corelatio existens inter hujus prioris puncti doctrinam et inter ea quæ de unitate seu unione animæ cum Deo secundum Rusbrochium fusius explicanda erunt in altero puncto.

Videlicet, sub respectu simplicis essentiæ otiosæ est Deus summa quies et abyssalis beatitudo, in qua omnes beati spiritus in unum congregantur, et fruendo similiter quiescunt, non vero operantur; congregati, inquam, cum Patre et Filio in unitate Spiritus sancti, ubi cum divinis personis sumus unum amare unumque frui, et hæc fruitio est perfecta in esse, modo experte, deitatis. Illic personæ divinæ seipsas exspirant (hen selven ontgheesten) in unitate sui esse, in abysso sine fundo simplicis beatitudinis. Illic nec Pater est, nec Filius, nec Spiritus sanctus, nec ulla creatura (infra idem repetit: daer en es noch God noch creatuere, addendo: na wise der persoonlecheit). Daer sijn wi alle met Gode

sonder onderscheet eene grondeloese eenvuldeghe (alibi addito : weseleke) salegheit. Daer en es niet dan eenegh wesen, dat es de substantie der godleker persone. Daer sijn wi alle een ende ongeschapen in onse overwesen... Daer es God in sinen sempelen wesene sonder werc, eeweghe ledegheit, wiseloese deemsterheit, onghenaemde istegheit (essentialitas), alre creaturen overwesen, ende Gods ende alre heileghen eenvuldeghe grondeloese salegheit.

Sub vero respectu fœcundæ naturæ : overmids gelijcheit goeder werken sijn wi Gode gheeenecht in sijner vrochtbaerre natueren die altoes werkende es in drieheit der persone, ende al goed volbringt in eenegheit sijns gheests. — De quibus latius in secundo puncto.

Nunc primum punctum sub respectu præcipue dogmatico paulo enucleatius examinemus, scilicet doctrinam Rusbrochii de Deo uno ac trino.

Hujus doctrinæ perfectam concordiam cum dogmate Ecclesiæ, prout a præclaris luminibus Scholæ altissime exponitur, nos ita dilucide demonstraturos speramus, ut vel hoc solo argumento confirmari nobis videatur veritas asserti B. Rusbrochii, quo confessus est « se numquam verbum in libris suis posuisse, nisi ex instinctu Spiritus sancti », vel ut alias refertur : « nisi in præsentia sanctæ Trinitatis (1) ». Idque etiam non admittendo quod ab aliquibus dictum fuit, eo forte fine ut nonnisi infusa ac supernaturalis appareret scientia Rusbrochii, videlicet eumdem fuisse hominem rudem ac illitteratum.

Ad hoc propositum nostrum sufficiet ob oculos lectoris reponere quæ in « Meditationibus theologicis » variis locis de Deo uno ac trino, de divinis processionibus ad intra, de operatione Dei ad extra disputavimus (2).

(1) Cf. Pomerius, in *Vita Rusbrochii*, c. IX.

(2) V. *Collat. Brug.*, tom. III, præsertim p. 545 et sqq., p. 597 et sqq.; tom. IV, pag. 129 et sqq., p. 204 et sqq., p. 257 et sqq., p. 433 et sqq.; tom. VI, p. 225 et sq., p. 341 et sqq.

Audiamus primo præclarissimum S. Thomæ interpretem Card. Cajetanum, fundamentum doctrinæ heic attendendæ ponentem his verbis: « In Deo secundum rem sive in ordine reali est una res non pure absoluta nec pure respectiva nec mixta aut composita aut resultans ex utraque, sed eminentissime et formaliter habens quod est respectivi, imo multarum rerum respectivarum [videlicet trium realiter relativorum ad invicem, et eo ipso realiter inter se distinctorum], et quod est absoluti; ita in ordine formali seu rationum formalium secundum se, non quoad nos loquendo, est in Deo unica ratio formalis non pure absoluta nec pure respectiva, non pure communicabilis nec pure incommunicabilis, sed eminentissime et formaliter continens et quidquid absolutæ perfectionis est, et quidquid Trinitas respectiva exigit. Oportet autem sic esse, quia oportet cuilibet simplicissimæ rei secundum se maxime uni respondere unam adæquatam rationem formalem: alioquin non esset per se primo unum intelligibile a quovis intellectu. Et confirmatur quia Verbum Dei unicum tantum est. Constat enim verbum, si perfectum est, adæquare id cujus est. Fallimur autem ab absolutis et respectivis ad Deum procedendo, eo quod distinctionem inter absolutum et respectivum quasi priorem re divina imaginamur, et consequenter illam sub altero membro oportere poni credimus, et tamen est totum oppositum. Quoniam res divina prior est ente et omnibus differentiis ejus: est enim super ens, et super unum, etc. (1) ». Et paulo infra explicando addit: « Pater non intelligit essentiam et paternitatem ut duo objecta formalia secundum se, sed ut unum formaliter et multa virtualiter, non ita quod in illa summa re atque ratione formali paternitas et essentia sint virtualiter, sed ita quod sint formaliter et realiter, sed distinctio earum est virtualiter, quia ita ibi sunt ac si essent distinctæ, et rursus quia ita exercet munus utriusque ac si essent distinctæ ».

(1) In 1m, q. XXXIX, art. 1.

Porro eamdem doctrinam merito extendimus ad Deum ad extra operantem, dicendo : Deus, actus purus infinitus intelligendi ac volendi, seu summa illa res et ratio formalis una, quæ eminentissime et formaliter continet quidquid absolutæ perfectionis est, et quidquid Trinitas respectiva exigit, est etiam realiter et formaliter actus ad extra, non quidem sub ratione termini extrinseci et creati consideratus, sed ut actus immanens divinus, siquidem actio Dei est ipsa divina substantia seu natura.

Nemo non videt cum his perfecte consentire Rusbrochium, quando distinguit in Deo simplicem essentiam, deitatem, quæ non operatur, et naturam fœcundam, æternam activitatem, qua, duplici processione, trinitas existit personarum. Profecto, ut vidimus, hæc distinctio mere rationis est; nec aliam intendit Rusbrochius, quod eo vel manifestius est, quod hæc distinctio tota refertur a Rusbrochio ad contemplationem mysticam divinitatis, ut infra de unione cum Deo agentes videbimus.

Quod autem activitatem divinam ad extra attinet, quam vere et quam subtiliter præsupponit, iterum prioritate tantum rationis, activitatem ad intra adeoque divinas personas, dicendo, ut notavimus : « in agendo singulæ personæ totalitatem naturæ in se habent, et sic unaquæque est omnipotens Deus vi naturæ, non ratione distinctionis personalis ». Ita asseritur duplex veritas quam fusius alio in loco (1) explicavimus, videlicet, cognita Trinitate per revelationem, et prius Trinitatem concipi a nobis debere quam Deum ad extra agere; et actionem ad extra esse communem tribus S. Trinitatis personis, ratione communis, unius identicæ naturæ.

Naturam autem divinam, prout est principium operationis ad extra, quam merito idem Rusbrochius ratione

(1) Ad quem remittimus, nempe in *Medit. theol.*, apud *Collat. Brug.*, locis cit. e tom. IV, et brevi compendio, tom. VI, p. 341 et sqq.

secernat ab essentia omnino absolute considerata, intelligimus audiendo S. Bonaventuram ubi declarat (1) Deum ad extra operari sub ratione tribus communis et unius essentiæ seu naturæ, secundum tamen quod comprehendit appropriata (omnipotentiam, sapientiam, et bonitatem; unum, verum, bonum; etc.) non secundum quod in omnimoda absolutione consideratur: Deum enim esse causam finitorum per essentiam suam, ratione appropriatorum, quæ sunt essentialia considerata in personis.

Quod tandem Rusbrochius, postquam asseruit in Deo, prout est simplex otiosa essentia et beatitas quiescens, omnes beatos spiritus similiter fruendo quiescere, unumque esse cum divinis personis, eamque fruitionem esse perfectam in esse modo experte (id est, absolute considerato, non personaliter) deitatis, deinde addit: Illic personæ divinæ seipsas exspirant (hen selven ontgheesten) in unitate sui esse, in abysso beatitudinis. Illic nec Pater est, nec Filius, nec Spiritus sanctus, neque ulla creatura; seu, ut infra explicat, nec Deus, nec creatura, ad modum personalitatis: hæc, inquam, dicta satis admirari non possumus. Etenim, cum primo intuitu difficilia videntur, revera exhibent, si altius inspiciantur, doctrinam sub respectu non tantum mystico sed et mere dogmatico accuratam æque ac profundam circa subsistentiam in divinis. « Natura divina, *ait Cajetanus* (2), ex se ipsa subsistit, nec mendicat subsistentiam a suppositis, imo confert eam ipsis. Reliquæ autem naturæ non subsistunt nisi in supposito. » Videlicet ex intrinseca eaque infinita ac perfecta fœcunditate naturæ divinæ fit ut hæc in tribus personis subsistat.

Inde quoque est quod Deus perfecte redit ad essentiam suam; quod nihil aliud significat, quemadmodum notat S. Thomas (3), quam quod perfecte in se subsistit.

(1) In 1m, dist. 36, p. 1, q. II.
(2) In 1m, q. 39, art. 4.
(3) 1a, q. 14, art. 2, ad 1m.

Hoc autem exprimit Rusbrochius nervose, dicendo: in unitate fruitiva simplicis otiosæque suæ essentiæ, seu in esse modo experte deitatis et abysso quietæ beatitatis, supra et ultra fœcunditatem naturæ, seu in esse plane absoluto, non ad modum personalitatis (neque prout comprehendit appropriata), personas divinas se ipsas quasi exspirare (1), seu ad illam unam, absque modo, simplicem, otiosam essentiam redire, quæ est quasi fundus fœcundæ naturæ et personarum divinarum.

Quæ quo clarius perspiciantur, attende creaturas spirituales similiter, modo quamvis infinite minus perfecto quam Deum, ad suam essentiam redire, idque plus minusve perfecte pro diverso gradu perfectionis suæ naturæ.

Sic natura angelica non quidem a seipsa, sicuti natura divina, subsistit, sed tantum in supposito; ast, cum sit forma pure spiritualis sine relatione ad materiam, subsistit qua talis eo ipso quod creatur; ita ut quot individua tot sint angelorum species, nec plura sint ejusdem speciei supposita.

In natura humana, cum anima non sit forma mere spiritualis sed de se respectum habeat ad materiam informandam, homo in se subsistit tantum eatenus, quatenus individuatur ut talis forma corporis numerice distincti quod informat; et sic ejusdem speciei plura in indefinitum individua esse possunt (2).

Itaque angelus perfectius redit ad essentiam suam, quam anima humana. Ille, cum sit forma mere spiritualis, in se subsistit, quin ullatenus se effundat extra se; unde redit ad essentiam suam eo ipso quod ut talis forma subsistit.

Anima vero humana, cum ut forma se effundat super materiam ut fiat individuus homo, redit ad essentiam suam eo quod, individuata in corpore, ad seipsam redit

(1) Sunt hæ omnes locutiones ipsius Rusbrochii.

(2) Vid. *Medit. theol.*, part. I, nn. 125 et sqq.

ut tale suppositum humanum; aut postea, a corpore soluta, in quantum, cum fuerit individuata in corpore, manet tale suppositum licet imperfectum.

Deus perfectissime redit ad essentiam suam, eo quod natura divina ipsa confert subsistentiam personis, et una identice trium personarum est natura et essentia: etenim singulæ personæ a natura fœcunda, et hæc rursum ab essentia absolutissime considerata, non distinguuntur nisi ratione, quamquam personæ inter se distinguuntur realiter; unum et idem re sunt essentia omnimodo absoluta, natura fœcunda et personæ singulæ.

Porro, subsistentiam plus minusve perfectam atque reditum plus minusve perfectum ad essentiam consequitur cognitio sui reflexa plus minusve perfecta, juxta dictum Philosophi (1); « Omnis sciens qui scit suam essentiam, est rediens ad essentiam suam reditione completa. »

Itaque Deus intelligit se perfectissime, utpote cujus intelligere est suum esse suaque ipsa substantia. Angelus, cum sit forma intellectualis subsistens semper in actu, se cognoscit per seipsum, ita quod species impressa sit sua ipsa substantia, non quod conceptus quem de seipso efformat seu species expressa sit sua substantia (2); adeoque longe perfectius se intelligit quam homo. Hic tandem intelligit se, quatenus ejus intellectus reducitur in actum per speciem impressam, quæ non est sua substantia sed abstrahitur a sensibilibus rebus, ita quod cognoscat intelligibile, atque eo ipso quod cognoscit intelligibile, intelligit suum intelligere, et per actum cognoscit potentiam intellectivam.

Hoc primum punctum in quo, sub respectu præsertim dogmatico, Rusbrochii, doctoris admirabilis, admirabilem doctrinam de Deo uno ac trino interpretati sumus,

---

(1) Apud S. Thomam, 1, q. 14, a. 2, ad 1m, ubi ostendit S. Doctor quomodo Deus intelligat se.

(2) Vid. S. Thomam, 1, q. 56, a. 1, cum Comment. Cajetani.

jam concludimus. Porro lector attentus sine dubio mirans animadverterit summam Deitatem, quam præclare definit Cajetanus uti unam rem non pure absolutam nec pure respectivam, sed eminentissime et formaliter habentem quod est respectivarum rerum, et quod est absoluti, etc., hanc, inquam, rem divinam apud Rusbrochium præcise esse objectum illius « grondeloes nietweten », esse illam « eeuweghe onghenaemtheit », « eeweghe ledegheit en eeweg werc », « grondeloese salegheit », « wiseloese onbekinde deemsterheit », quæ quidem omnia objecta ad celsissimum contemplationis exercitium pertinent.

Sed et hoc lectori perutile ac jucundum erit, scilicet nos indicasse nunc affinitatem omnimodam totius doctrinæ expositæ cum doctrina mystica S. Joannis a cruce, in duplici opere, in quo de ultimo stadio vitæ contemplativæ agit, nempe *Le cantique spirituel* et *La vive flamme d'amour* (1). Quamquam enim S. Auctor hanc supremam vitæ contemplativæ perfectionem potius sub respectu unionis amorosæ cum Deo considerat (2), quam sub respectu contemplationis hujusque objecti, hinc inde tamen de hac contemplatione, tamquam prælibatione quadam visionis beatificæ, ea eloquitur quæ miro modo similia sunt atque germana dictorum ut supra Rusbrochii. Legatur præcipue *Le Cantique spirituel*, strophe XXXVIII et XXXIX. Ibi inter alia repe-

---

(1) Scilicet in his agitur de tertia nocte seu tertia parte noctis, de qua superius diximus, juxta methodum S. Auctoris, in qua exercetur contemplatio obscura, tenebrosa, mystica, ut ait, eaque ducens ut aurora ad lumen consummatæ unionis cum Deo. Cf. *Cant. Spir.*, Strophe XXXIX, 4e vers.

Utrumque opus de unione in hac vita suprema cum Deo tractat seu de transformatione animæ in Deum per amorem. Cum tamen hic amor in eodem statu adhuc gradus perfectionis patitur, in hoc distinguitur *La vive flamme d'amour* ab altero *Le cantique spirituel*, quod agat de gradu perfectiore amoris. V. *Prologue*.

(2) Rationem, cur potius ita consideret perfectionem, reddit A in *Le cantique spirituel*, strophe XXXVIII (pag. 411, edit. Paris. cit.).

ries hujusmodi dicta: « Dans l'état du mariage spirituel, l'âme ne laisse pas que de posséder, dès ce monde, une certaine connaissance de « cette chose » qui ne peut s'exprimer (str. XXXIX) ». Et pluries repetit: « cette chose », res divina (1) seu Deus (v. strophe XXXVIII). « Cette nuit (vid. XXXIX, versum 4) est la contemplation dans laquelle l'âme aspire à découvrir toutes ces merveilles. Elle lui donne le nom de nuit, parce que la contemplation est obscure. On l'appelle encore théologie mystique, c'est-à-dire sagesse de Dieu secrète ou cachée.... Si sublime que soit cette connaissance, ce n'est cependant qu'une nuit obscure en comparaison de la connaissance béatifique ».

Sermo de eadem doctrina S. Joannis a cruce redibit in altero puncto de unione cum Deo, quod nunc aggredimur. Hic, uti jam notavimus, principiis mysticis magis quam solis dogmaticis inniti oportebit. Distinctio autem rationis inter essentiam Dei absolute consideratam et naturam divinam fœcundam, a Rusbrochio adhibita, quam vidimus sub respectu etiam pure dogmatico plane legitimam et ad exponendum altissimum S. Trinitatis mysterium aptissimam, opportunissima apparebit sub respectu mystico, in quæstione de unione seu unitate animæ contemplativæ cum Deo ad sensum Rusbrochii, aliorumque mysticorum.

Cæterum, hæc quæstio difficultate non caret, et satis ægre pervenitur ad sensum Auctorum mysticorum accurate perspiciendum.

Incipiamus a Rusbrochio.

(Continuabitur).

---

(1) Cf. supra textum cit. Cajetani.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. *Præmisso nexu idearum quæ exponuntur in epistola ad Hebræos, IV, 14 — V, 9* (1), *speciatim interpretare V, 7-8.*

R. In vv. 7-8 capitis V, ostenditur Christum expertum esse infirmitatem humanam tum *physicam*, quatenus corpore et animo dira passus est, tum *moralem*, quatenus experientia didicit quam durum esse possit hominibus obedire mandatis divinis. Quæ latius evoluta vide infra; — hic tantum subjicimus dictorum vv. interpretationem.

Textus Vulgatæ non accurate vertit textum originalem græcum, et sic esset corrigendus:

Qui (Christus) *in diebus carnis suæ, postquam, cum clamore valido et lacrymis, obtulisset* (προσενέγκας, in aoristo) *preces et supplicationes, ad eum* (Deum Patrem) *qui posset illum salvum facere a morte, et postquam exauditus est* (εἰσακουσθεὶς, in aoristo) ἀπὸ τῆς εὐλαβείας (2), *quamquam esset Filius, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.*

I. In hoc textu fit allusio ad **aliquod factum vitæ mortalis Christi**: in diebus carnis suæ, scilicet dum

---

(1) Pro momento quæstionis, et ne brevitas expositionis claritati noceat, ea quæ epistola ad Hebræos affert ad stabiliendum et explicandum factum sacerdotii Christi, latius evoluta invenies in dissertatione infra subjecta.

(2) Scribimus græce, postea examinaturi sensum horum verborum.

erat adhuc in natura sua humana infirma et mortali (1). — Quodnam est illud factum?

Missa sententia nonnullorum hic agi de facto quodam quod non narratur in Evangeliis, — quæ sententia jure nimis expeditiva videbitur, nec, ut ex dicendis apparebit, ullatenus necessaria —,

1° Multi æstimant agi **de Christo morituro in cruce**: tunc enim, aiunt, preces suas obtulit Patri: *Deus meus, quare me dereliquisti?* — et: *In manus tuas commendo spiritum meum;* — tunc quoque cum clamore valido obiit; — et probabile est ipsum, præ vehementia dolorum, lacrymas fudisse; — hac quoque occasione, propter suam reverentiam, exaudita est a Deo oratio ejus qua oraverat ut a morte liberaretur per resurrectionem: tertia enim die resurrexit (2).

Hæc sententia non placet. — Etenim:

a/ Juxta textum epistolæ, Christus oravit *ut a morte liberaretur*. — Ubinam legimus Christum dum in cruce pendebat hoc a Patre suo rogasse?

b/ Dicitur: *Christus exauditus est*. Jamvero Christus, si rogavit ut a morte liberaretur, non fuisset exauditus: nam non fuit liberatus a morte, sed mortem revera subiit. — Nec dicas: Exauditus est quatenus *resurrexit;* — nam, juxta textum, Christus non petiit ut resurgeret, sed ut salvus fieret a morte, ne moreretur (3): *resurgere* autem idem non est ac: *non mori*.

c/ Imo textus dicit: Christus *postquam exauditus* est, didicit ex iis quæ *passus est* obedientiam. — Quid adhuc pati et patiendo addiscere potuit Christus post resurrectionem suam?

---

(1) Cfr. II, 14.

(2) Hæc sententia a multis antiquis proponitur. Vide inter antiquos Estium; inter recentiores Drach, *La Sainte Bible avec commentaires: Epitres de S. Paul* (Paris, 1871). Vigouroux-Bacuez-Brassac, *Manuel biblique*, t. IV, n. 1008.

(3) Instantes illæ et tanta anxietate expressæ orationes congrue non quadrant in petitionem ut resurgat, sed optime quadrant in petitionem ut a morte valde dolorosa quæ imminet liberetur.

2°/ Hinc præferimus sententiam aliorum (1) hic agi **de Christo patiente in horto Gethsemani.** Tunc enim revera Christus obtulit Patri suo preces supplicationesque, ardentes nempe et iteratas supplicationes, triplici vice orans: *Pater, si vis, transfer calicem istum a me* (2); — tunc revera oravit, ut dicit textus epistolæ, Patrem suum, ut salvum faceret ipsum a morte: *Si possibile est, transeat a me calix iste;* — quod tunc lacrymas fuderit Christus, illud poterat auctor scire ex traditione orali non consignata in evangeliis, vel imo, absque traditione speciali, illud ex ipsa narratione evangelica sufficienter concludere poterat; nonne enim Christus cœpit pavere et tædere, contristari et mæstus esse; nonne de seipso dixit Christus: *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Nonne tantæ tristitiæ lacrymæ fuerunt sequela physica? — Item quod Christus tunc emiserit clamorem validum, illud vel scire poterat auctor ex traditione particulari, vel dicere potuit per simplicem allusionem ad triplicem orationem quæ ex angustiato corde Christi erupit. — In hac quoque sententia bene intelligitur quod dicitur Christum fuisse exauditum (cfr. dicenda sub II), et deinde, patiendo, didicisse obedientiam (cfr. dicenda sub III).

II. **Christus exauditus est** ἀπὸ τῆς εὐλαβείας.

1°/ Communior quidem sententia (3) sic interpretatur: exauditus est **propter suam reverentiam,** id est, sive: propter reverentiam et pietatem filialem et submissio-

---

(1) Hæc quoque a variis antiquis proponitur. S. Thomas primam et secundam sententiam simul proponit. Eam vide apud Corn. a Lapide, et inter recentiores, apud Bisping, Beelen et Van Steenkiste, *Commentarius in epistolas S. Pauli* et alios.

(2) Luc. XXII, 39-46; Mt. XXVI, 36-46; Mc. XIV, 32-42.

(3) Mittimus sententiam Protestantium S. XVI (Calvini et Bezæ), interpretantium hæc verba: Christus fuit liberatus a metu damnationis, quem in cruce pendens expresserat verbis: Deus meus, ut quid dereliquisti me? — Sententia blasphema, quæ nullatenus fundatur sive in textu Evangeliorum sive in textu nostræ epistolæ.

nem Christi ad Patrem suum, sive: propter amorem quem Pater habebat erga Filium (1).

Revera ἀπὸ potest habere sensum: *propter,* ut apparet ex multis locis Novi Testamenti (2), et εὐλαβεία obvie significat timorem reverentialem, in oppositione ad φόβος, quod est terror.

Ast a/ nonne auctor dixisset: exauditus est propter reverentiam *suam,* αὐτοῦ?

b/ Quæritur quomodo Christus fuerit *exauditus?* An quatenus *resurrexit* a mortuis? Sed, ut diximus jam supra, Christus non petierat ut resurgeret, sed ut liberaretur a morte; unde non fuisset exauditus. — An quatenus fuit ab Angelo de cœlo *confortatus* (3)? Sed sic iterum non accurate dixisset auctor: oravit ut liberaretur a morte, — et exauditus est, — intelligendo: quatenus roboratus est ad mortem accipiendam.

c/ Prout exponitur infra (4), vv. 7-8 eo tendere debent ut inculcent, non quidem Christi reverentiam et pietatem erga Patrem, aut Patris amorem ad Filium, aut liberationem Christi ex tribulationibus suis, sed potius ut has tribulationes Christi et ærumnas ipsius exponant. — Unde *reverentiæ* in hoc contextu non expectatur mentio.

2°/ Inde præplacet sententia aliorum (5) qui verba proposita habent ut constructionem prægnantem, et sic explicant: Christus exauditus est **quatenus liberatus est a timore.** Et nexus idearum fit valde obvius: Christus, in horto Gethsemani, pavore perterritus coram passione et morte quam prævidet, iteratis precibus oravit Patrem

---

(1) S. Chrysostomus utrumque simul jungebat.

(2) Cfr. Mt. XIII, 44; Luc. XIX, 3; XXII, 45; XXIV, 41, 43; Jo. XXI, 6; Act. XII, 14; XXII, 11.

(3) Luc. XXII, 43.

(4) In dissertatione subjecta.

(5) Sic habent quidam Patres latini inter quos citant S. Ambrosium; sic quoque vetus Itala vertit: *exauditus a metu.* — Cfr. Klee, *Auslegung des Briefes an die Hebräer* (Mainz, 1833); Ceulemans, *Comment in epist. S. Pauli;* B. Weiss. *Der Brief an die Hebräer* (Göttingen, 1897).

ut, si fieri posset, transiret calix iste et ipse a passione et morte liberaretur. Exauditus est, quatenus apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum, puta vivido modo ipsi repræsentando gloriam futuræ resurrectionis et ascensionis, necnon abundantes fructus gratiæ et salutis, inde pro genere humano dimanaturos; et inde Christus, post prolixiorem orationem, timore excusso, surrexerit ab oratione et mortem acceperit. Unde, post hanc exauditionem, post acceptum illud robur et excussum timorem, adhuc passus est Christus, et patiendo didicit seu expertus est quam grave et durum esse possit fragilitati humanæ obedire divinis mandatis.

Pro hac sententia stat

a/ nexus obvius rerum qualem statim exposuimus;

b/ εὐλαβεία optime significare potest *timorem, anxietatem*. Cfr. Jos. XXII, 24; Prov. XXVIII, 14; Sap. XVII, 8; Act. XXIII, 10; Hebr, X, 28; XI, 7; XII, 28 (1). — Imo non immerito dictum est auctorem sacrum, linguæ græcæ peritissimum, usum esse, ad designandam anxietatem Christi coram passione et morte, non voce φόβος, sed selectiore voce εὐλαβεία, ut de Filio Dei verecundius loqueretur (2).

c/ Ἀπὸ optime significat *separationem ab*, et tota expressio εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, explicata per: exauditus est *quatenus liberatus* a metu, in scriptis Novi Testamenti plures textus habet similes. Cfr. Act. VIII, 22; XVI, 33; Rom. VII, 2, 6; IX, 3; Col. II, 20; II Cor. XI, 3; Hebr. X, 22.

III. Ex dictis jam pervius fit sensus v. 8: Robore ab Angelo accepto, et excusso omni timore, Christus accepit calicem quem dabat ei Pater bibere, didicit ex passione et morte sua quam durum esse possit infirmi-

---

(1) Sic quoque optime explicatur art. τῆς, nos remittens ad anxietatem illam quam supponebant preces et supplicationes, clamor et lacrymæ.

(2) GRIMM, *Lexicon græco-latinum in libros Novi Testamenti.*

tati humanæ obedire (1) mandatis divinis, et inde infirmitatem qua nos laboramus et ad peccandum inducimur expertus, secundum æquum et justum poterit compati iis qui peccando ignorant et errant (V, 2). — Verba quæ in hoc v. 8 leguntur: *quamquam* (καίπερ) *esset Filius*, vario modo explicantur: quamvis esset Filius Dei, et sic omnia cognosceret, tamen expertus est...; vel: quamvis esset Filius Dei, et qua talis, in natura divina, esset impassibilis, tamen ut homo, in natura humana, passus est et expertus est...; vel: quamvis esset Filius, et sic Deo æqualis, novit tamen obedire, elegit humiliari, et sic expertus est...; melius forte: quamvis esset Filius, et sic peccare non posset, expertus est tamen quam durum esse possit hominibus obedire.

A. Vander Heeren.

II

Q. Quænam est, in doctrina S. Thomæ, ratio cur humana natura in Christo non sit suppositum.

R. Ratio illa est: quia humana natura in Christo *non existit* proprio suo substantiali *actu essendi creato,* sed fit existens ipso actu essendi *increato* Verbi Dei, quod supplet actum existentiæ creatum.

Explicatur. In responsione suprà, p. 173, data, exposuimus cur ratio et nomen personæ (et idem, in casu, valet de ratione et nomine suppositi) non conveniat naturæ humanæ Christi: diximus hoc esse quia humana Christi natura *non est simpliciter individua;* nec est simpliciter individua quia *inexistit Verbo Dei*, consequenter non est secundum se sola seu, tota in se, existens.

(1) *Obedientia,* ὑπακοή. Utrum Christus habuerit *mandatum* stricte dictum, an vero *consilium* tantum moriendi pro salute hominum, ex hujusmodi textu dirimi nequit.

Hoc autem est penitius investigandum, et quærendum utrum ratio, cur humana Christi natura non sit suppositum, sit unice factum assumptionis, sit unice dependentia actualis humanæ naturæ a Verbo, ita nempe ut humanitati assumptæ *nihil reale* desit quod ipsi inesset si esset suppositum (1).

Jamvero, secundum S. Thomam, humanitati Christi *deest aliquid reale* quod haberet, si esset suppositum; hoc autem reale est ipsum *esse creatum* proprium, est nempe actus existentiæ creatus, quo humana Christi natura *naturaliter* existeret et sic simpliciter *subsisteret,* h. e. existeret secundum se solam, proprio suo substantiali actu existendi.

Cur autem hanc de unione Verbi cum humana natura tenet sententiam S. Thomas? Quia censet quod, si humana Christi natura *proprio suo substantiali esse* existit, jam necessario fit suppositum et persona: etenim, secundum S. Thomam, ut plene verificetur ratio suppositi, requiritur et sufficit: a/ natura substantialis singularis, b/ esse substantiale proprium, seu actus existentiæ actualis correspondens prædictæ naturæ; si hæc duo habentur tunc habetur plene verificatum: individuum in genere substantiæ, seu, quod idem est, distinctum subsistens in aliqua natura, seu substantia simpliciter individua, seu suppositum (2).

Hanc sententiam, quam exposuimus, esse revera S. Thomæ tribuendam constat ex variis S. Doctoris assertis, quorum præcipua indicabimus.

1. Quoad definitionem *personæ*, S. Thomas adhibet quatuor formulas (3), quæ tamen quoad sensum redu-

(1) Hæc sententia propugnatur a Scoto; in III, d. 5, a. 2, q. 2, etiam a Jungmann, *De Verbo Incarnato,* n. 143. De hac sententia in alia responsione dicemus.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* suprà, p. 99.

(3) Cf. Terrien, *S. Thomæ Aq. doctrina sincera de unione hypostatica,* Parisiis, 1894, p. 67 ss.

cuntur ad definitionem Boetii (1): « rationalis naturæ individua substantia » et docet nomine personæ formaliter significari incommunicabilitatem sive *individualitatem subsistentis* (2).

2. Quoad humanam Christi naturam, hæc ideo non est persona quia *non est per se existens:* « Non quodlibet individuum in genere substantiæ, etiam in rationali natura, habet rationem personæ, sed solum illud quod per se existit, non autem illud quod existit in alio perfectiori... Licet ergo hæc humana natura [Christi] sit quoddam individuum in genere substantiæ, *quia tamen non per se separatim existit*, sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Verbi Dei, consequens est quod non habeat personalitatem propriam, et ideo facta est unio in persona » (3).

Quando inquiritur cur, in Christo, unione animæ ad corpus non constituatur aliqua *persona* humana, quum tamen apud alios homines ex hac unione constituatur persona, respondet S. Thomas: « Quod ex unione animæ ad corpus constituatur persona... hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima et corpus sic in eis conjunguntur ut *per se existant*. Sed in Christo uniuntur ad invicem *ut adjuncta alteri* principaliori *quod subsistit in natura ex eis composita. Et propter hoc* ex unione animæ et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona, sed advenit ipsum conjunctum personæ seu hypostasi præxistenti » (4).

3. Ergo humana Christi natura *ideo* non est persona *quia* non per se separatim existit, sed existit in ipsa persona Verbi Dei. Porro existere in ipsa persona Verbi Dei est, secundum S. Thomam, fieri existens *ipso esse increato* Verbi Dei : « *esse* æternum Filii Dei... fit *esse*

(1) *Liber de persona et de duabus naturis*, c. 3.
(2) *De Potentia*, q. 9, a. 6.
(3) 3, q. 2, a. 2 ad 3.
(4) ib. a. 5 ad 1.

hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personæ » (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Indica varia observanda pro inscriptione Baptismi in registro baptizatorum.*

R. I. **Generalia.**

1° Accuratè inscribatur Baptismi notitia, juxta formulam *Ritualis Romani*, aut juxta formulam simillimam *Pastoralis Brugensis*, cum cognomine et nomine prolis baptizatæ, parentum et suscipientium, cum indicatione datæ ac debita subsignatione baptizantis.

2° Observetur, in dicta inscriptione :

a) monitum Congr. Prosyn. anni 1887 (*Collect. ep. past.*, t. XIV, p. 354) : « In actis baptizatorum... conscribendis et exscribendis, omnis vitanda est verborum et maxime nominum abbreviatio ; nomina autem christiana semper præcedere debent nomen familiæ » ;

b) mandatum Episcopi, in Congr. Prosyn. anni 1874 (*Collectio*, t. XII, p. 194) : « Ad præcavendum omissionis periculum, præcipimus ut, ipso die Baptismatis... acta... distincte et nitidè describantur et signentur ».

3° Ad tramites articuli IX Decreti *Ne temere*, sub

(1) 3, q. 17, a. 2 ad 2. Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 96 ss. Et notemus quomodo hæc doctrina concordet cum aliis dictis a S. Thoma : v. gr. « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personæ » 3, q. 19, a. 1 ad 4. « *Esse* est id in quo fundatur unitas suppositi ; unde esse multiplex præjudicat unitati essendi », *Quodlibetum* IX, a. 3 ad 2. Inde, uti supra, p. 96 ss. exposuimus, ex ontologica unitate Christi deducebat S. Thomas non nisi *unum esse substantiale* actualis existentiæ, scilicet esse *divinum*, in Christo inveniri. Cf. CARD. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Romæ, 3a ed. 1900, p. 70 ss., 125 ss.

Quomodo sententia de reali distinctione inter essentiam et existentiam in creatis cohæreat logice cum tota doctrina S. Thomæ et quasi fundamentum ejus sit, indigitavit nuperrime CARD. LORENZELLI, in epistola ad P. Del Prado : cf. *Revue thomiste*, t. XX, 1912, p. 66 ss.

paragr. 2ª, adnotet parochus ejusve vicem gerens, in margine libri baptizatorum, juxta Baptismi inscriptionem, « conjugem tali die matrimonium contraxisse » (1). Juvat etiam addere nomen et cognomen alterius partis cum qua matrimonium est initum (2).

II. **Specialia.**

A. **Attenta peculiari ratione Baptismum ministrandi:**

Attenditur hic hypothesis Baptismi *in domo privata collati* ob imminens vitæ periculum (3). Nimirum

1° Si *ipse sacerdos* Baptismum ministravit, omissis, juxta *Rituale Rom.*, Tit. II, Cap. II, n. 28, cæremoniis ablutioni sacramentali præviis, inscriptio fiat uti de more, juxta formulam ordinariam, de qua sub I, addita mentione suppletionis omissarum cæremoniarum, si fuerit postea facta; sedulò autem notetur utrum et quinam susceptores fuerint adhibiti sive in ipsa sacramenti ministratione, sive in suppletione dumtaxat cæremoniarum omissarum, sive in utraque solemnitate.

2° Si Baptisma fuit collatum a non sacerdote, puta *ab obstetrice vel medico*, aut alia persona laica:

a/ *Si constat* de valida sacramenti confectione, et solæ cæremoniæ fuerunt in ecclesia suppletæ, hæc usurpetur

---

(1) Ad hoc ut illa inscriptio marginalis tutius peragatur, etiam in casu quo matrimonium celebratur extra Baptismi parochiam, ab eodem Decreto, l. c., providetur ut « matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum Baptismi, sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat »; quæ notitiæ transmissio, juxta decretum Congr. Prosyn. anni 1908 (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 430), semper est facienda per mediam curiam episcopalem, si parochus Baptismi sit alienæ diœceseos.

(2) Hæc mentio compartis eo spectat ut facilius detegatur impedimentum affinitatis legitimæ, respectu alterius matrimonii postea forsan contrahendi.

(3) Quodsi domi abluitur infans, extra mortis periculum urgens, sive ex privilegio, puta in gratiam principum, sive ex speciali permissione Episcopi, id indulgentis ob debilitatem infantis, quem parentes merito timent ad ecclesiam deferre: Baptismus solemniter administratur non secus ac in ecclesia, cum omnibus cæremoniis ablutionem sacramentalem præcedentibus et subsequentibus, nec adeo aliquid speciale est observandum pro inscriptione in registro. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 355 s.

formula, a *Rituali Romano* proposita, pro inscriptione Baptismatis :

« Anno... die... mensis... natus est N., filius N. et N., conjugum ex hac (vel ex...), quem, ob imminens periculum, in domo rite baptizavit N., obstetrix probata (vel N., medicus, vel N., filius N.), uti mihi retulit N. ».

Addatur autem mentio suppletionis cæremoniarum (1), sedulò attento monito de indicandis susceptoribus juxta modò dicta.

b/ Si, omnibus attentis, judicatur Baptismus *dubiè validus*, prouti privatim fuit collatus, adeoque ad ejus conditionatam iterationem proceditur, prostat formula inscriptionis apud *Pastorale Brug.*:

« Anno Domini..., die... mensis..., infrascriptus baptizavi sub conditione N., filium legitimum N., ex N., ætatis... annorum, et N., ætatis... annorum, conjugum ex N., in hac habitantium, domi baptizatum, ob imminens vitæ periculum, ab N., ex N., ætatis... annorum, natum... hora... Susceperunt N. et N. ».

Rursus autem observentur dicta circa patrinos, ut nempe indicetur utrum et quinam in privato Baptismo fuerint adhibiti (2).

B. **Attenta peculiari specie prolis baptizatæ :**

1° *Nati ex matrimonio conscientiæ* non sunt inscribendi in communi baptizatorum registro, sed eorum nativitas est, ad tramites Constitutionis Benedicti XIV, *Satis Vobis*, n. 11, denuntianda Episcopo « vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus

(1) En tenorem formulæ *Ritualis:* « Die .. ejusdem mensis ad ecclesiam portatus est infans prædictus, ipsique ego parochus (vel vicepastor) sacras cæremonias et preces adhibui, et N. nomen imposui ».

(2) Si in Baptismo privato assumpti sunt susceptores, quod non debet sed potest fieri, curet parochus ut iidem assumantur in conditionata iteratione; secus enim ex utraque parte habetur dubia susceptio, adeoque et spiritualis cognatio *dubia*, dum eosdem adhibendo patrinos, certa evadit susceptio.

designatam » : qua denuntiatione accepta, curet Episcopus ut hujusmodi proles qua legitima inscribatur in *registro secreto,* sigillis obsignando et in Cancellaria caute custodiendo (1).

2° *Pueri expositi,* quibus æquiparantur illi qui baptizandi offeruntur, occultato parentum nomine, inscribantur in communi registro, notando ignorari parentes, indicando etiam utrum absolutè vel conditionatè fuerit ministratum Baptisma ; compleatur autem inscriptio, addendo diem qua repertus est infans aut oblatus est, ætatem et nativitatis tempus, in quantum detegi potest, nomen etiam personæ quæ infantem detulit aut cujus curæ deinceps committetur, aliasque indicationes ex quibus postea pueri indentitas probari queat.

Ulterius autem « detur mulieri, seu personæ quæ infantem curavit baptizari (aut cui proles curanda traditur), *schedula* impressa (vel scriptis confecta), qua baptizans, chirographo apposito, testatur Baptismum cum circumstantiis supra expressis » (2).

3° *Illegitime nati:*

a/ *ex puella libera:*

1/ Inscribantur sub nomine *matris* tantùm, uti monet Congreg. Prosyn. anni 1879 (*Collectio*, t. XIII, p. 222), juxta formulam *Pastoralis Brugensis:* « Anno Domini... die... mensis... infrascriptus baptizavi N., filium N. liberæ, ætatis... annorum, ex N., in hac habitantis, filiæ N. et N., natum... hora... Suscepit N. » (3).

2/ Nomen *patris* non est exquirendus, nec etiam, in casu quo fama publica designatur, in notitia baptismali inseri potest, nisi de paternitate probè constet ex ipsius

(1) Cf. De Smet, *Tractatus de Spons. et Matrimonio,* n, 94.

(2) Ita sexta Congregatio Episcoporum Belgii, anno 1628, Antverpiæ habita, *Monum.* I, n. 15, apud *Synodicon Belgicum,* Mechliniæ, 1828, I, p. 493.

(3) *Pastorale* habet plurale *susceperunt;* mos autem invaluit, a quo non est recedendum, ut non admittatur patrinus in baptismo illegitimorum, sed sola matrina. Cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 556.

spontanea declaratione, cui subscibat cum duobus testibus pariter subsignantibus.

Quæ inscriptio, casu occurrente, ita fiat: « Etiam comparuit N., filius N. et N., ætatis... annorum, ex N., in N. habitans, qui declaravit se patrem esse dictæ prolis et subscripsit declarationi suæ, præsentibus N. et N., qui quoque subscripserunt ».

3. Si contingat postea matrimonium iniri inter parentes naturales prolis illegitimæ, eamque legitimari sive per ipsum subsequens matrimonium, sive per rescriptum Pontificis (1): hujus legitimationis mentio fiat ad marginem inscriptionis baptismalis, remissione facta ad registrum matrimoniale (2).

Diligenter autem nota ad hoc ut proles per subsequens matrimonium legitimetur requiri ut matrimonium *inter dictæ prolis parentes* ineatur. Unde, quotiescumque in foro externo juridice constat de filiatione prolis ex alieno patre, non potest hæc proles qua legitima admitti nec inscribi a parocho, non obstantibus declarationibus matris ejusque sponsi, non obstante etiam decreto legitimationis in foro civili (3); donec autem aliena probetur, præsumitur paternitas viri cui nubit mater, et, spretis suspicionibus in contrarium, declarationi nupturientium libere factæ fidem adhibebit parochus et legitimationem in registris inseret.

b/ *Ex muliere legitimè conjugata.*

Si proles ex conjugata muliere nata in populo reputetur et dicatur illegitima, seu adultera, equidem re-

(1) Notum est *prolem naturalem* legitimari per subsequens matrimonium, prolem autem *spuriam* non legitimari nisi rescripto Pontificis.

(2) Cf. decr. Congr. Prosyn , anni 1871 (*Collectio*, t. XII, p. 43 s.); ubi additur: « quod ut in omni casu certò servetur, præcipimus ut, si proles extra parochiam matrimonii fuerit baptizata, parochus Baptismi de legitimitate per litteras certioretur ».

(3) Ita etiam Congr. Prosyn., anni 1879, l. c.: « nec postea adscribi potest nomen patris fictitii, qui per abusum in registro civili prolem recognovit ». Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 122; t. XI, p. 726 s.; t. XII, p. 766 s.

gulariter inscribenda est qua legitima, ipsi favente præsumptione juris, quæ nititur in adagio: « is pater est quem nuptiæ demonstrant ».

Attamen, cum non sit præsumptio juris et de jure, admittit probationem in contrarium : nimirum si constat maritum, inter 300^{m} et 180^{m} ante nativitatem diem, fuisse absentem vel ad cohabitandum physice impeditum (1); vel si infra dictum temporis spatium mulier erat a viro per civile divortium aut quoad torum et cohabitationem separata. Qua alterutra hypothesi obtinente, non est proles formiter inscribenda qua legitima, sed nec est expresse declaranda uti adultera : inseratur scilicet prolem esse natam en muliere N., uxore N., mariti reputati absentis aut physice impediti inde a... (vel: ab ea civili divortio, aut quoad torum et cohabitationem, inde a... separati).

c/ *Ex muliere vidua.*

Si viro viduata existit a decem mensibus et ultra, in omnibus æquiparatur puellæ liberæ, et applicantur hic dicta suprà, sub a/.

Si inde a mariti obitu nondum effluxerunt decem menses: præsumitur proles legitime nata ex marito defuncto, et, licet in populo illegitima dicatur, qua legitima est inscribenda, mentione facta diei qua vita functus est præsumptus pater, attenta tamen restrictione modò facta sub b/ (2).

d/ *Ex parentibus civiliter tantum junctis.*

Inscriptionem hujusmodi prolis moderatur *Liber Manualis,* ed. 2^{a}, p. 140:

1/ Si contingat ab Baptismum præsentari prolem civiliter *tantummodo* junctorum, ita scribatur actus baptismalis :

« Anno Domini...., baptizavi N...., filium A....,

(1) Pro foro civili, cf. art. 312, 1 alin., Cod. civ.

(2) Pro foro civili, cf. art. Cod. civilis 315: « La légitimité de l'enfant né trois cents jours après la dissolution du mariage, pourra être contestée ».

» ex...., et B...., ex...., civiliter tantummodo juncto-
» rum, natum, etc. ».

2/ Si ex civiliter tantummodo junctis, alterutra pars *divortio civili separata sit a legitima comparte, adhuc superstite*, actus baptismalis conscribatur in hunc modum:

« Anno Domini...., baptizavi N...., filium A....,
» ex...., (civili divortio separati ab uxore B...., adhuc
» superstite), et C...., ex...., civiliter junctorum, na-
» tum, etc. ».

vel: « Anno Domini...., baptizavi N...., filium A....,
» ex...., et C...., ex...., (civili divortio separatæ a
» a marito B...., adhuc superstite), civiliter juncto-
» rum, natum, etc. ».

A. De Smet.

IV-V

Q. *Exposez les éléments principaux :*
1°/ de la doctrine des Albigeois,
2°/ de leur organisation et de leur liturgie.

R. Nous n'avons à nous occuper dans cette réponse que de la doctrine et de l'organisation des *Albigeois*, c'est-à-dire des *Cathares* du Midi de la France. Remarquons cependant que l'Albigéisme, qui fut la forme la plus répandue de l'hérésie cathare, ne diffère guère des sectes néo-manichéennes existant ailleurs et désignées sous d'autres noms (1). L'histoire d'ailleurs a donné

(1) L'Albigéisme est aussi la forme la mieux connue du Catharisme; voir une bibliographie détaillée, abondante, dans U. Chevalier, *Répertoire des Sources historiques du Moyen âge. Topo-bibliographie* (Montbéliard, 1894) col. 39-42. Nous avons surtout consulté les publications plus récentes: F. Vernet dans *Dict. de Théol. Cathol.* verbo *Albigeois;* Vacandard, *L'Inquisition*, Paris, Bloud, 1907; H.-Ch. Lea, *Histoire de l'Inquisition au Moyen âge* (trad. par Sal. Reinach), t. I, Paris, 1900; et plus spécialement les remarquables études de J. Guiraud: *La Morale des Albigeois* et le *Consolamentum ou initiation cathare,* dans ses *Questions d'Histoire,* Paris, Lecoffre, 1906. M. Guiraud a repris ces études sous une forme plus brève dans un excellent petit livre, que nous recomman-

aux adeptes de toutes ces sectes sans distinction le nom d'Albigeois, parce que, à un certain moment, les forces principales du Catharisme étaient concentrées dans le Languedoc et plus spécialement dans la ville d'Albi (1).

I/ **Doctrine des Albigeois.**

1/ Leur **dogme** fondamental était le *dualisme:* il y a d'après les Cathares deux dieux, le dieu bon et le dieu mauvais, éternels tous les deux, également puissants et luttant sans cesse l'un contre l'autre; le bon principe a créé les esprits et les corps célestes, l'autre la matière, les corps et tout le monde terrestres (2). Il s'est cependant opéré à un certain moment un mélange entre ces deux mondes distincts. Une partie (le tiers) des âmes célestes, entraînées dans l'apostasie par le prince des ténèbres, ou enlevées de force, ont été emprisonnées dans la matière où elles expient leur faute; soumises à la *métempsychose*, ces âmes passent d'un corps à un autre jusqu'à ce qu'elles aient parcouru tout le cycle de l'expiation et mérité de retourner au ciel pour y reprendre leur corps céleste. L'*enfer* n'est autre chose que ce passage par la matière dont on peut et dont on doit se délivrer.

Jésus-Christ est venu, non pas effectuer, mais enseigner cette libération. La nature divine des âmes égarées exigeant une délivrance, Dieu envoya sur la terre la

---

dons à nos lecteurs: *Histoire partiale, Histoire vraie,* 1r volume: *Des Origines à Jeanne d'Arc*, Beauchesne, 1911.

(1) Les sectaires se donnaient eux-mêmes le nom de « Cathares, » qui signifie « Purs ». En France on les appelle également *Tisserands, Ariens, Pauliciens (Poplicani, Publicani);* en Flandre *Piphles* ou *Piples*, dans les pays du Nord *Boulgres, Bougres (Bulgari)*, en Italie *Gazarri* et *Patereni*. L'allemand *Ketzer* et le flamand *Ketter* proviennent du terme *Cathare*. Voir Lea, *o. c.*, p. 129.

(2) En Italie, les deux groupes Cathares de Bagnolo et de Concorrezo adoptèrent un dualisme mitigé; ils ne voyaient dans le principe mauvais qu'un esprit déchu, non éternel, auteur cependant du monde et cause du mal qui s'y trouve: mais quant aux autres doctrines fondamentales, ces deux groupes sont d'accord avec les autres Cathares. Cfr. Vernet, *a. c.;* Hergenröther-Kirsch, *Kirchengeschichte*, t. II, p. 520.

créature la plus parfaite qu'il eût faite, un ange qu'il appela son fils ; c'est le Christ, venu parmi les hommes avec une apparence de corps. Marie, dont il a semblé naître, était aussi un ange, n'ayant de la femme que l'apparence. Dans cette *christologie docétiste* il n'y a pas de place, on le comprend aisément, pour la passion, la mort et la résurrection : le Christ opère le salut, non par la vertu de son sang, mais par sa doctrine enseignant aux hommes la science de leurs origines et la façon de se délivrer de la servitude de la matière. Seule l'*Église Cathare,* en dehors de laquelle il n'y a point de salut, avait conservé la vraie révélation et le secret de la *liberatio a malo* (1).

Le terme final de toutes choses selon les Albigeois, consistait dans la réunion des âmes célestes avec les corps célestes qu'ils avaient laissés au ciel et avec les esprits protecteurs (anges gardiens, esprits-saints, paraclets) auxquels elles avaient été autrefois unies : l'union avec l'esprit-saint commençait déjà ici sur la terre lors de l'initiation à la secte par le *consolamentum ;* mais la délivrance complète n'était atteinte que par la séparation parfaite de la matière, c'est-à-dire par la mort en état de perfection (2).

2/ La **morale** des Albigeois, en tant qu'elle se distingue, soit dans ses principes, soit dans ses préceptes, de

(1) Les Albigeois prétendaient trouver les preuves de leur doctrine dans les textes de l'Écriture, notamment pour leur dualisme dans les textes où il est parlé de l'opposition entre la chair et l'esprit, entre Dieu et le monde. Les hérétiques français admettaient tout le Nouveau Testament ainsi que les livres prophétiques de l'Ancien ; d'autres Cathares rejetaient tout l'Ancien Testament, comme œuvre du principe mauvais. Cfr. HERGENRÖTHER, *l. c.*

(2) Remarquons encore que les Albigeois conservent les noms des trois personnes de la Trinité, mais seulement les noms. Le Fils est le plus parfait des Anges ; le Saint Esprit, ou plutôt l'Esprit principal, est subordonné au Fils, il est placé à la tête des esprits célestes, anges gardiens, dits aussi esprits saints, paraclets, consolateurs. Cfr. GUIRAUD, *Questions d'Histoire...* p. 99 s.

la morale chrétienne, n'est qu'une conséquence logique du dualisme qu'ils professaient. Elle se résume à peu près toute entière dans une aversion sans bornes pour la matière et le monde, œuvre du principe mauvais.

a/ De là d'abord une obligation générale, imposée aux initiés parfaits et prêchée aux simples croyants, d'éviter tout contact volontaire avec la matière, afin d'arriver promptement à une prépondérance complète de l'âme sur le corps.

Pour ce but les richesses sont interdites aussi bien que les honneurs et le pouvoir : le vrai Cathare vit du travail de ses mains. Ensuite le corps doit être mâté par une abstinence rigoureuse et par des jeûnes fréquents. Les parfaits de la secte suivaient un régime végétarien, tempéré seulement par l'usage du poisson (1) ; ils observaient en plus, outre les jeûnes ordinaires, qui se faisaient trois fois par semaine au pain et à l'eau, trois carêmes par an : le premier comprenait les six semaines avant Noël, le second durait depuis la Quinquagésime jusqu'à Pâques, le troisième depuis la Pentecôte jusqu'à la fête de S. Pierre et de S. Paul. Enfin pour affaiblir le corps et dompter d'autant mieux les désirs matériels, d'aucuns ajoutaient à ces pénitences la pratique de la saignée.

b/ Mais les Albigeois ne se contentaient pas d'exagérer dans leur farouche intransigeance certaines pratiques bonnes en elles-mêmes ; leur dualisme les entraînait encore à une conception pessimiste de la vie beaucoup

(1) « Nunquam comedunt carnes nec etiam tangunt eas, nec caseum nec ova, nec aliquid quod nascatur per viam generationis seu cohitus ». *Practica Inquisitionis* de Bernard Gui cité par Guiraud, *o. c.*, p. 64. Ce n'était pas cependant par pure ascèse que les Albigeois pratiquaient cette abstinence ; elle était encore basée sur deux autres dogmes fondamentaux de leur théologie : leur croyance à la métempsychose et l'horreur qu'ils professaient pour l'acte générateur. Si parmi les êtres vivants on exceptait les poissons, c'était probablement parce qu'on se faisait une idée particulière et fausse sur le mode de propagation des animaux à sang froid. *Ibid.*, p. 66.

plus dangereuse. L'homme, procédant du Bien et du Mal à la fois, est, d'après eux, une contradiction vivante; l'âme prisonnière ne retrouvera la paix que par sa séparation d'avec le corps. La mort est donc désirable, le premier pas vers le bonheur; et l'unique devoir de la vie semble être de la détruire et de ne pas la communiquer à d'autres.

De fait le suicide, sans être un devoir, était fréquent; on le pratiquait en s'ouvrant les veines, en prenant des potions empoisonnées, surtout par l'*endura*, qui consistait à s'abstenir de tout aliment (1).

D'autres sans aller à cette extrémité tâchaient de détruire en eux toute manifestation de vie: on en trouvait qui pratiquaient l'ascèse et s'immobilisaient au point d'atteindre une insensibilité complète.

Une conséquence plus funeste encore de la théorie pessimiste des Albigeois fut la proscription du mariage. Rien de plus coupable à leurs yeux que de communiquer la vie à de nouveaux êtres; c'était en effet continuer l'œuvre créatrice de Satan, emprisonner dans un corps impur une âme qui vivait heureuse dans le royaume de Dieu. Aussi bien ceux qui se laissaient initier à la vie des parfaits contractaient l'obligation de virginité ou de continence perpétuelle. Dans leur aversion pour le mariage, les hérétiques ne se contentaient pas d'interdire les unions légitimes, ils brisaient les liens existants et supprimaient même la famille basée sur le mariage: les parents abandonnaient les enfants et les enfants fuyaient un foyer domestique qui ne leur inspirait que de l'horreur. Bien plus, les Cathares allaient jusqu'à préférer le libertinage au mariage: ce qu'il y a de particulièrement grave, prétendaient-ils, dans l'état de

(1) Des hérétiques tombés dans les mains des inquisiteurs, des moribonds qui avaient reçu le *consolamentum* se soumettaient à l'*endura*, ceux-ci pour mourir purifiés, ceux-là pour échapper à la prison et au bûcher; on astreignait parfois à l'*endura* jusqu'à des enfants du plus bas âge. Cfr. VERNET, *a. c.*

mariage, c'est qu'on n'en a pas honte et qu'on ne songe pas à s'en retirer, parcequ'on ne se doute pas du mal qui s'y commet, *quia magis publice et sine verecundia peccatum fiebat.* Cela explique comme quoi les parfaits, tandisque ils fuyaient eux-mêmes avec horreur les moindres occasions d'impureté (1), fermaient les yeux sur l'inconduite des croyants ; ils toléraient d'autant plus volontiers le concubinage chez ces derniers, qu'en cas d'initiation complète il semblait plus facile de rompre un lien non légal.

c/ Ajoutons à cette doctrine antisociale concernant le mariage, le fameux principe albigeois : *Non est jurandum neque ullo casu occidendum.* De ce principe découlaient également les plus graves conséquences sociales. Au moyen âge en effet, plus que maintenant, tout contrat comme toute autorité tirait du serment sa force et sa légitimité. C'était donc l'un des liens les plus solides du faisceau social que les Manichéens détruisaient ainsi et, en le faisant, ils avaient l'apparence de vrais anarchistes.

« Ils l'étaient vraiment, dit M. Guiraud, quand ils déniaient à la société le droit de verser le sang et même de tuer pour se défendre contre les ennemis du dedans et du dehors, les malfaiteurs et les envahisseurs » (2).

II/ **Organisation et liturgie.**

1/ Les Albigeois prétendaient former une *Église*, la seule véritable, possédant le secret du salut donné par Jésus-Christ et transmis jusqu'à eux « de bons hommes à bons hommes ».

Cette Église comprend deux espèces de membres : les *parfaits* (perfecti, bons hommes, consolés, consolateurs) et les *croyants* (credentes). On devenait parfait par le rite de l'initiation complète, dit *consolamentum*,

(1) Il faut reconnaitre, dit M. Vacandard (*o. c.*, p. 115) qu'en général les parfaits se raidissaient contre la tentation et préféraient la mort à l'impureté.

(2) *Questions d'Histoire...* p. 89.

une espèce de baptême spirituel ou de profession religieuse solennelle, par laquelle on s'engageait à pratiquer la morale cathare dans toute sa rigueur. Les croyants se contentaient de donner leur sympathie aux doctrines cathares, ils prenaient cependant l'engagement, dit *convenenza*, de recevoir le *consolamentum* en danger de mort et de vivre en parfaits, s'ils échappaient à la maladie. Ce pacte qui les rattachait à la secte par un lien extérieur, leur donnait aussi le droit de recevoir le *consolamentum*, alors même que par maladie ou accident ils n'auraient plus l'usage de la parole ou de la raison.

Les parfaits formaient le clergé de la secte : ils allaient deux à deux, de pays en pays prêcher et administrer le *consolamentum*, ils n'épargnaient rien pour être au chevet des malades et pour les « hérétiquer » à l'heure suprême. Outre ces ministres itinérants, la secte avait encore conservé une certaine hierarchie : des *évêques* et des *diacres*. L'évêque avait auprès de lui deux aides nommés *fils majeur* et *fils mineur*, qu'on pourrait assimiler à nos vicaires généraux ; le fils majeur succédait à l'évêque. Les diacres gouvernaient les paroisses (1).

Les parfaites ne voyageaient pas, mais s'occupaient néanmoins activement de la propagande chez les femmes : elles étaient parfois réunies dans des couvents où elles donnaient l'instruction aux filles des chevaliers pauvres.

Les Albigeois étaient fort experts dans l'art de la propagande. Parmi les moyens dont ils se servaient, il y a lieu de citer la création d'ouvroirs et d'ateliers pour les artisans. En outre ils composèrent une multitude d'opuscules pour le peuple, dans lesquels ils présentaient les points essentiels de leur doctrine en même temps que de grosses railleries contre le catholi-

(1) Les quelques données qu'on a sur un pape de l'Albigéisme ne sont pas sûres. VERNET, *a. c.*

cisme ; ils popularisèrent également la lecture du Nouveau Testament, par des traductions en langue vulgaire.

2/ Quant au culte et à la liturgie des Cathares, nous devons rappeler d'abord les deux actes d'initiation déjà signalés plus haut. La *convenenza* cependant ne comportait pas, que nous sachions, de rites spéciaux : elle n'était qu'une simple promesse reliant extérieurement le croyant à la secte. Le *consolamentum* par contre était très important : c'était l'unique sacrement des Cathares, analogue par ses rites et, aux yeux des sectaires, équivalent par sa signification générale, à la plupart de nos sacrements (1). L'imposition des mains en était le rite fondamental, elle était censée rendre à l'âme de l'initié son esprit, l'esprit consolateur (2). Mais il y avait en outre des rites accessoires pour symboliser l'initiation, l'absolution et la quasi-ordination que l'esprit consolateur apportait au parfait.

Ainsi, tout comme le baptême des adultes dans l'Église primitive, le baptême spirituel des Albigeois supposait une *préparation*, une espèce de Catéchuménat ou de noviciat, qui durait d'ordinaire une année. Quand le postulant en était jugé digne, on procédait à la *tradition* du « texte » (le Nouveau Testament) et de l'oraison dominicale ; puis, immédiatement avant le baptême, se pratiquait l'*abrenuntiatio,* c'est-à-dire le reniement formel du catholicisme et plus spécialement du baptême

---

(1) Cfr. Guiraud, *Le Consolamentum ou initiation Cathare*, dans *Questions d'Histoire*, p. 95-149. Cette excellente étude est étayée non seulement par des renseignements provenant des inquisiteurs et des procès-verbaux de l'Inquisition, mais encore par le texte d'un rituel hérétique du XIIIe siècle conservé à la Bibliothèque de Lyon, (publié par M. Clédat dans la *Bibliothèque de la Faculté des lettres de Lyon*, sous le titre : *Le Nouveau Testament, traduit au XIIIe siècle en langue provençale, suivi d'un rituel cathare.* Paris, Leroux, 1888).

(2) Quelques hérétiques soutenaient que l'esprit consolateur ne quittait plus le parfait, mais c'était l'exception ; la plupart admettaient la possibilité de la rechute dans le mal et administraient dans ce cas, après des épreuves sévères, la *reconciliatio*. Vernet, *a. c.*

chrétien. Dès lors le néophyte pouvait recevoir l'absolution de ses fautes : ceci se faisait par la cérémonie du *melioramentum,* une cérémonie assez semblable à celle de la Pénitence publique ; elle comportait outre l'accusation générale des fautes et la prière des assistants, implorant le pardon de Dieu, l'absolution donnée par l'Ancien des parfaits et enfin la profession solennelle de vie parfaite. Alors, dit le rituel Cathare, « que l'Ancien prenne le livre (le Nouveau Testament) et le lui mette sur la tête, tandisque les autres bons hommes lui imposent les mains et qu'ils disent : « Pater sancte, suscipe servum tuum in tua justitia et mitte gratiam tuam et spiritum tuum super eum... » La cérémonie se terminait par la vêture et le baiser de paix. Ces derniers rites correspondent à ceux que la liturgie catholique emploie dans d'ordination sacerdotale ; c'est que de fait le parfait n'était pas seulement entré définitivement dans la secte, mais aussi dans l'*ordre* des Cathares (1).

Outre le consolamentum, le rituel cathare et les inquisiteurs mentionnent encore quelques autres fonctions religieuses (2) :

La récitation journalière du *Pater*, imposée aux parfaits : l'oraison dominicale, d'après les Albigeois, est l'hymne auquel l'Apocalypse fait allusion (XIV, 1-4) et que seules les vierges peuvent chanter ; elle était donc la prière tout indiquée des parfaits ; par contre les croyants ne pouvaient la répéter sans profanation.

La *bénédiction du pain* faite à table, leur tenait lieu de la célébration de l'Eucharistie. Un parfait récitait

(1) Dans ces rites, qui donnent surtout au Catharisme les apparences d'une hérésie chrétienne, M. Guiraud a relevé plusieurs vestiges archéologiques de la liturgie chrétienne primitive. Cette constatation, à son avis, rend très probable l'opinion considérant le Catharisme du XIIIe siècle non comme une résurrection, mais plutôt comme une continuation ininterrompue de l'antique système de Manès, qui avait essayé de s'introduire dans le christianisme primitif et en avait repris certaines pratiques et formules.

(2) VERNET, *a. c.*; VACANCARD, *o. c.*, p. 105 ss.

l'oraison dominicale, bénissait du pain, le rompait et en disant: « Que la grâce du Seigneur soit avec vous », le distribuait aux assistants, qui le mangeaient en silence; parfois des morceaux étaient emportés et conservés pieusement. Une distribution s'en faisait ordinairement à l'occasion de la réunion mensuelle.

Cette réunion mensuelle s'appelait l'*Apparellamentum:* les croyants y étaient également convoqués et tous, même les parfaits, confessaient alors les fautes qu'ils avaient pu commettre. Mais cette confession était générale, et c'était d'ordinaire le diacre qui portait la parole pour l'assemblée toute entière. La cérémonie se terminait par l'adoration des parfaits, suivie du baiser de paix.

L'*adoration* se pratiquait également chaque fois qu'un croyant rencontrait un parfait: elle comportait une triple inclination et la demande à genoux de la bénédiction du parfait.

Conclusion.

1/ Nous avons résumé dans cette réponse ce qu'il y a de positif dans la doctrine et dans l'organisation des Albigeois; remarquons cependant que le Catharisme est surtout une *négation*. Dans les documents qui nous ont conservé le souvenir de la secte, nous trouvons surtout des attaques contre la hiérarchie, le dogme et le culte catholique ainsi que contre les droits essentiels de l'État.

2/ Dans sa partie positive l'Albigéisme était un amalgame d'idées dualistes et de formules évangéliques, qui lui donnaient un air de christianisme épuré. C'était moins une hérésie qu'une religion différente du christianisme; « l'écorce, dit Héfélé (1), et non l'intérieur, les mots et non les idées fondamentales étaient chrétiens ».

3 Ajoutons qu'en combattant les Albigeois, l'Église catholique défendit non seulement la vérité dont elle est

(1) *Histoire des Conciles*, trad. Delarc, t. VIII, Paris, 1872, p. 62.

dépositaire, mais encore la cause de la vie, du progrès et de la civilisation. L'hérésie Albigeoise était en effet, plus que toute autre, doublée d'un système antisocial. C'est là ce qui explique la rigueur avec laquelle les adhérents de cette secte furent réprimés par l'Église, l'Inquisition et la plupart des États du XIIIe siècle (1).

R. De Schepper.

VI

Q. *Expone argumentum et regulas usus* Gloria in excelsis Deo.

R. I. **Argumentum** (2). Hymnus *Gloria in excelsis* lingua græca primo conscriptus, a diversis forte auctoribus et successivis temporibus adauctus ac mutatus, fuit probabiliter a S. Hilario in linguam latinam versus ac in Occidentem post a. 360 inductus in ea fere forma in qua nobis hodie prostat.

In hymno, prout nunc usuvenit, distinguere licet propositum generale verbis angelicis enuntiatum et tres partes in honorem SS. Trinitatis.

1/ Propositum : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Hæc verba, ab Angelis in Bethlehem cantata (Luc. II. 14), videntur jam sæculo secundo invaluisse in usu liturgico saltem Ecclesiæ Orientalis (3) : ibi in liturgiis vix non omnibus occurrit ut acclamatio plebis ad elevationem respondentis ad verba *Sancta Sanctis,* vel ad preces offertorii aut Communionis, vel ad osculum pacis etc.

---

(1) Cfr. Guiraud, *La croisade des Albigeois,* dans *Histoire partiale, Histoire vraie,* t. I, p. 264-286.

(2) De hac quæstione vide præsertim Cl. Blume, S. J. *Der Engelhymnus Gloria in excelsis, sein Ursprung und seine Entwicklung* apud Stimmen aus Maria-Laach, t. LXXIII, 1907, p. 43-62 (cf. *Collat. Brug.*, t XIV, p. 543). A. Fortescue, *The catholic Encyclopedia*, v° *Gloria in excelsis.*

(3) Ne nimium fidamus verbis Libri Pontificalis adscribentis S. Telesphoro Papæ (128-139?) introductionem *Gloria in excelsis* in missa

Hæc verba continent non solum explicitam Dei glorificationem sed et implicitam invitationem ut et nos Deo gloriam una cum angelis tribuamus. Aptissime igitur huic invitationi subjungitur

2/ *Series acclamationum in laudem Dei Patris.*

Scripturisticæ sunt et quasi echo respondent psalmis quibus christiani frequentissime ad laudandum Deum in liturgicis conventibus invitabantur:

Laudate Dominum... ps. 148, 149, 150. *Laudamus Te.*
Benedicite... Benedicite... Cant. trium puer. *Benedicimus Te.*
Adorate Dominum... ps. 28, 2; 95, 9; 98, 9. *Adoramus Te.*
Semen Jacob, *glorificate* eum... ps. 21, 24. *Glorificamus Te.*
In omnibus *gratias agite...* I Thess. 5, 18. *Gratias Tibi agimus.*
Quoniam *magna gloria Domini...* ps. 134. *propter magnam gloriam Tuam.*

Quibus acclamationibus subnectuntur tituli gloriæ Dei Patris: *Domine Deus, Rex cœlestis, Deus* PATER, *Omnipotens* (1).

3/ *Laus et deprecatio ad Deum Filium Salvatorem.*

Inchoatur hæc pars encomiis quæ immediate præcedentibus valde similia sunt, sed absolvitur humili ac ter repetita prece ut Salvator misertus nostri exaudiat deprecationem nostram nobisque veniam peccatorum et omnimodas gratias largiatur.

a/ Laus: *Domine, Fili Unigenite,* JESU CHRISTE, *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris.*

b/ Impetratio: *Qui tollis peccata mundi, miserere nobis.*
Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram.
Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis.

4/ *Glorificatio finalis trium Personarum SS. Trinitatis.*

Post laudem specialem decantatam in honorem Patris, absolvitur glorificatio specialis Filii et totus hymnus —

(1) Similes acclamationes et tituli laudis occurrunt in pulcherrima oratione S. Polycarpi ad martyrium se præparantis (*Mart. Polyc.*, c. 14), in liturgia matutinali græca et in oratione vespertina Constitutionum Apostolicarum (BLUME, *o. c.*, p. 58).

sicut generatim orationes liturgicæ — animum et vocem elevans in glorificationem totius Trinitatis :

"*Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus,* JESU CHRISTE, *cum* SANCTO SPIRITU, *in gloria* DEI PATRIS (1).

Ex quibus apparet *Gloria in excelsis* merito vocari a/ *hymnum* sensu latiori et antiquiori quo a S. Augustino definitur hymnus « cantus cum laude Dei » (2); b/ *hymnum angelicum*, ratione verborum quæ angeli cantaverunt in Nativitate Christi; c/ *doxologiam* h. e. formulam glorificationis Dei Unius Trinique, voce græca δόξα (gloria) incipiens; d/ *doxologiam majorem,* ut distinguatur a consueta et breviori doxologia *Gloria Patri et Filio* etc.

Nemo non videt in pulcherrimo hoc hymno perbelle exprimi quatuor fines orationis liturgicæ et speciatim sacrificii: adorationis nempe et gratiarum actionis in Deum, pro nobis vero impetrationis veniæ *(qui tollis peccata... miserere nobis)* et omnimodi boni *(suscipe deprecationem nostram).*

Quamvis hymnus angelicus tardius tantum fuerit in missam invectus et connexionem intimam inter *Kyrie eleison* et *Orationem* missæ aliquatenus scindat, non incongrue locus ei assignatur ante orationem, ut — juxta praxim consuetam in liturgia — prius Deum laudemus quam ab Ipso gratias efflagitemus.

Notatu dignum est hymnum angelicum in tam multis convenire cum *Te Deum* (3) ut duo hymni « fratres gemelli » non immerito vocentur.

a/ Utriusque hymni thema est laus Dei in unione cum angelis cantantibus *Gloria* in Bethlehem vel *Sanctus* in visione Isaïæ (VI, 3).

b/ Sicut *Gloria in excelsis* a verbis angelorum exordium

(1) Censet doctissimus Blume hymnum fuisse primo compositum in laudem Dei Patris et S. IV post luctas arianas et Pneumatomachas ita fuisse mutatam ut cresceret in doxologiam totius SS. Trinitatis.

(2) Sermo in ps. 148, n. 17.

(3) Cf Dom CABROL, *Le livre de la prière antique,* ch. XI et ch. XII.

sumit, ita hymno ambrosiano præmittitur in nonnullis antiquioribus documentis (1) primus versus psalmi: *Laudate, pueri, Dominum.*

c/ In utroque hymno eædem vel similes sunt priores acclamationes, cum directa allocutione Dei et repetitione verbi *Te, Tua, Tibi, Tu.*

Laudamus Te — Te Deum laudamus.

Benedicimus Te — Te Dominum confitemur.

Adoramus Te — Tibi omnes Angeli; Tibi...

Glorificamus Te — Sanctus... Plena est terra gloria tua.

d/ Sicut *Gloria*, ita et *Te Deum* complectitur acclamationes in honorem Dei Patris (v. 1-10) cum doxologia explicita SS. Trinitatis (v. 11-13) et glorificatione speciali Jesu Christi Salvatoris et Judicis (v. 14-19) qui finali supplicatione exoratur (v. 20-21).

e/ Inde a v. 22 additur in hymno ambrosiano series versuum ex psalmis 27, 9; 144, 2; 122, 3; 32, 22; 30, 2. A pari, in nonnullis antiquioribus documentis (2) hymno angelico adnectuntur versus similes, et notatim ille qui solus non est scripturisticus: « *Dignare, Domine*, die isto *sine peccato nos custodire* » (3), ex quo apparet utrumque fuisse hymnum matutinalem.

f/ Et revera sæc. V et VI invenimus in diversis ecclesiis aut *Gloria* aut *Te Deum* usitatos fuisse hic in missa (4), alibi in Laudibus aut in fine officii nocturni (5).

Quod in specie hymnum angelicum attinet, a Romano Pontifice Symmacho (498-514) præscriptus est pro missa Nativitatis Domini (ratio obvia est). Postea admissus est in missis omnium dominicarum (est enim hymnus lætitiæ et gloriæ optime conveniens gaudio et gloriæ resurrectionis Christi) et festorum (quæ ob gaudium natalis Sanctorum, imitantur officium dominicale), sed reservabatur solis epis-

---

(1) Ita in Antiphonario Benchoriensi ex sæc. VII.

(2) V. g. in celeberrimo S. Scripturæ Codice Alexandrino (s. V) et in Antiphonario Benchoriensi (s. VII).

(3) Idem versus occurrit in precibus ad Primam, et similiter, sed mutatis verbis « Dignare, Domine, *nocte ista*... » in precibus ad Completorium.

(4) Cantamus adhuc Trisagion *Sanctus*... et in Missa et in *Te Deum*.

(5) Cf. v. g. regulæ S. Cæsarii, S. Aurelii, S. Benedicti; PSEUDO-ATHANASIUS, *De Virginitate*, 20.

copis (1). « A presbyteris autem minime dicitur nisi solo in Pascha » (2) et « in die ordinationis » (3). Tamen inde a s. XI dicitur a presbyteris sicut ab Episcopis (4).

Ex quibus penitius intelligentur rubricæ nostræ hodiernæ.

II. **Regulæ usus.** Statuunt Rubricæ Generales VIII, 3: « *Gloria in excelsis* dicitur quandocumque in Matutino dictus est hymnus *Te Deum*, præter quam in missa Feriæ V in Cœna Domini et Sabbati Sancti, in quibus dicitur *Gloria in excelsis* [quia illæ missæ festivæ celebrant Institutionem SS. Eucharistiæ aut Resurrectionem Domini], quamvis in officio non sit dictum *Te Deum* [quia his diebus officium commemorat passionem et mortem Salvatoris] ». Ratio assimilationis utriusque hymni satis elucet ex præcedentibus.

Quia uterque hymnus est laudis et gloriæ et lætitiæ, dicitur *Gloria in excelsis* in specie:

A. *In missis officio conformibus* seu non votivis:

1/ in omnibus dominicis, exceptis temporibus pœnitentiæ, h. e. infra Adventum et a Septuagesima ad Dominicam palmarum inclusive;

2/ in omnibus festis, excepto festo SS. Innocentium, nisi venerit in Dominica (5) aut celebretur sub ritu duplicis I classis (6)

3/ in feriis temporis Paschalis, excepta missa processionis in Rogationibus, quæ induit caracterem pœnitentiæ et subtrahitur influxui gaudii Resurrectionis.

B. *In missis votivis* seu *officio non conformibus* per se non dicitur.

---

(1) Exinde intelligitur quare Episcopus in solis missis pontificalibus in quibus cantatus fuerit hymnus *Gloria in excelsis Deo et* PAX HOMINIBUS, statim post hymnum salutet fideles non cantando *Dominus vobiscum*, sed PAX *vobis*.

(2) Ita Sacramentarium Gregorianum, initio.

(3) *Ordo S. Amandi* editus a DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, app. I.

(4) *Ordo Romanus I; Micrologus* (a Bernone Constantiensi conscriptus † 1048).

(5) Qua de re cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 521, nota 5.

(6) Sequitur ex rubrica in novo *Ordinario* officii divini ante *Te Deum* posita.

In quantum enim hæ missæ non respondent officio et festo quod eadem die celebratur, in tantum etiam non sunt participes caracteris festivi gaudii qui proprius est officio correspondenti. Et ideo *regula generali* per se non dicitur *Gloria;* per accidens vero dicitur ratione alicujus specialis solemnitatis aut relationis ad festum occurrens.

1/ *In specie* autem dicitur *Gloria in excelsis* (Miss. Rubr. Gen. VIII, 4):

a/ in votivis solemnibus pro re gravi et generatim in iis quæ sunt privilegiatæ ad instar solemnium: pro his inspiciatur tenor specialis concessionis;

b/ in votivis quæ respondent officiis votivis per annum concessis decreto 3 julii 1883 quod usque ad 1 januarii 1913 tantum valebit;

c/ in iis missis quæ respondent officio quod hac die non integre celebratur sed tamen commemoratur et quæ ideo nunc vocari solent missæ *festivo-votivæ* (1): ut sunt v. g. votivæ quæ de B. Maria Virgine aut aliis Sanctis celebrantur infra illorum Sanctorum octavam, quando tamen officium non est de octava (2); aut quæ celebrantur in ipso festo Sancti quando officium ejusdem Sancti habet tantum commemorationem, puta S. Theclæ die 23 septembris;

d/ in votivis etiam privatis de Beata si celebrentur in die Sabbati, quia hæc dies est quasi dies festus B. Mariæ V. hebdomadarius, in quo recitari consuevit officium B. M. V.;

e/ in votivis de Angelis, ob prima hymni verba.

2/ Non autem dicitur *Gloria in excelsis* in ceteris votivis privatis nec in votivis pro sponso et sponsa; nec in missis *Requiem* aut in ullis votivis quæ celebrantur in colore violaceo.

C. Callewaert.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 266 et p. 423, nota 3.

(2) Cf. *Collat. Brugen.*, t. VIII, p. 36 s. Decr. n. 3922, V, 1; 2; III, 3; 4020.

DE SACERDOTIO CHRISTI

SECUNDUM EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Circa **adjuncta** quæ supponit epist. ad Hebræos, et circa **scopum** ipsius et **methodum generalem** hæc prænota:

Judæo-Christiani, in Palæstina et præprimis Hierosolymis degentes, a longo jam tempore conversi ad Christianismum, a primis temporibus conversionis suæ varias persecutiones sustentandas habuerunt, et adhuc in præsenti a parte Judæorum sustentandas habebant. De cætero viventes in centro Judaismi, testes sunt quotidie cultus mosaici in toto suo splendore cumque cultum ob tot titulos præclarum, desiderabant. — Ex his aliisque forte causis orta erat debilitatio fidei suæ christianæ, pluribusque eminebat periculum apostasiæ a fide christiana et regressus ad Judaismum.

In hisce adjunctis scribitur ad illos epistola quæ ad Hebræos dicta est, ut a Judaismo avertantur et in fide sua christiana confirmentur.

Hunc scopum suum prosequitur auctor, quasi manuducendo a Judaismo tanquam typo et figura ad christianismum tanquam anti-typum et veram realitatem, et tanquam terminum finalem versus quem se evolvit tota antiqua œconomia. Hinc tota epistola dici potest argumentum a minori ad majus: Si Judaismus erat ita magnus, et privilegia illius tam excellentia, quanto magis Evangelium cujus ille typus erat et præparatio.

Omnibus quæ Judæi ut magna jactare poterant, opponit Christiana majora: legi latæ ab angelis opponit evangelium prædicatum a Christo tam præcellenti præ angelis; sacerdotio Aaronis, opponit sacerdotium sub tot respectibus excellentius, Christi np.; Sacrificiis veteris Testamenti sacrificium tanto efficacius crucis; etc.

Notum est in doctrina circa sacerdotium et sacrificium Novi Testamenti, epistolam ad Hebræos esse præcipui momenti, quum maxima ejus pars sit ex professo circa explicandum illud utrumque. — In sequentibus conabimur doctrinam epistolæ de sacerdotio Christi exponere.

*
* *

Christum esse hunc sacerdotem perfectum exponit et probat auctor præsertim in pericopa IV, 14 — V, 9, argumento quod huc redit:

Sacerdos est mediator inter Deum et homines; et inde in sacerdote habentur duo: a/ aliquid divini, vi cujus ad Deum accedere potest: vocatio nempe a Deo facta; — et b/ aliquid humani, vi cujus pro hominibus rite fungi potest munere suo: natura nempe passibilis et infirma, et humanæ passionis et infirmitatis experientia.

Jamvero hæc duo in Christo verificantur.

Indeque stat conclusio: Habemus Pontificem perfectum; — et fluit exhortatio moralis: Per Christum, nixi ipsius mediationi, recurramus cum fiducia ad thronum divinæ benevolentiæ Patris ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus ad auxilium tempore opportuno obtinendum.

Hæc, duce epistola, penitius examinemus (1).

I. Omnis sacerdos **mediator** est **inter Deum et homines**, seu « omnis pontifex... pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis », ut nempe, in favorem hominum, hominum causam agat apud Deum, et apud ipsum peragat omnia quæ apud Deum peragenda sunt.

Sane homo, non tantum ut individuus, sed etiam ut est ens sociale, Deo cultum congruum debet, quum non tantum individui sed etiam societatis Deus sit auctor.

(1) Plura circa hæc vide apud Prat, *La théologie de S. Paul*, t. I, pp. 526 ss.

Quum autem societas non agat nisi per legatos suos, obvium fuit, ex dictamine rectæ rationis et naturæ, ut in societate, constituerentur determinati homines per quos ad Deum, congruus cultus, omnium nomine et vice, exhiberetur.

Restringendo quæstionem ad societatem soli *vero Deo* addictam, apparet hanc societatem Deo debere cultum diversum pro diversa hypothesi quæ supponeretur. Sane *in omni hypothesi* homo tum individuus tum socialis debet Deo cultum *latreuticum* seu *adorationis*, quo Deum agnoscit et colit tanquam suum Creatorem et Dominum supremum, — cultum quoque *eucharisticum* seu *gratiarum actionis* pro beneficiis a summo illo Benefactore acceptis, — et cultum *impetratorium* seu *petitionis* quo ab ipso postulat quæcumque sibi necessaria esse noverit. Ast præterea in *hypothesi generis humani lapsi* per peccatum, debet Deo cultum *satisfactorium* seu *expiatorium* pro peccatis commissis. Unde hic respectus ad essentiam sacerdotis non pertinet, nisi in hypothesi peccati commissi.

Sed hæc est præcise hypothesis concreta quam auctor epistolæ ad Hebræos præ oculis habet, et quum in hac hypothesi id quod primo et præcipue præstandum est, sit præcise *restitutio relationum* quæ inter Deum et homines fuerunt per peccatum disruptæ, ideo, — post notionem *generalem:* sacerdos constituitur ut loco hominum agat apud Deum quæ agenda sunt, — statim hoc *speciale*, utpote præcipuum, determinat: ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.

II. « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui **vocatur a Deo**, tanquam Aaron » (V, 4).

Sane iterum, vocatio a Deo specialis ad essentiam sacerdotis non requiritur; potuisset enim Deus, puta in ordine naturæ puræ, relinquere ipsi societati ipsisque hominibus ut ipsi sacerdotes, legatos suos ad Deum, electione sua determinarent, quos ipse acceptasset. Similiter in ordine supernaturali, seclusa vel supposita

hypothesi lapsus, potuisset hominibus committere ut proprio suo arbitrio homines ad munus sacerdotale delegissent. *De facto* tamen, in hoc ordine supernaturali ipse sibi determinationem illam seu vocationem reservavit: sicut in Vetere Testamento elegit Aaron cum familia et descendentibus suis, ita et in Novo Testamento ipse sibi assumit et vocat sacerdotes suos.

Et iterum *factum* illud enuntiat auctor, V, 4.

Illudque statim in Christo obtinuisse ostendit: « *Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret*, — non ipse se extulit ad honorem sacerdotii, — *sed* ille ipsum eo extulit *qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* ». (V, 5-6).

Multi interpretes voluerunt in *utroque* textu enuntiari vocationem Christi ad sacerdotium, et in varias subtiles abeunt explicationes ut detegant in primo textu: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, hujusmodi vocationem. Præplacet in altero tantum textu vocationem ad sacerdotium referri, verbis quibus, ore psalmistæ Deus jam in Vetere Testamento de Christo prædixerat: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; prior vero textus est mera paraphrasis ad solemniori modo *Deum Patrem* designandum: *Ille* vocavit Christum ad sacerdotium qui ad illum jure locutus est in S. Scriptura: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (1).

III. Præter illud divinum, vocationem nempe a Deo factam, requiritur (2), juxta auctorem epistolæ, ut ha-

(1) Arguunt quidem, ut *etiam in priori* textu detegant vocationem ad sacerdotium, ex eo quod posterior textus, ubi certe agitur de vocatione hac, inducitur per: quemadmodum *et* in alio loco dicit. — Ast illud conjunctivum facile explicatur etiam in nostra sententia, ex eo quod auctor epistolæ adducit duo loca ex S. Scripturæ. — Theologi autem merito docent Christum formaliter factum esse sacerdotem in ipsa Incarnatione sua, et ad hoc assumpsisse naturam humanam ut seipsum pro hominibus in sacrificium offerre posset. Cfr. Hebr., X, 5 ss.

(2) Utrum *de necessitate* an tantum *de convenientia*, non determinat auctor.

beatur quoque **aliquid humanum**: consortium nempe ejusdem naturæ, ejusdemque infirmitatis quæ est sors communis omnium hominum.

Revera sacerdos est legatus et repræsentans hominum ad Deum, *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum*, et ideo debet et ipse esse homo, *ex hominibus assumitur* (V, 1. Cfr. II, 11, 15, 16).

Ast ulterius humanitas qualis in ordine præsenti divinæ Providentiæ de facto existit, utpote lapsa, infirma est, et *hanc* humanitatem considerat auctor. Unde iterum requiritur ut sacerdos *hujus* humanitatis, *et ipse circumdatus sit infirmitate,* particeps nempe et socius, in quantum fieri potest, infirmitatis quæ est sors communis hominum. Nonne enim sacerdotis hujus humanitatis miseræ præprimis est condolere et compati cæteris hominibus; — et quomodo *secundum æquum et justum condolere* (μετριοπαθεῖν) posset, nisi ipse expertus fuerit miserias humanas (V, 2)?

Infirmitas autem humana duplex est:

a/ una ordinis *mere physici,* qua homo subjacet variis, tum corporis tum animæ, physicis miseriis, quales sunt morbus et mors, et animi dolores;

b/ altera quæ simul est *ordinis moralis,* quatenus respicit obligationem moralem: ea nempe est, qua homo experitur quam gravis et dura sæpe sit viribus suis observatio divinæ voluntatis et legis. — Et hæc quidem præcipua est, tum in se, ut apparet, tum in ordine ad ministerium sacerdotale: nonne enim sacerdotis est *condolere,* non tantum iis qui physicis defectibus et doloribus affliguntur, sed etiam, et præprimis *iis qui* in ordine morali *ignorant et errant* (V, 2 s.)? Unde apparet auctorem epistolæ merito requirere ut sacerdos non tantum physicæ, sed etiam et præprimis moralis illius infirmitatis experientiam habeat.

Porro *in Christo,* illud utrumque invenit auctor:

a/ Quantum ad infirmitatem *physicam,* jam supra exposuit Christum fratrem nostrum factum esse, et hanc

ipsius naturam humanam ut passibilem et mortalem exhibuit: *Quia* illi quos Deus ut pueros ipsi dederat *communicaverunt carni et sanguini* (1), id est habebant naturam infirmam et mortalem, ideo *et ipse* Christus *similiter participavit eisdem, ut per mortem* suam... *liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* (II, 14 s.) (2).

Eamdem infirmitatem physicam Christi vivide describit V, 7 (3). Hic enim exhibetur Christus *in diebus carnis suæ*, dum in horto Gethsemani tristitia ad mortem afflictus, et horrore passionis et mortis instantis perterritus, ad Patrem clamavit ut transiret hic calix ab ipso: *preces supplicationesque, cum clamore valido et lacrymis obtulit ad Patrem qui posset illum salvum facere a morte.*

b/ Quantum ad infirmitatem *moralem,* sane Christus utpote Filius in æternum perfectus (VII, 28), eam non eousque expertus est quousque sacerdotes Veteris Testamenti qui de facto tentati fuerunt ad peccatum et peccatum commiserunt, et qui propterea debuerunt, *quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccato* (V, 3) (4). Non sic Christus: expertus

---

(1) *Caro et sanguis* designant naturam humanam qua infirmam et mortalem. Cfr. Matt. XVI: Beatus es Simon, Bar Jona, quia *caro et sanguis* non revelavit tibi, sed Pater meus...; et Jo. I: Et Verbum *caro* factum est.

(2) Circa hæc ultima verba notabis Christum nos non liberasse a morte physica, sed a morte spirituali, peccati et damnationis. Attamen inde, ipsa mors physica jam non apparet homini ita horrenda, quum sit pro anima justa introïtus plus minusve proximus ad gloriam et vitam beatam: imo neque perdurabit pro corpore, quum aliquando secutura sit resurrectio, eaque pro beatis gloriosa, corporum. Hinc merito dicit auctor Christum nos liberasse a timore mortis, qui seclusa Redemptione, fuisset homini tanquam servitus pessima.

(3) V, 7 s , vide latius explicata supra, p. 235.

(4) Nimis apertum est auctorem in sacerdote non requirere, nequidem de mera convenientia, ut de facto peccatum commiserit vel imo committere possit. Sufficit quod expertus fuerit quam difficilis esse possit humanæ infirmitati observatio mandatorum divinorum. Imo eo perfectior erit sacerdos, utpote Deo conjunctior, quo erit magis a peccato alienus. (Cfr. VII, 26-28).

est utique omnes miserias humanas (1), sed *absque peccato* (IV, 15); Sacerdos noster est *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatibus et excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem, quemadmodum sacerdotes* Veteris Testamenti, *prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi* (VII, 26 s.).

Attamen Christus ex iis quæ passus est, ex passione et morte sua, quam juxta mandatum Patris sustinuit, didicit obedientiam, id est non tantum scientia sua intellectuali novit, verum etiam nunc *experientia* propria notum habet quid, pro viribus humanis, esse possit obedientia, seu quam grave et durum esse possit hominibus servare mandata Dei et vitare peccata: et inde Christus, etsi non peccaverit sicut sacerdotes judaici, sicut illi tamen secundum rectam rationem compati potest iis qui ignorant et errant peccando (2).

*
* *

Quæ hucusque exposuimus spectant ipsum factum et excellentiam sacerdotii Christi, *absolute* considerati. Ast auctor epistolæ, pro scopo et methodo generali sua (vide supra, p. 265), non hic sistit, sed in sequentibus ostendet excellentiam sacerdotii Christi *relativam,*

---

(1) Intellige Christum expertum esse miserias illas quæ ad humanam naturam qua talem spectant, et quæ non repugnabant scientiæ et sanctitati suæ: seclusis proinde tum defectibus personalibus quales in tali vel tali individuo occurrere possunt, tum ignorantia, tum peccato et iis omnibus quæ ad peccandum trahunt.

(2) Duplex est scientia, scilicet *simplicis notitiæ,* (et quantum ad istam Christus nil ignorare adeoque nil addiscere potuit); est etiam scientia *experientiæ,* et secundum istam didicit obedientiam,... id est, expertus est... Christus voluntarie accepit infirmitatem nostram. Et ideo dicit quod didicit obedientiam, id est, quam grave sit obedire: quia ipse obedivit in gravissimis et difficillimis, quia usque ad mortem crucis. *(Phil. II).* Et hic ostendit quam difficile sit bonum obedientiæ. Quia qui son sunt experti obedientiam, et non didicerunt eam in rebus difficilibus, credunt quod obedire sit valde facile. Sed ad hoc quod scias quid sit obedientia, oportet quod discas obedire in rebus difficilibus...(S. Thomas, *in epist. S. Pauli,* h. l.).

ipsius nempe eminentiam præ sacerdotio Judaico: et hoc quidem præstabit comparando sub variis respectibus tum 1°/ *sacerdotium* Christi, cujus typus fuit sacerdotium Melchisedech, cum sacerdotio levitico (cap. VII), tum 2°/ ipsas *functiones* sacerdotales, et præprimis sacrificium Christi cum functionibus sacerdotalibus et sacrificiis Veteris Testamenti (VIII-X, 18).

A. Vander Heeren.

Notanda in novis Rubricis applicandis.

Intuitu illorum sacerdotum qui novas rubricas Breviarii aut Missalis servare cupiunt sequentia notare juvat, quæ sufficient ad officium in diœcesi Brugensi debite ordinandum.

I. Inter **festa excepta**, tit. I, 2, in quibus non sunt dicendi psalmi feriales diei occurrentis sed recitandum est totum officium ut antea solebat, demptis tantum psalmis 66, 149 et 150 in Laudibus et psalmo 30 in Completorio, veniunt proxime:

Aprilis 7-13. *Festum Paschatis* et omnes dies infra octavam usque ad Sabbati Nonam inclusive. Inde a Vesperis Sabbati in Albis sumuntur psalmi ex novo Psalterio.

20. *Commemoratio Imm. Concept.* B. M. V., quia habetur ut festum B. Mariæ (cf. p. 201).

25. *S. Marci Evg.*, quia habetur ut festum Apostoli et est festum dupl. II cl.;

27. *Commemoratio Immac. Conceptionis Mariæ,* dupl., ut supra;

28. *Solemnitas S. Joseph:* tum quia est festum S. Joseph, tum quia est duplex I cl.

Maii 1. *SS. Philippi et Jacobi:* festum Apostolorum et dupl. II cl.

3. *SS. Cruoris D. N. J. C.* quia Festum Domini;

6. *S. Joannis ante Portam Latinam,* quia festum Apostoli;

8. *Apparitio S. Michaelis,* quia festum Angelorum;

13. *Inventio S. Crucis*, quia festum Domini;

16. *Ascensio Dni*, quia festum Domini;

19. Si fiat de *Dominica infra oct. Ascensionis* est officium exceptum;

22. *De feria 4 infra Ascensionem,* quia infra oct. festi Domini;

23. *Octava Ascensionis,* quia festum Domini;

24. *B. M. V. sub titulo Auxilium christianorum,* quia festum B. Mariæ.

25 **Maii — Junii** 1. *Vigilia, festum* et *octava* privilegiata *Pentecostes.*

Soc. sine suffr. et Compl. de Sabb sine precibus, ratione occurrentis fest. dupl. S. Francisci.

12. *Dom. 5 post Pascha.* De ea. Ut in calend. sed omissa 9 lectione SS. Mart. Vesp. de seq. sed addenda com. Dom.

13. Fer. *2 Rogat.* non permittitur missa de feria, quia festum occurrens est dupl. II cl.

15. *Fer. 4 Rogat. et Vig. Ascensionis.* Permittitur missa de vigilia Ascensionis, in qua *Gloria*, 2ª orat. S. Joannis Bapt. de la Salle, 3ª Rogat. Addi potest oratio pro defunctis, penultimo (quarto) loco: tunc ultima oratio erit imperata (cf. suprà p. 205).

19. *Dom. infra oct. Ascens.* Officium exceptum, ut in festo et prop. loco. In 1 Vesp. Ant. et pss. ex 1 V. festi Ascens., reliqua de Dom. (pr. loco), com. præc., S. Petri Cœlestini, oct. et S. Pudentianæ. — Non dic. 9 l. S. Petri, sed in L. et M. com. S. Petri, oct. et S. Pudentianæ. Quia sunt in Missa 4 orat. a Rubricis præscriptæ non est addenda imperata (tit. XI).

24. *B. M. V. Auxil. Christian.* Lectiones 1ⁱ Noct. *Ego sapientia* (Rubr. tit. I, n. 4).

29. *Fer. 4 et sqq.* Per totam octavam octavam privilegiatam *Pentecostes* non dicitur imperata (tit. XI).

Mense Junio: 3. In festo *S. Bedæ* lect. 1ⁱ N. de script. occurrente (Rubr. tit. I, n. 4). *Incip. lib. I Reg.*, quæ lectiones ideo dicendæ non sunt die sequenti.

6 et seqq. Per totam octavam SS. Corporis Domini non dicitur *imperata* (tit. XI).

C. Callewaert.

Documents de Jurisprudence administrative

I

Circulaire ministérielle,

2 mai 1910,

Concernant les murs de clôture des cimetières.

MONSIEUR LE GOUVERNEUR,

Les instructions actuellement en vigueur prescrivent que les murs de clôture des cimetières doivent être projetés sur une hauteur minima de 1 m. 90; elles exigent que ces murs soient recouverts en tuiles vernissées, ou au moyen de dalles en béton comprimé, en ciment armé ou en pierre de taille.

Il convient dans la généralité des cas, de s'en tenir à ces règles; mais il va de soi qu'il peut y être dérogé lorsque des circonstances spéciales le commandent.

Ainsi, s'il s'agit d'un champ de repos entourant une église et que l'on veuille, à raison du caractère architectural du monument, dégager l'édifice et permettre que l'on en aperçoive la base, on pourra fort bien être amené à donner aux murs une hauteur de beaucoup inférieure à 1 m. 90; l'étendue du cimetière, sa pente, la distance qui sépare la clôture de l'église indiqueront dans chaque cas spécial, la solution qui doit prévaloir.

De même, des considérations d'esthétique peuvent justifier exceptionnellement l'emploi de chaperons en briques pour couvrir les murs d'enceinte des champs de sépulture; il se peut fort bien que les systèmes de couverture préconisés par mon département ne soient pas en harmonie avec le style de l'église ou avec celui des constructions existant aux abords du cimetière; lorsqu'il en sera ainsi, je ne ferai aucune objection à ce qu'on renonce à les employer et à ce que l'on ait recours à un chaperon en briques résistantes, maçonnées au mortier de ciment....

Le Ministre de l'intérieur et de l'agriculture,
F. SCHOLLAERT.

II

Dons et legs.

LEGS AU CURÉ ET AUX VICAIRES POUR DES DISTRIBUTIONS AUX PAUVRES DE LA PAROISSE. — REVENDICATION DU BUREAU DE BIENFAISANCE. INCOMPÉTENCE.

Arrêté royal du 17 janvier 1912 (1).

ALBERT, etc...; vu l'expédition, délivrée par le notaire Pètre, de résidence à Saint-Gilles-lez-Bruxelles, des testament et codicille olographes, en date du 8 décembre 1900, par lesquels Melle Louise-Catherine-Léonie De Landtsheer, sans profession, demeurant à Bruxelles, dispose notamment comme suit:

Testament du 8 décembre 1900.

« ...Je lègue à M. le curé de la paroisse du Béguinage, quinze cents francs pour en distribuer mille aux pauvres de ma paroisse »...

« Je lègue à chacun des vicaires de la paroisse du Béguinage, mille francs pour être distribués par eux aux pauvres de ma paroisse. »

« Les petites boucles d'oreilles en diamant avec pendants idem, de feu ma mère, l'épingle et les boutons en diamant de feu mon père, ainsi que la grande bague en diamant de feu ma tante... seront remis à M. le curé du Béguinage, pour qu'il veuille en orner la statue de la Sainte Vierge de ma paroisse.

« ...Il sera donné à chacun des ... établissements suivants la somme de mille francs:

1° A l'hospice des dames du Pachéco;

2° A l'hospice des aveugles, boulevard du Midi...;

3° A l'hospice des vieillards de Ste-Gertrude...

« Tous mes legs particuliers seront exempts de tous frais et droits de succession et devront être délivrés dans les trois premiers mois après mon décès. »

(1) *Moniteur*, p. 639 s.

Codicille du 8 décembre 1900.

« La broche en diamant, fond émail gros bleu, sera remise à M. le curé de l'église Saint-Roch, faubourg de Laeken, pour en orner la statue de la Sainte Vierge de la dite église... »

Vu les délibérations, en date des 3 mai, 20 juillet 1910 et 2 avril 1911, par lesquelles le conseil général d'administration des hospices et secours de la ville de Bruxelles, le bureau des marguilliers de l'église de Saint-Jean-Baptiste, au Béguinage, à Bruxelles, et le conseil de fabrique de l'église Saint-Roch, à Laeken, sollicitent l'autorisation d'accepter ces legs;

Vu...

En ce qui concerne les legs faits au desservant et aux vicaires de l'église du Béguinage, à Bruxelles;

Considérant qu'en instituant les dites personnes, la testatrice a manifesté sa volonté de ne pas gratifier le service public de la bienfaisance; que dès lors, le conseil général des hospices et secours de la ville de Bruxelles ne peut être autorisé à accepter ces legs;

Vu les pièces de l'instruction d'où il résulte que les bijoux que les fabriques des églises de Saint-Jean-Baptiste, au Béguinage, à Bruxelles, et de Saint-Roch, à Laeken, demandent à pouvoir accepter, ont respectivement une valeur de 200 francs et de 35 francs;

Sur la proposition de Notre Ministre de la justice,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Article premier. — Le conseil général d'administration des hospices et secours de la ville de Bruxelles et les fabriques des églises de Saint-Jean-Baptiste, au Béguinage, en cette ville, et de Saint-Roch, à Laeken, sont autorisés à accepter les legs qui leur sont destinés.

Art. 2. — Le conseil général d'administration des hospices et secours précité n'est pas autorisé à accepter les legs faits au desservant et aux vicaires de l'église de Saint-Jean-Baptiste, au Béguinage, à Bruxelles.

Note. L'arrêté royal précité constitue une simple application du principe qu'en matière de libéralités la

volonté du bienfaiteur est la loi souveraine. Dans le cas, il semble évident que la testatrice n'a pas voulu avantager le bureau de bienfaisance. Si la *Revue de l'administration* (1) peut aligner un certain nombre de décisions administratives et judiciaires, aux termes desquelles les libéralités faites aux pauvres et devant, d'après la volonté du testateur, être distribuées par les soins de corps ou de personnes non qualifiées, doivent être recueillies par l'administation qui représente légalement les indigents; on peut lui opposer des documents nombreux, émanés de l'administration et des tribunaux, se refusant à reconnaître comme bénéficiaires de dons ou legs, des institutions officielles non instituées par le *de cujus* (2). Il y a de variations de jurisprudence qui sont de vrais progrès.

A. D. M.

(1) 1912, t. LIX, p. 118.

(2) V. *Rev. cath. de droit*, 1905-1906, t. VIII, p. 165-178; *Collat. Brug.*, p. 179 s.

Sacra Congregatio Consistorialis

I

ROMANA (1).

Declaratio circa facultatem dispensandi presbyteros ab irregularitate.

Proposito dubio « utrum, vi decisionis hujus S. Congre-
» gationis Consistorialis diei 27 februarii 1909 (2), facultas
» concedendi presbyteris dispensationem ab irregularitate,
» sive hæc oriatur ex delicto, sive ex defectu, spectet ad
» S. Congregationem de Sacramentis, an potius ad S. Con-
» gregationem Concilii »; SSmus D. N. Pius PP. X, attentis votis tum a Secretis utriusque Congregationis de Sacramentis et Concilii, tum hujus S. Congregationis Consultorum, mandavit ut respondeatur « dispensationem ex defectu
» reservari ad S. Congregationem de Sacramentis, ex delicto
» autem ad S. Congregationem Concilii ».

Datum Romæ, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 28 novembris anno 1911.

L. ✠ S. C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

II

Litteræ d. d. 17 aprilis 1911 ad Episcopos Austriæ de lectione diariorum et Ephemeridum in Seminariis (3).

Litteras E. V. diei 17 decembris 1910 nomine etiam plurium aliorum hujus imperii Antistitum scriptas, SSmus Domi-

(1) *Act. Apost. Sed.*, 1911, t. III, p. 658.

(2) Juxta quam, facultas dispensandi presbyteros ab irregularitate spectabat ad C. Concilii, non ad C. de Sacramentis. Cf. *Acta Apost. Sedis*, 1909, t. I, p. 251; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 370, nota (4).

(3) *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, 1912, t. XCII, p. 122-126.

nus Noster, prout rei gravitas postulabat, diligenti examini subjecit, ad hoc etiam adhibitis præclaris viris, qui, in sacris disciplinis et in clericorum institutione dudum versati, peculiares etiam conditiones seminariorum harum regionum bene norunt.

Nunc autem, pro meo munere, de ejusdem SSmi Domini mandato, hæc Tibi communicanda habeo: standum scilicet esse dispositioni communi (1), cum temperatione tamen quæ Hungariæ Episcopis indicata est litteris sub die 20 octobris 1910 datis ad Emum Card. Archiepiscopum Strigoniensem, atque in Commentario Officiali vulgatis (2).

Hujus decisionis rationes multiplices sunt, easque summatim innuam, ut quæ sit S. Sedis mens melius perspectum sit, et libentius ac firmius omnes Episcopi SSmi Domini Nostri dispositioni adhæreant.

In primis enim recta clericorum institutio aliquod tempus requirit, quo alumni, in sortem Domini vocati, velut e mundo segregati, mundi ipsius scientiam relinquant, ut spiritum Dei ediscere valeant; non enim profanas disciplinas, et eo minus politicas discussiones, fidelibus tradere, sed religionis ac pietatis documenta in semetipsis opere et sermone præbere, populumque viam salutis docere debent, sicut decet Dei ministros et dispensatores mysteriorum Dei.

Tempus autem huic animi collectioni et spirituali formationi sacrum illud est quod adolescentes in seminario transigunt. In eo igitur, vacare debent primum pietatis operibus, obedientiæ, humilitatis, mortificationis omniumque virtutum exercitio ut discant vincere se ipsos, frænare animi motus, exuere veterem hominem cum actibus suis, novumque inducere qui secundum Deum creatus sit, quantum humana fragilitas sinit, uno verbo fieri perfectos: ita namque cum e seminario exierint fortes in sanctis propositis, assueti virtuti, facilius a vitiis cavebunt, mundi blandimenta vitabunt, ipsaque suæ vitæ ratione ceteris, prout debent, in exemplum et salutem esse poterunt.

Ulterius vacare debent severioribus scientiarum studiis, philosophiæ præsertim ac theologiæ, juxta multiplices harum

(1) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 562.
(2) *Ibid.*, t. XV, p. 713.

disciplinarum tractatus; quod pariter maximi momenti est, quia si sacerdotis « tantum sancta sit vita, sibi soli prodest sic vivens. Porro et si doctrina et sermone fuerit eruditus, potest ceteros quoque instruere et docere suos et adversarios repercutere » ceu scribit S. Isidorus Hispalensis.

Utrique huic fini oportet ut quam plenissime satisfaciat clericorum institutio: nil enim, post divinam gratiam, majoris momenti est pro animarum salute et pro Ecclesiæ bono quam hæc perfectissima clericorum formatio. Ad eam itaque assequendam omni nisu contendere necesse est, et quidquid ab ea distrahere, aut eidem esse noxium potest firmiter absoluteque arceri debet.

Jamvero libera et assidua diariorum et ephemeridum lectio sanctissimo huic fini nedum non juvat sed imo nocet.

In primis enim distrahit juvenum mentem in ea plura quæ in commentariis narrantur vel discutiuntur; et quum « *pluribus intentus minor sit ad singula sensus* » hoc ipso eorum attentionem, curam sollicitudinem ad ea quæ spiritualia sunt et ad scolastica studia imminuit.

Quum vero ea quæ ad pietatis exercitium et ad scholasticum studium pertinent non sine firmo animi proposito et aliquali fatigatione et labore expleri possint; lectio autem commentariorum facilis, non operosa sit, quæ imo allicit, delectat et cor ad mentem plerumque prævalenter occupat (nam præsentia et quæ vix de proximo nos tangunt plus ceteris nostra intersunt) hinc nova ac vehementior distractionis causa. Quam si omnes etiam maturæ ætatis homines patiuntur (quia lex naturæ est) quanto magis juvenes!

Præterea diaria et ephemerides si quamdam instructionem parant, hanc tamen præbent inordinato et fragmentario modo, prout casus ferat et eventus exigant, non ex integro neque re undequaque perspecta, imo plerumque sub uno particulari aspectu ea considerata, ideoque neque plene neque serene. Quo fit ut eruditio quæ ex commentariorum lectione obtinetur imperfecta multis ex capitibus evadat: et sin minus ad illud conducit ut quodam modo superficiales homines reddat.

Porro ab iis qui in spem Ecclesiæ adolescunt hæc institutio studiose arcenda videtur, et illa potius eisdem sarta tecta servari debet quæ mentem ordinate, ex integro, serene effor-

met, prout in scholis solet. Plenior enim scientia ad Deum ducit; levior et incompleta ab eo non raro avertit: prior itaque clericis præbenda, altera ab eis removenda.

Quin dicatur hanc cum illa componi, imo unam alteri suffragari.

Nam eruditio ex diariis et ephemeridibus desumpta convenit cum institutione disciplinari et scolastica clericis propria ut imperfectum convenit cum perfecto. Imo cum in commentariis, etiam melioris notæ, bona malis commixta sint, ut infra fusius dicetur, semperque ex eis magnum distractionis motivum habeatur, ceu supra declaratum est; nequaquam asseri tuto potest institutionem illam ex diariis componi utiliter posse cum ea quæ in seminariis præscripta et debita est; nec illam huic suffragari sed potius multis ex capitibus nocere.

Si quæ vero sunt notitiæ quæ scitu necessariæ vel utiles sunt tam in humanis eventibus quam in scientificis disceptationibus, hæ quidem præberi clericis possunt temperatione illa qua Hungariæ Episcopis indicata est. Qua ratione, dum pericula præcaventur ac damna quæ ex libera et assidua diariorum consuetudine derivant, bonum perfectæ institutionis obtinetur, clerici jejuni non evadant de iis quæ in mundo fiunt vel accidunt, cum externis, data occasione, conversari absque dedecore queunt, in scholis publicis et examinibus (si opus sit) de iis respondere congrue ac juste possunt.

Quod autem libera et assidua commentariorum consuetudo (etiam præscindendo ab animi dissipatione quam semper inducit) periculosa et noxia evadat facile evincitur.

Ea enim quoque quæ catholico nomine veniunt, naturam et conditionem suam exuere nequeunt: ideoque mundanas notitias de theatris, spectaculis, choreis, athleticis jocis aliisque oblectamentis præbere et describere adiguntur: tristia et lasciva, esto quidem quadam cum cautela, enarrant, unde mens quæ prona semper est ad malum, ad otia et voluptates magis quam ad laborem his illecebris tentari necesse est, et certissime tentatur. Non expedit ut juvenes qui pietati ac scientiis studere debent ab hac periclitatione longe fiant? Et si de omnibus juvenibus hoc dicendum est, quanto magis de clericis? Sed præterea diaria et commen-

taria quælibet, alicui parti, opinioni, hominum cœtui vel personæ adhærent, quibus adstipulantur, et a quibus etiam subsidia et adjumenta suscipiunt: et ideo fere numquam partium studio sunt expertia. Quod magis elucet nostra ætate, in qua ob peculiares regiminis politici conditiones cives in partes plures divisi sunt, hi aliis æmulantur, sive ob diversa principia religiosa vel politica, sive ob varia lucra et oppositum interesse, sive ob aliam originem et linguam, et plerumque etiam ob ambitiosam contentionem prævalendi in reipublicæ administratione; unde non raro cives ac viri ipsi spectatissimi inter se pugnant conflictationibus acerrimis et quandoque etiam cruentis. Diaria autem et ephemerides os plerumque sunt et lingua quæ parat, nutrit, ac ducit has contentiones: et qui ea assidue legunt, juvenes præsertim, non possunt quin in eorum sensum plus minusve trahantur et abundent: inde opus est ut in æstimatione rerum ac personarum a recta via veritatis et justitiæ vix necessario aberrent, quin dicam de aliis incommodis et malis quæ inde proveniunt.

Quo fit ut sapientiores quilibet deplorent huic discrimini obnoxiam esse studiosam juventutem, et ultro optarent illud ab ea avertere, quin tamen efficaciter possint.

Hoc tamen obtinere facile potest pro seminariorum alumnis.

Imo pro his et alia maximi momenti causa militat ut longe a partium studio et conflictationibus educentur. Ministri enim esse debent illius qui non dissensionis sed pacis Deus est, « coram quo non habetur neque Judæus, neque Græcus, neque barbarus neque scita, sed omnia et in omnibus Christus ». Mittendi autem sunt ad populum non ejusdem opinionis, imo plerumque in partes divisum, et quandoque etiam diversæ linguæ: quorum tamen omnium æque esse debent patres, amici et magistri.

Quanta igitur necessitas, ut educentur seorsim ab eo spiritu et ab iis lectuis quæ propria sunt ad animi exaltationem inducendam et ad partium studium!

Ne timendum est ex hac prohibitione eventurum ut ecclesiasticarum vocationum fons arescat, et sufficiens clericorum numerus cum gravi religionis detrimento deficiat.

In primis enim quum justis et ferme necessariis de causis

lex lata sit, desponderi non licet, sed in Deo confidendum, qui potens est suscitare filios Abrahæ, etiam quum ad martyrium vocat.

Aliunde hæc prohibitio non adeo gravis neque ita importabilis videtur quæ debeat juvenes sanæ mentis a pio instituto avertere. Imo si ea qua decet ratione juvenibus eorumque parentibus explicetur non potest quin æqua et justa recognoscatur.

Quod si quis talis sit indolis qui nesciat aut nequeat placitis suis se abdicare, et tam levi præscriptioni subesse, nil amittet Ecclesia si eum deserat. Quid enim de eo sperari potest, si sacerdos fiat? Quænam erit ejus docilitas et reverentia erga futura et plerumque non leviora Ordinarii sui et S. Sedis mandata? Plus autem expedit paucos sed fideles et ferventes habere ministros, quam multos inordinatos parumque obsequentes.

Hæc itaque sunt, etsi summis labiis delibata, quæ S. Sedem inducunt ad sartam tectamque custodiendam legem prohibentem commentariorum liberam in seminariis lectionem.

Et manus E. V. deosculans humiliter me profiteor impenso animi studio

Eminentiæ Vestræ:
humill^{um} obsequ^{um} servum
C. Card. DE LAI, Secretarius.

E^{mo} ac R^{mo} Domino
D. Leoni Card. *de Skrbensky* Pragam.

III

DECRETUM.

Nuper sacrorum Antistites in Belgio et Hollandia unanimi voto SS^{mum} Dominum Nostrum Pium PP. X efflagitarunt, ut præscriptis professioni fidei et juramento contra hodiernæ ætatis errores deinceps non adderetur formula ab Alexandro VII pro Belgio et Hollandia contra errores jansenisticos præscripta, utpote quæ minus opportuna ac necessaria, attentis præsenti tempore adjunctis, videbatur. Quod probe noscens SS^{mus} D. N. de consulto S. Congregationis Consistorialis memoratis precibus annuendum esse censuit, ac

mandavit ut per Decretum ejusdem S. Congregationis omnes ad quos spectat in Belgio et Hollandia releventur ab obligatione addendi in professione fidei formulam illam ab Alexandro VII statutam, quæ his verbis continetur: « Ego... Constitutioni Apostolicæ Innocentii X, datæ d. 31 Maii 1653 et Constitutioni Alexandri VII, datæ d. 16 Octobris 1656, Summorum Pontificum me subjicio et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro *Augustinus* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit sincero animo rejicio et damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia ».

In executionem autem Apostolici mandati per hoc consistoriale Decretum atque a die publicationis ejusdem, statuitur ac decernitur ne in universis Belgii atque Hollandiæ diœcesibus professioni fidei amplius addatur relata formula a s. m. Alexandro VII olim prudenter præscripta; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Romæ, ex ædibus Sacræ Congregationis Consistorialis, die XXII^a Februarii 1912.

L. ✠ S. C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

S. Congregatio Rituum

I

DECRETUM

De simplicibus Antiphonas proprias habentibus (1).

Insequentia dubia, quoad Antiphonas et Psalmos ad Laudes, juxta novas Rubricas, in quibusdam Festis ritus simplicis et in Officio S. Mariæ in Sabbato recitandos, Sacræ Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposita fuere; nimirum:

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 105.

I. An in Festis simplicibus quæ habeant ad Laudes Antiphonas proprias, ex alio Festo desumptas, ut in Festo S. Agnetis secundo, ad Laudes dicendi adhuc sint Psalmi de Dominica cum Antiphonis Festi simplicis; vel potius Antiphonæ et Psalmi de Laudibus Feriæ occurrentis, et a Capitulo et deinceps de Festo simplici?

II. An in Officio S. Mariæ in Sabbato ad Laudes dicendæ sint Antiphonæ ipsius Officii cum Psalmis Dominicæ; vel potius Antiphonæ et Psalmi de Sabbato occurrente, et a Capitulo et deinceps de S. Maria?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, reque accurate perpensa, ad utrumque dubium respondendum censuit:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit die 26 Januarii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
✝ Petrus La Fontaine, Episc. Charystien, *Secret.*

II

DECRETUM

De quibusdam festis Dominicis hucusque affixis (1).

Quum ex novis Rubricis Festa diebus Dominicis affixa, nisi sint Festa Domini aut Duplicia primæ vel secundæ classis, amplius in ipsis celebrari nequeant; Sacra Rituum Congregatio, attentis etiam Præscriptionibus Temporariis memoratis Rubricis adjectis, insequentes declarationes evulgare censuit:

1. Festum Commemorationis Omnium Ss. S. R. E. Summorum Pontificum in locis, quibus idem Festum, sub ritu duplici minori vel majori, pro Dominica prima libera post Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli jam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis Julii fixe adsignata.

2. Item Festum Commemorationis Ss. Reliquiarum in locis quibus idem Festum pro aliqua Dominica, sub ritu duplici minori vel majori, jam indultum est, in posterum

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 105.

celebrari adhuc potest, die quinta mensis Novembris fixe adsignata.

3. Si aliquod Festum Ecclesiæ Universalis, sive Beatæ Mariæ Virginis, sive Sanctorum, sub ritu duplici minori vel majori, alicubi die Dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est.

Atque ita rescripsit die 9 Februarii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

III

PLURIUM DIŒCESUM

Dubia varia (1).

A nonnullis R^mis locorum Ordinariis insequentia dubia Sacræ Rituum Congregatione, pro opportuna solutione, proposita fuerunt; nimirum:

I. Festa Beatæ Mariæ Virginis aut Sanctorum, Dominicis affixa, et a locorum Ordinariis in perpetuum simplificata, impediuntne recitationem Suffragii ad Laudes et Vesperas, Precum ad Primam et Completorium, Symboli Athanasiani ad Primam et tertiæ Orationis in Missa?

II. Quando in Dominica occurrit Festum Beatæ Mariæ Virginis perpetuo a locorum Ordinariis simplificatum, conclusiones Hymnorum et Versus Responsorii brevis ad Primam eruntne de ipsa Beata Virgine, ad normam Decreti in una *Romana et aliarum*, diei 30 Decembris 1911 ad I^um?

III. Si Festum duplex secundæ classis in Dominicam incidat, et commemorandum sit Festum aliquod simplificatum, quod per se habeat Præfationem propriam in Missa, vel occurrat infra Octavam aliquam similiter Præfationem propriam habentem, legendane est Præfatio de Trinitate, vel potius Præfatio propria Festi simplificati, aut Octavæ?

IV. Quum ex novis Rubricis Primæ Vesperæ de Dominica infra Octavam Epiphaniæ, nisi Epiphania ipsa venerit in Sabbato, integræ amodo de ipsa Dominica dicendæ sint,

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 106.

ultimus harum Vesperarum Psalmus eritne *Laudate Dominum*, ut in primis Vesperis, vel potius *In exitu Israël*, ut in secundis Vesperis?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative in omnibus.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 9 Februarii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

IV

DECRETUM

Interpretationis Rubricarum ad normam Bullæ « Divino afflatu » (1).

Evulgato novo Psalterio, novisque Tabellis Occurrentiæ et Concurrentiæ Festorum, non una in praxi fuit interpretatio Rubricarum, quas ad normam « *Divino afflatu* » Commissio Pontificia ad id instituta confecit, ut videre est in diversis Calendariis pro currenti anno 1912 noviter redactis.

Ad dubia ergo in posterum præcavenda, Sacra Rituum Congregatio ad petitionem ejusdem Commissionis Pontificiæ, referente infrascripto Secretario, statuit et decrevit:

I. Rubrica de Suffragio Sanctorum, quæ in Ordinario Divini Officii ad Laudes et Vesperas habetur, interpretari debet juxta Tit. VII, n. 4 novarum Rubricarum, et ad ambiguitatem tollendam, præfata Rubrica in posterum sic edatur:

« Deinde, extra tempus Paschale..... et exclusis diebus, » in quibus occurrat quodcumque Officium Duplex aut infra

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 145.

» Octavam, aut Dominica in qua commemoretur Duplex » simplificatum, fit sequens Suffragium ».

II. Duplicia I et II classis sua die impedita, juxta Tit. III novarum Rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio duplici I vel II classis et ab Officiis hujusmodi festa excludentibus: transferri tamen non possunt in Dominicam etiam minorem, juxta n. 2 ejusdem Tituli.

III. Duplicia I et II classis certis Dominicis vel Feriis affixa, si perpetuo impediantur, juxta novas Rubricas Tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio Duplici I vel II classis aut ab aliqua die Octava, vel ab officiis hujusmodi festa excludentibus, non vero, ut censent nonnulli Liturgistæ, in primam diem ut suprà liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt.

IV. Licet juxta novam Concurrentiæ Tabellam, in concursu Duplicis majoris cum alio Duplici majori, totum fieri debet de Nobiliori cum commemoratione de alio, ideoque Festum Domini duplex majus Secundarium cedere debeat Festis ejusdem ritus B. Mariæ Virginis aut Sanctorum Primariis; nihilominus, quando Festum Domini Duplex majus secundarium in Dominica die occurrens concurrit cum festo Duplici majori primario B. Mariæ vel Angelorum vel Sanctorum, Vesperæ erunt de præfato Festo Domini, quia in casu Officium Festi Domini subrogatur Officio Dominicæ.

Die 24 Februarii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

Adnotandum de suffragio. *Ad primum.* Correctio quæ in textu rubricæ inducitur respicit dies in quibus *officium duplex simplificatum commemoratur*. Juxta textum antea in *Ordinario* l. c. editum, omittendum erat suffragium in *omnibus diebus* in quibus « occurrat festum duplex quamquam simplificatum ». Sed hæc regula specialis non conveniebat cum regula generali in Novis rubricis tit. VII, 4 posita, quæ agebat de sola « *Dominica* in qua fit commemoratio de aliquo officio du-

plici... ». Corrigitur nunc regula specialis et restringitur ad *solam* « *Dominicam* in qua commemoretur Duplex simplificatum ». Ergo si in feria majori, signanter in feria privilegiata, occurrat festum duplex quod debet simplificari et commemorari, dicendum erit (extra tempus paschale) suffragium, sicut recitandæ sunt preces feriales juxta rubricam in Ordinario divini officii ad Laudes et Vesperas positam. Ita logica servatur uniformitas in rubricis.

Exinde luculenter confirmatur influxum duplicis commemorati admitti tantum in diebus dominicis, ut nempe officii dominicalis brevitati consulatur, nec posse extendi ad officia ferialia (1). Ulterius etiam luculenter confirmatur sententia quam contra quam plurimos alios propugnavimus (suprà p. 204) : in missa quæ permittitur de feria majori vel vigilia, in diebus, in quibus occurrit officium duplex, non potest omitti tertia oratio pro tempore assignata.

C. Callewaert.

(1) Suspicari licet inconsequentiam in priori textu admissam signum esse duplicis sententiæ inter rubricarum peritos propugnatæ, qua alii censebant influxum duplicis commemorati semper exigere suppressionem tertiæ orationis, et suffragii, et precum, dum alii volebant hunc effectum admittere in die Dominica eo fine ne officium dominicale longius evaderet. Quam ultimam sententiam practice sancivit S. Congregatio, ut nunc indubie patet.

S. Congregatio Indicis

I

Decreto 22 Januarii 1912 (1) in Indicem librorum prohibitorum relata sunt hæc opera:

L. Duchesne, *Histoire ancienne de l'Église*. Paris (2).

Abbé Dolonne, *Le Clergé contemporain et le Célibat*. Paris, s. a.

Letters to His Holiness Pope Pius X. *By a Modernist*. Chicago 1910.

The Priest. *A Tale of Modernism in New England. By the author of* Letters to H. H. P. Pius X. Boston 1911.

Adveniat regnum tuum, 1. *Letture e Preghiere cristiane*. — 2. *Rituale del Christiano*. — 3. *L'anno cristiano*. Roma 1904-5.

Venancio Gonzalez y Sanz, *La bancarotta del Protestantismo; estudio histórico-sociológico-crítico*. Madrid 1910 (3).

L. Chouilly, *Carnet du petit Citoyen. Résumés d'instruction morale et civique. — Cours moyen et supérieur*. Verdun 1910.

Thommaso Gallarati Scotti, *Storia dell'amore sacro e dell'amore profano*. Milano 1911.

Zenner-Wiesmann, W. Koch et O. Wecker, Aug. Humbert, Ottocarus Prohaszka et auctor (P. A. S.) operis inscripti *Catechismo di storia sacra*, decretis S. Congregationis, d. d. 8 maii et 5 junii 1911 (4) laudabiliter sese subjecerunt.

II

Decreto 1 Februarii 1912 (5) damnatum fuit opus inscriptum:

Mario Palmarini, *Quando non morremo*. Romanzo eroico. Milano 1911.

---

(1) *Acta Apost. Sed.*, 1912, t. IV, p. 56 s.

(2) Auctor laudabiliter sese subjecit, declaratio S. Ind. Congr., 10 febr. 1912, *ibid.* p. 103.

(3) Laudabiliter sese subjecit declaratio S. Ind. Congr., 27 febr. 1912, *ibid.*, p. 144.

(4) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 429, 604.

(5) *Acta Apost. Sed.*, 1912, t. IV, p. 102 s.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

A. Sweens. *Theologia moralis fundamentalis.* In-8, 514-XVIII p. Ed. altera. Haaren prope Oisterwijk, 1910.

Hæc theologia moralis fundamentalis complectitur tractatus, qui illam nunc solent ingredi, videlicet *De actibus humanis, De legibus, De conscientia, De peccatis.* Expositio *De ultimo fine hominis* ponitur tamquam caput prævium in tractatu *De actibus humanis:* pro suo momento potuisset poni et exponi ut tractatus distinctus (1). Ubi eligendum venit systema morale, propugnat A. æquiprobabilismum, cujus merito affirmat patronum S. Alphonsum. At nostro sensu nimium æquo urget sic dictum principium possessionis (2); ubi verò impugnat (p. 371) solutionem a nobis propositam circa dubium de cessatione legis certæ (3), non cogit nos victas dare manus.

Ceterum libenter fatemur expositionem esse solidam ac dilucidam, eruditione sobria, hincinde tamen satis jejuna, ornatam. Verbo hæc tractatio in usum scholarum merito commendari potest.

R. P. Beauduin, O. P., *Tractatus de conscientia.* In-8, XIX-146 p. Tornaci, Desclée et Soc., 1911.

Hunc tractatum specialem *de conscientia* edidit R. P. **Gardeil,** O. P., atque addidit notas aliquas ad enucleanda puncta quædam, strictius ut videbatur attacta.

Considerat Auctor conscientiam ex parte objecti et ex parte assensus. Unde agit primo de conscientia *recta* (nunc sæpius vocata *vera*) *et erronea*; deinde triplici quæstione de conscientia *certa, dubia et probabili.* Expositio est scholastica ad mentem Divi Thomæ et S. Alphonsi de Ligorio: ubique apparet studium personale Auctoris, qui nititur solide ac dilucide quæstiones pertractare.

Diutius, uti par est, immoratus est A. in quæstione *de conscientia probabili.* Inter varia systemata moralia elegit ac propugnat æquiprobabilismum. Defectui eruditionis, quoad recentiores, supplevit ex parte Editor in notis.

Opus est omnino laudandum ac studiosis theologiæ moralis generalis commendandum.

E. Bruneteau. *La doctrine morale de l'Évolution.* In-16, VIII-96 p. Paris, Beauchesne, 1911. Fr. 1,25.

Une excellente brochure. L'Évolutionnisme, qui eut une fortune inouie, prétend au gouvernement de la conduite autant qu'à l'explication

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 656 ss.
(2) Cf. *ibid.*, t. VIII, p. 175 sq.
(3) Cf. *ibid.*, p. 173 ss.

des choses. L'Auteur expose d'abord à grands traits la doctrine morale de l'Evolution; dans la seconde partie, il en fait la critique: l'armature du système est faite de postulats sans preuve, et même, en plus d'un cas, contraires à des faits constatés; l'histoire évolutionniste de nos idées morales est de la fantaisie; la morale évolutionniste n'a pas de consistance, elle conduit notamment à des conséquences absurdes.

H. MAHIEU.

Dr Manzoni. *Compendium Theologiæ dogmaticæ*. 4 vol. (singula circ. 500 paginas habentia). Augustæ Taurinorum, Berruti, 1909-1911. Fr. 19,50.

Hoc dogmaticæ theologiæ universæ compendium, multorum theologorum laudibus elatum, utpote plerisque aliis compendiis præstans, jam post paucos annos secunda apparet editione.

Non solum « integritatem doctrinarum catholicarum, duce in primis Thoma, religiosissime servavit A. », ut testatur Summus Pontifex Pius X in epistola ad illum data, sed amplam ac profundam theologicæ scientiæ expositionem tradit, minoribus typis proponendo quæ alumnis scitu minus necessaria censet: his in partibus et etiam in notis quasdam metaphysicas considerationes vel quæstiones optime enuntiat.

Theses nitidissime exprimuntur et sæpe secundum terminologiam in ultimis S. Sedis documentis adhibitam. Non parva eruditione exponuntur demonstrationes ex S. Scriptura et ex doctrina Patrum: nonnunquam tamen nimia exhibetur congeries textuum, qui vix indicantur, nec sufficienter explicantur aut ad invicem conferuntur ut unitas doctrinæ appareat: v. gr., t. II, n. 427, t. III, n. 34 (1). Desideratur etiam, t. II, n. 285, examen criticum de authentia commatis Joannei. Argumento ex Traditione desumpto conjunxit opportunissime A. confirmationem ex archeologia christiana (2).

Quoad quæstiones inter catholicos disputatas, plerumque sequitur A. sententiam Card. Billot. Contra hodiernos errores multiplices præmunire voluit A. alumnos suos ac lectores; hunc in scopum Rationalistarum ac Modernistarum placita accurate exprimit ac elucidat, necnon solide refutat, ut videre est v. gr. in iis quæ pertinent ad originem religionis, t. I, n. 18 ss., ad originem Ecclesiæ, t. c., n. 188 ss., ad demonstrationem de existentia Dei, t. II, n. 3 ss. (3); bona etiam est expositio summaria de sententiis circa mosaicum hexæmerum (t. II, n. 377 ss.) et recta nobis videtur conclusio Auctoris circa recens decretum *Commissionis biblicæ* (t. c., n. 382); « Hinc æstimamus *damnandas* esse tantum expositionem mythicam et evolutivam ».

Insufficiens nobis videtur v. gr. expositio de notione hypnotismi, t. II, n. 493, etiam demonstratio de supernaturalitate resurrectionis, t. IV, n. 555 (4).

(1) Circa hoc argumentum de Christi divinitate, cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 623 ss.

(2) Quoad hanc materiam usus est A. præcipue egregio opere quod scripsit R. P. Syxtus, O. C. R., *Notiones archeologiæ christianæ*, 3 vol., Romæ, Desclée, 1909-1910.

(3) Separatim editæ sunt quæstiones excerptæ de existentia Dei et de Messianitate Christi: 0,60 fr.

(4) Nec solida videtur refutatio, t. IV, p. 383, nota 69, proposita de sententia quæ tenet ad identitatem numericam hominis resurgentis sufficere identitatem animæ. Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 691.

Non dubitamus opus R^di adm. Domini Manzoni ut egregium commendare, eo quod non solum alumni sanam et rite propositam doctrinam ibi invenient, sed etiam theologiæ professores elementa haurient utilia tum ad materiam lectionum ordinandam, tum ad quædam argumenta complenda.

Denzinger-Bannwart. *Enchiridion Symbolorum, Definitionum et Declarationum de rebus fidei et morum.* Edit. 11^a. Friburgi Br., Herder, 1911. In-8°, XXVIII-656 p. Fr. 6,25. Relié : 7,50.

Prædicti operis decimam editionem jam laudavimus in *Collat Brug.*, t. XIII, p. 539. In hac editione mutationes majoris momenti non inveniuntur. Accedunt, inde a n. 2109 usque ad n. 2147, documenta recenter a Pio X edita. Quædam antiquiora documenta, quæ nondum fuerant inserta, nunc jure merito fuerunt adjuncta; et valde opportune, ne in posterum numeri marginales denuo mutari debeant, illa documenta per modum appendicis (quæ a numero 3001 incipit) subnectuntur.

De hujus libri summa utilitate, imo et necessitate, nemo dubitare potest; quam asserebat Eminentissimus Ecclesiæ Princeps, Cardinalis Gibbons, his verbis : « Optandum est ut quilibet Theologiæ lector semper duo volumina præ manibus habeat : *Bibliam Sacram* et *hoc Enchiridion* ».

Van Volckxsom, S. J. *Le Modernisme.* Malines, Peeters, 1912. In-16, 16 p. Fr. 0,10.

Cette bonne brochure donne une idée succinte de l'*erreur* moderniste, considérée dans ses grands traits, et de l'*esprit* moderniste. Celui-ci est caractérisé par l'amour de la nouveauté, le culte outré de ce qui est hétérodoxe, la peur du surnaturel. Ces dispositions sont incontestablement fréquentes et souvent ceux, qui en sont victimes, ne s'en rendent pas compte. Mais il faut de la prudence pour juger, dans les cas particuliers, de l'existence de cet esprit chez les individus : l'A. aurait utilement ajouté cette remarque.

J. VAN DER MEERSCH.

MONITUM.

Directoribus operis « Militianenbonden » a Rev^mo D^no Episcopo Brugensi pluries commendati, iisque omnibus qui militibus futuris aut præsentibus sacerdotalis zeli opem conferunt, perutile erit periodicum menstruum **Ons Vaandel** (Godshuizenlaan, 174, Gent. — pretio annuo 1,50 fr.). Continet enim, præter instructiones et monita salutaria christiano militi proponenda, responsa ad quæsita et dubia quæ legem militarem aut militum jura et obligationes spectant.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Interpretare *Jac. II, 18-19,* simul notando contextum in quo hæc pericopa occurrit.

II

Breviter expone quomodo catholicæ doctrinæ opponatur Rationalistarum sententia quæ in Christi Redemptione non aliam quam *exempli* efficaciam agnoscit.

III

Expone doctrinam Ecclesiæ Romanæ circa *ministrum* Sacramenti Confirmationis, et indica quomodo hæc doctrina cum praxi Ecclesiæ Orientalis concilianda videatur.

IV

Indica dispositiones in subjecto requisitas ad *validam*, *fructuosam* et *licitam* susceptionem Sacramenti Confirmationis.

V

Propone varias juris dispositiones circa adhibendos *patrinum et matrinam* in Confirmatione.

VI

A quibusnam, in quibus missis et quo loco seu ordine recitanda est *collecta imperata* ab Ordinario?

PROOSTENBOND. Cœtus celebrabitur Rollarii 18ª Aprilis (feria V) hora 2ª. Omnes quorum interest sacerdotes et seminaristæ rogantur ut huic cœtui intersint.

*
* *

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communiebockje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVII, pag. 234).

VIII

Sub respectu proprie mystico difficultas apud Rusbrochium atque obscuritas in eo maxime est quod docet de triplici unione nostra cum Deo, nempe per medium, sine medio et sine differentia. Hoc et ipse sensit cum in libro, quem merito retractationis librum dixeris (1), hanc materiam de triplici unione retractet, et declarare satagat, quam in aliis operibus sæpius exposuit.

Unde ex diversis his locis mentem ejus assequi conabimur; atque, hæc quæstio cum sit quasi cardo totius doctrinæ mysticæ, non tantummodo apud Rusbrochium sed et apud cæteros auctores mysticos, utpote talis ex ipsa natura rei: simul cum interpretatione Rusbrochii, et aliorum scripta, ipsamque doctrinam mysticam interpretati erimus, eamdem apud omnes, quamquam vario sub aspectu apud diversos inspectam.

(1) *Samuel; sive de alta contemplatione Apologia,* apud Surium, alias *Dat boeck der hoeghste waerheit.*

Re quidem vera, olim agentes de unione justorum cum Deo (1), sponte et sine respectu ad scripta Mysticorum obvium habuimus totum processum mysticum, contentum in hac fundamentali veritate : videlicet Deum, sicuti est principium primum, unde processimus, ita esse ultimum finem, ad quem regredi ac reduci nos oportet; quod et in ordine naturæ verificatum fuisset.

Profecto, manifesta res est totam vitæ nostræ perfectionem eo contineri quod, pro modo naturæ nostræ a Deo acceptæ eique in præsenti ordine divinitus superadditis donis, ad Deum finem ultimum, summe diligibile ac diligendum bonum, beatitudinisque objectum, ipso Deo juvante, regrediamur quam perfectissime. Adeoque nec mirum est hoc principium ab omnibus Mysticis ut fundamentale haberi, et ab iis unanimiter, quamquam diversa a singulis methodo, exponi, inde jam ab ævo Patrum, et nominatim a Dionysio Areopagita dicto, qui hunc processum mysticum ceu sempiternum quemdam cyclum seu circulum habet descensus Dei ad hominem, hujusque in Deum reditus (2).

Jam adeamus nostrum Rusbrochium. Et primo quidem consideremus ejus doctrinam de processione nostra a Deo; secundo vero, de reditu nostro ad Deum. Etenim unam sine altera penitus intelligere et explicare nequimus.

Quod primum attinet, prævie attendenda venit triplex unitas quam in natura nostra comperit Rusbrochius.

Prima eaque suprema unitas naturæ nostræ est unitas in Deo, quam *in nobis* ipsis habemus quatenus, sicut creaturæ reliquæ omnes, a Deo creante, conservante et movente ex integro pendemus (3); et tamen *supra nos*

(1) V. *Collat. Brug.*, tom. XV, p. 629.

(2) Vid. *De div. nom.*, c. IV, § 14; coll. *De cœl. hier.*, c. I, § 1.

(3) Quamquam, pro diversa naturæ perfectione, diversa ratione Deus creaturis variis inest, ut agentes *De Unione justorum cum Deo* exposuimus, n. 32, et cf. *Medit. theol.*, p. II, c. I, art. V, § 5.

eamdem unitatem possidemus quatenus secundum esse ideale, in divina essentia, sicuti omnes creaturæ, vivimus (1).

Hæc unitas est essentialiter in nobis a natura, sive boni sive mali simus, neque nos, absque ulteriore nostra Deique operatione, sanctos nec beatos facit.

Alia unio seu unitas est a natura in nobis, nempe unitas supremarum virium, quatenus hæ naturalem suam originem sumunt activo seu actuali modo *(werkeliker wijs)* in unitate spiritus seu mentis. Hæc est eadem illa unitas in Deo pendens, sed hic sumitur active seu actualiter *(werkelike)*, ibi vero essentialiter *(weselike)* (2).

Spiritus tamen in utraque unitate totus est secundum totalitatem suæ substantiæ. Hanc unitatem possidemus in nobis ipsis supra sensitivam partem, et ex ea procedunt memoria, intellectus et voluntas, et omnis potentia operum spiritualium. In hac unitate vocatur anima spiritus.

Tertia unitas respicit vires inferiores, in qua anima dicitur anima, utpote forma materiæ, animans corpus.

En accuratum compendium Rusbrochii, *De ornatu spir. nuptiarum,* l. II, c. II (3).

Eodem loco paulo infra addit supremam unitatem in Deo esse supra nostrum intellectualem captum, et

(1) Hanc unitatem duplicem *in nobis* et *supra nos* dilucide explicat S. Thomas, 1ª, q. XVIII, art. 4, ad 1ᵐ: « Creaturæ in Deo esse dicuntur duplicitur. Uno modo, in quantum continentur et conservantur virtute divina; sicut dicimus ea esse in nobis, quæ sunt in nostra potestate. Et sic creaturæ dicuntur esse in Deo etiam prout sunt in propriis naturis. Et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: *In ipso vivimus, movemur et sumus*; quia etiam nostrum vivere, et nostrum esse, et nostrum moveri causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente. Et sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud ab essentia divina. Unde res, prout sic in Deo sunt, sunt essentia divina. Et quia essentia divina est vita.. , inde est quod res hoc modo loquendi in Deo sunt... vita. »

(2) Hujus distinctionis fusiorem explicationem dabit infra.

(3) In edit. David-Snellaert (c. III apud Surium).

tamen essentialiter in nobis...; ex ea creaturali modo effluximus et essentialiter in ea permansimus.

Hæc omnia et in specie ultimum dictum de creaturali effluxo nostro etc., fusius magnificisque verbis explicat in opusculo *Speculum æternæ salutis,* c. VIII, in quo tamen opusculo attende agi potius *de regressu* nostro ad illam divinam unitatem, idque non in hypothesi puræ naturæ, sed respiciendo ad statum historicum ordinis supernaturalis. En ejus verba, quod præsens intentum attinet:

« Ad hanc æternam imaginem [quæ est Filius et æterna Sapientia Patris] nos omnes conditi sumus. Enimvero secundum excellentissimam animæ nostræ portionem, quæ est supremarum virium nostrarum origo, ceu vividum ac æternum facti sumus speculum Dei, cui is sempiternam suam impressit imaginem, quodque nullam aliam unquam recipere imaginem potest... In hac æterna imagine, id est in Filio, cognovit nos Deus in seipso, et antequam creati essemus, et nunc in tempore quando ad ipsam conditi sumus. Hæc imago in cunctis hominibus et essentialiter et personaliter (1) inest, et singulus quisque totam eam et integram ac indivisam habet: nec tamen simul homines universi plus inde, quam unus aliquis, habent. Atque hac ratione omnes nos unum sumus, uniti in æterno exemplari nostro, quod est imago

(1) Id est, secundum essentiam, ut sic; et secundum essentialem existentiam (*na wesenlike sine*, ut dicit alibi): essentia, ut sic, respicit esse nostrum ideale in exemplari divino seu imaginem increatam Dei; essentialis vero existentia respicit esse actuale creatum, seu impressionem imaginis Dei in nuda natura: quatenus enim essentia actu existit, eatenus est suppositum seu ad essentiam suam rediens ac personaliter existens (v. quæ diximus supra, sub VII).

Ita, præter infimam unitatem virium sensitivarum, triplex spiritus unitas seu unio naturalis cum Deo distingui potest: prima, secundum essentiam ut sic, quæ est *supra nos;* altera, secundum essentialem existentiam, quæ est *in nobis,* et utraque essentialiter *(weselike)* se habens in oppositione ad activam seu actualem *(werkelike)*, nempe tertiam, quæ est supremarum virium.

Nonne Rusbrochius in hac distinctione inter essentiam et essentialem existentiam, inter *essentialiter* et *personaliter* forte meminisse videtur disputationis philosophicæ de ente et essentia? Sive realem sive rationis tantum hanc distinctionem habuerit, parum refert ad præsens institutum.

Dei, et omnium nostrum et vitæ et essentiæ nostræ origo, in quo creatum esse nostrum et vita nostra sine medio tamquam in causa sua æterna dependet: neque tamen nostra creaturalitas *(ghescapenheit)* fit Deus, nec imago Dei fit creatura. Nos enim creati sumus ad imaginem, id est, ut imaginem Dei suscipiamus. Ipsa autem imago increata et æterna est, et Filius Dei omnipotentis. Hæc imago in essentia Dei est essentia et essentialiter, et in natura [Dei] prorsus eadem natura. Et ipsa natura fœcunda est, paternitas et pater. In hac fœcunda natura Pater in Filio, et Filius in Patre est. Sed in Patre Filius filialiter et ingenitus inest, tamquam intus permanens paternæ naturæ fructus: habetque se illic natura paternaliter ad semper gignendum, et filialiter ad sine intermissione nascendum; sed in ipsa nativitate Filius altera persona est, perenniter ex Patre procedens sive exiens, et Spiritus sanctus tertia persona est, tamquam ardens utriusque amoris incendium (1), in creaturas omnes ad id paratas promanans. Et suprema quidem animæ nostræ portio numquam non parata est, cum sit prorsus nuda et formis seu imaginibus vacua, in suum semper principium intuens ac propendens (2). Atque eam ob rem æternum ac vividum est Dei speculum, jugiter absque cessatione suscipiens æternam generationem Filii, et sacrosanctæ Trinitatis imaginem, in qua totum sese cognoscit Deus, quidquid est tam secundum personas quam essentiam; siquidem imago hæc in essentia est essentia, et in singulis personis totum id quod illæ sunt in natura: atque hanc eamdem imaginem nos omnes tamquam vitam æternam sine nobis ipsis ante nostri creationem habemus [in Deo]; postquam autem creati sumus, eadem ipsa imago nostræ essentiæ [ut sic dicam] superessentia est

(1) Quæ modo citavimus et porro infra citabimus de Deo uno ac trino confer cum doctrina de SS. Trinitate quam superius, sub VII, exposuimus juxta eumdem Rusbrochium.

(2) Ista tria per quæ parata est suprema portio spiritus nostri ad suscipiendum Spiritum, sunt tres illæ proprietates quas eodem contextu paulo infra explicat.

Hanc autem comparationem seu aptitudinem ad suscipiendum Spiritum sanctum, intellige, ut patet e contextu et porro ex aliis dictis infra citandis, de aptitudine naturali seu *potentia obedientali*, ut ajunt, ad participationem supernaturalem naturæ divinæ hujusque beatitudinis.

et vita æterna: habetque hinc animæ nostræ substantia tres quasdam proprietates, quæ tamen in natura unum sunt. Prima proprietas est essentialis et imaginum expers nuditas, qua nos Patri ejusque divinæ naturæ similes ac uniti sumus. Altera proprietas ratio superior animæ dici potest, quæ est quædam specularis claritas in qua Dei Filium æternam veritatem suscipimus, et in claritate quidem similes ei sumus, in susceptione autem unum cum illo sumus. Tertiam proprietatem scintillam animæ appellamus, quæ est animæ naturalis quædam introrsus in suam originem propensio; in hac Spiritum sanctum, Dei charitatem suscipimus; et in propensione quidem sancto Spiritui similes sumus, in susceptione autem unus cum Deo spiritus et unus amor efficimur. Tres istæ proprietates una ac indivisa animæ substantia sunt, vitale fundum ac origo supremarum virium. Hæc autem similitudo (1) cum unitate ex natura in nobis omnibus inest, sed peccatores in proprio ipsorum fundo ob vitiorum crassitudinem latet. »

Infra in eod. *Speculo,* c. XVII, addit:

« Sciendum est vitam quamdam æternam nos habere in divinæ Sapientiæ exemplari. Atque hæc vita semper manet in Patre, emanatque cum Filio, et in eamdem naturam cum sancto Spiritu reflectitur, et ita æterno nos vivimus in nostro sanctæ Trinitatis et paternæ Unitatis exemplari. Hinc vero creatam quamdam habemus vitam, ex eadem Sapientia manantem in qua Deus suam potentiam, sapientiam ac bonitatem cognoscit, et hæc illius imago est, per quam vivit in nobis. Porro ex ejus imagine vita nostra tres habet proprietates, quibus ipsius quam suscepimus imagini similes sumus [ut supra].... Quæ nimirum vitalis vita est, et in nobis omnibus inest essentialiter et ex nuda natura.....

Sicque vividam, eamque ante rerum omnium creationem, æternam habemus vitam in Deo; et ex hac vitali vita creavit nos Deus, non tamen de ipsa vita (2), nec de sua substantia,

---

(1) De similitudine vero supernaturali dicit in sequentibus; et cf. infra pag. nostram 305, cum nota (3).

(2) *Uut dien levene.... maer niet van dien levene;* scilicet, quasi exteriorando exemplar seu ex vita divina tamquam ex termino a quo et causa exem-

sed ex nihilo; nostraque creata vita in sua æterna, quam in Deo habemus, vita dependet tamquam in æterna causa sua, quæ ex natura ipsi [Deo] propria est. Et eam ob rem creata vita nostra una vita sine medio est cum illa quam in Deo habemus vita; æterna autem quæ nobis in Deo est vita, citra medium unum est cum Deo: quippe qui vivens exemplar est omnium ab ipso conditorum, itemque causa ac prima causa creaturarum omnium, » etc.

Hæc, quamvis longiora, ex diversis locis Rusbrochii non sine labore exscripsimus, quoniam, uti facile adverterit lector, opportuna imo necessaria sunt ut mens ejus patescat necnon doctrina mystica generatim penitus intelligatur.

Jam, eadem methodo usi, Rusbrochium audiamus ulterius explicantem quæ supra ex eodem (1) breviter proposuimus tum de unitate nostræ naturæ in Deo suprema, tum de unitate supremarum virium, quæ, ut ait, eadem est sed sub diverso respectu.

« Unitas, *inquit* (2), spiritus nostri se tenet in duobus modis, id est, essentialiter et active seu actualiter *(weselic ende werkelic)*.

Sciendum est spiritum secundum essentialem existentiam suscipere adventum Christi [seu Dei] in nuda natura sine medio et sine intermissione. Nam esse et vita quæ sumus in Deo in nostra æterna imagine, et illa quam in nobis ipsis habemus secundum essentialem existentiam (3), est sine medio et inseparata. Et ideo recipit spiritus, secundum suam intimissimam altissimam partem, in nuda natura,

---

plari; non vero de illa vita quasi de materia seu substantia de qua res producitur. Dilucide paulo infra rem declarat Rusbrochius: « Nos omnes supra creatam essentiam nostram, æternam quamdam vitam habemus in Deo ceu vivida causa nostra, qui nos fecit et creavit de nihilo; non tamen Deus sumus, neque nosipsos fecimus, neque etiam ex Deo naturaliter emanavimus: sed quia ab omni æternitate Deus nos cognovit et voluit in semetipso, ideo creavit nos non ex natura neque ulla adactus necessitate, sed pro suæ arbitrio voluntatis ».

(1) Scil. ex op. *De Ornatu spir. nupt.*, l. II. c. II (III ap. Surium).

(2) Eod. loc., c. LVII (LIX ap. Surium).

(3) Cf. supra p. 300, nota (1).

impressionem suæ æternæ imaginis et divinæ claritatis sine intermissione, et est quoddam æternum habitaculum Dei, quod Deus possidet cum æterno inesse, et quod semper visitat novo adventu et nova insplendentia novæ claritatis suæ æternæ generationis. Nam ubi venit, ibi est, et ubi est, ibi venit; et ubi numquam fuit, ibi numquam venit, in ipso enim non est accidens nec mutabilitas. Et omne illud, in quo est, hoc est in illo, etenim non exit extra seipsum. Et ideo possidet spiritus essentialiter Deum in nuda natura, et Deus spiritum, nam vivit in Deo et Deus in illo. Et habilis est, secundum supremam partem, claritatem Dei accipiendi sine medio, et quidquid Deus præstare potuerit. Et mediante claritate suæ æternæ imaginis, quæ essentialiter et personaliter (1) in ipso lucet, a se ipso deficiens mergitur spiritus in divinum esse, et possidet ibi permanenter suam æternam beatitatem; et rursum effluit cum omnibus creaturis, mediante æterna nativitate Filii, et ponitur in suo creato esse, per liberam voluntatem sanctæ Trinitatis. Atque hic sistitur similis imagini summæ Trinitatis et Unitatis, ad quam conditus est. Et secundum suum creatum esse (ghescapenheit), est patiens impressionem suæ æternæ imaginis sine intermissione, omnino perinde ac speculum immaculatum, in quo perpetuo imago remanet et sine intermissione agnitio novo aspectu renovatur in nova claritate.

Hæc essentialis unitas spiritus nostri cum Deo non subsistit in seipsa, sed manet in Deo, et effluit ex Deo, et in Deo pendet, et redit in Deum tamquam in suam æternam causam. Nec unquam a Deo divisa est, nec in sempiternum erit secundum hunc modum; nam hæc unitas in nobis est ex nuda natura, et si natura a Deo discederet, laberetur in purum nihil. Estque hæc unitas supra tempus et locum, et agit semper sine intermissione secundum modum Dei: ast omnem impressionem suæ æternæ imaginis recipit patiendo tamquam quod Deo simile est et creatura in seipso (2). Hæc

(1) Cf. rursus supra p. 300, nota (1).

(2) Diligenter nota imaginem increatam a nobis non possideri active, sed passive ejusdem impressionem nos recipere, ut alio loco *Regnum Dei amantium*, c. XXXI, expresse docet Rusbrochius: « Ipsa tamen creatura rationalis, quatenus ut creatura profluxit ex Deo, non est ista Patris

est nobilitas quam habemus a natura in essentiali unitate spiritus nostri, qua naturaliter unitus est Deo. Hoc nec sanctos nos facit nec beatos : nam id habent omnes homines in se, boni et mali ; atvero prima causa est omnis sanctitatis omnisque beatitudinis (1) ».

« Alio modo (2) se tenet spiritus noster in eadem unitate, active seu actualiter *(werkelike)*, et subsistit in seipso tamquam in suo creato personali esse. Hic est fundus seu origo supremarum virium, et illic est initium et finis omnis creaturalis operationis, quæ creaturali modo efficitur, pariter in natura et supra naturam.

Attamen non operatur unitas prout unitas est, sed omnes vires animæ, utcumque operentur, habent omnem virtutem et potentiam in suo fundo, hoc est, in unitate spiritus, ubi subsistit in suo personali esse.

In hac unitate oportet spiritus semper similis sit Deo per gratiam et virtutes, aut dissimilis per peccatum mortale (3). Nam, quod nunc homo conditus sit ad similitudinem Dei, hoc est ad gratiam Dei ; hæc enim est deiformis lux, quæ nos perlustrat et similes reddit ; et sine hac luce, quæ nos similes facit, non valemus uniri supernaturaliter, etsi non possimus amittere imaginem nec naturalem unitatem cum Deo..... Et ideo, quando Deus in nobis aliquas habilitates invenit ad gratiam suam recipiendam, jam vult nos ex libera bonitate vivificare et sibi similes efficere per dona sua (4).

---

imago, quandoquidem ut creatura promanat ; atque eam ob rem cognitio et amor illius tum in gratiæ, tum gloriæ lumine mensuram habet. Neque enim divinam naturam quisquam modo divino active possidet, nisi divinæ personæ. Nulla namque creatura modo immenso operari potest. Nam si ejus actio foret immensa, Deus utique et non creatura esset. » Cf. ejusdem Opusc. c. XXVI.

De modo activo se habendi spiritus nostri statim infra loquetur.

(1) Primam causam intellige potentiam obedientialem, ut supra, pag. 301, nota (2).

(2) Eod. loc., cap. seq.

(3) Heic incipere nota nostrum processum a Deo *supernaturalem*. Cf. *Speculum*, c. VIII, immediate post supra cit. p. 302.

(4) Heic simul concurrere advertes processum nostrum a Deo supernaturalem et regressum ad Deum, quatenus auxiliis gratiæ præventi nos ad gratiam sanctificantem præparamus, et rursum mediante hac propius ad Deum accedimus, etc. — Ut supra jam observavimus, nequit doctrina

Quod semper fit quando nos tota voluntate ad ipsum convertimus; nam in eodem instanti venit Christus [seu Deus] ad nos et in nobis cum medio et sine medio, hoc est cum virtutibus et supra omnem virtutem. Et imprimit imaginem et similitudinem in nos, id est seipsum et sua dona, et nos liberat a peccatis et liberos nos ac similes sibi ipsi efficit. Et in hoc ipso opere quo nos solvit a peccatis et similes ac liberos facit in charitate, a seipso deficiendo mergitur spiritus in fruitivum amorem. Et hic contingit obviatio quædam ac unio quæ sine medio est et supernaturalis, in qua jacet suprema beatitudo nostra. Quamquam Deo naturale est quidquid ex amore et libera bonitate donat, nobis est accidentale et supernaturale ad nostrum modum, utpote qui antea alieni ac dissimiles eramus, atque postea similes fimus et unitatem cum Deo adipiscimur ».

« Hic occursus (1) istaque unitas, quam amans spiritus in Deo adipiscitur ac possidet sine medio, oportet fiat in ipso essentiali captu, profunde abdita omni intelligentiæ nostræ, nisi active intelligatur secundum modum simplicitatis (2). In hac fruitiva unitate usque quiescemus supra nos ipsos atque rem omnem. Ex hac unitate fluunt omnia dona naturalia et supernaturalia; attamen quiescit amans spiritus in hac unitate supra omnia dona, et heic non est nisi Deus et spiritus unitus sine medio cum Deo. In ista unitate suscipimur a Spiritu sancto, et accipimus Spiritum sanctum, atque

de exitu nostro a Deo et de reditu ad Deum una sine altera intelligi; imo vix separatim exponi, quamquam unam ab altera distinctim claritatis gratia, quantum licet explicare conamur.

(1) Eod. loc., c. LIX (apud Surium LXI). Hic textus suo loco explicandus diligenter attendatur, utpote maximi momenti.

(2) Cf. hoc dictum infra explicandum: *secundum modum simplicitatis*, cum cap. L (LII) ejusdem operis; ubi exponit essentiam animæ esse spirituale regnum Dei, quod exsuperat omnes vires nostras, nisi modo simplici [transformentur]. Sub vero essentia animæ, in qua regnat Deus, se tenet unitas spiritus nostri tamquam primum mobile, utpote in qua movetur spiritus desuper virtute divina, naturaliter et supernaturaliter... Et hæc motio Dei, quando supernaturalis est, prima principalis causa est omnium virtutum; et dantur in hac motione septem dona Spiritus sancti .. Hic est modus quo Deus possidet essentialem unitatem spiritus nostri uti regnum suum, et quo operatur et effluit donis in potentialem nostram unitatem viresque nostras omnes.

Patrem et Filium, et divinam naturam pariter; nam Deus dividi nequit. Et fruitiva propensio, quæ requiem quærit in Deo supra omnem similitudinem, acquirit et possidet supernaturaliter in sua essentiali existentia, quidquid spiritus unquam naturaliter in eadem accepit. Hoc habent omnes boni homines, sed quomodo hoc sit, id remanet ipsis absconditum totâ vita sua, si interni non fuerint ac vacui ab omnibus creaturis. In ipso momento quo homo se a peccatis convertit, jam a Deo suscipitur in essentiali unitate suî ipsius, in supremo apice sui spiritus, ut in Deo quiescat nunc et usque deinceps. Et recipit gratiam ac quamdam similitudinem Dei in fundo seu origine suarum virium, ut semper crescat et augeatur in novis virtutibus. Quamdiu subsistit similitudo in charitate et in virtutibus, tamdiu subsistit unitas in quiete. Nec amitti potest, nisi per peccatum mortale. »

« Atqui, *pergit cap. seq.*, omnis sanctitas et omnis beatitudo in hoc jacet quod spiritus, per similitudinem et medium gratiæ vel gloriæ, introducatur ad quiescendum in essentali unitate; est enim gratia Dei via quam usque sequi debemus, si pervenire velimus in nudum esse, ubi se Deus dat sine medio in omnibus suis divitiis. »

Ast hæc jam pertinent potius ad regressum nostrum ad Deum; de quo regressu nunc agendum erit, posteaquam brevi compendio doctrinam Rusbrochii de egressu nostro ex Deo e textibus supra citatis deduxerimus, additis opportunis hinc inde declarationibus.

Itaque processio nostra a Deo, ad mentem Rusbrochii, est hujusmodi: æternam habemus vitam vitalem in Deo, quatenus in æterna imagine, seu Filio, nos ab æterno cognoscit Deus, seu quatenus in idea archetypa seu causa exemplari divina vivimus.

Ex hac æterna vita ceu causa exemplari, non de illa vita, non de substantia sua, nos effecit Deus, seu creavit ex nihilo. Unde habemus creatam vitam, secundum quam anima nostra est, non quidem imago increata Dei ac Deus, sed ad imaginem illam, ceu speculum recipiens impressionem æternæ imaginis. Unde fit ut secundum essentiam, ut sic, ut in idea

archetypa divina, simus unum cum æterna imagine seu cum Deo; non tamen sumus Deus, etenim secundum essentialem existentiam, sumus Deo similes, et quodammodo unum cum Deo sine medio, quatenus imago Dei impressa in speculo animæ nostræ, unum quodammodo est cum ipsa imagine æterna (1).

Hæc unitas essentialiter heic consideratur. Ast potest eadem unitas considerari ut activa seu actualis, quatenus est fundus et origo supremarum virium animæ seu spiritus; ubi invenitur initium omnis operationis quæ creaturali modo efficitur, sive naturaliter sive supra naturam.

En quæ a Deo, primo Principio, accepimus naturaliter, quæque nos nec sanctos nec beatos se solis efficiunt, sed constituunt primam causam omnis sanctitatis et beatitudinis, ut loquitur Rusbrochius, id est, naturam ut subjectum donorum supernaturalium ejusque obedientialem potentiam ad ea. Quod enim operatur in regressu ad Deum in præsenti ordine, non natura

(1) Hæc ipsis verbis Rusbrochii, *Speculum æternæ salutis*, c. XVII, expressa reperies; ubi rursus simul indicat quomodo, etiam secundum naturam, imaginem seu similitudinem Trinitatis in anima portamus. « Creavit (Deus) cujuslibet hominis animam ceu vivum quoddam speculum, cui natnræ suæ impressit imaginem, atque ita vivit ipse nobis impressus et nos illi. Etenim creata vita nostra unum quodammodo est cum imagine illa et vita, quam habemus ab æterno in Deo, et hæc sine medio unum est cum Deo. Vivit enim ingenita cum Filio in Patris substantia, et gignitur ex Patre cum Filio, atque ex his ambobus emanat una cum Spiritu sancto; sicque nos æterno vivimus in Deo, et Deus in nobis. Creata namque vita nostra in æterna vivit idea seu forma nostra, quam habemus in Filio Dei; et ipsa æterna idea seu forma nostra unum est cum Dei Sapientia vivitque in creata essentia nostra. Atque eam ob rem æterna Filii generatio et Spiritus sancti emanatio semper absque intermissione in animæ nostræ nuditate renovatur. Deus namque ex omni æternitate nos cognosvit, dilexit, vocavit et elegit. Quod si nos vicissim eum cognoscere, amare et eligere velimus, jam sancti ac beati et æterno electi sumus, » etc. — Hæc ultima jam, ut patet, ad regressum nostrum ad Deum spectant, de quo infra.

Quæ de similitudine spiritus nostri cum S. Trinitate hic dicit, conferenda sunt cum supra citatis (pag. 300-303) ex eodem *Speculo*, c. VIII, ubi rem ulterius explicat.

est sola, nec dona supernaturalia sola, sed natura exaltata eisdem donis.

Hanc potentiam obedientialem naturæ nostræ ad supernaturalem exaltationem supra (1), nitide explicavit Rusbrochius, ubi tres proprietates portionis supremæ spiritus nostri exposuit, quibus assimilamur tribus SS. Trinitatis personis, simulque sumus capaces (obedientialiter, seu passive, ut supra loquitur) (2), donorum supernaturalium.

Jam videamus quomodo supra naturam a Deo procedimus, seu quænam dona supernaturalia in naturam, nempe spiritum nostrum ejusque potentias ac vires, a Deo infunduntur, quibus ad Deum, finem supernaturalem, regredi ac reduci possimus.

Primo quidem, prænotato omnes vires animæ, utcumque operentur, habere omnem virtutem et potentiam in suo fundo, id est, in unitate spiritus, ubi subsistit in suo personali esse, statuit Rusbrochius, ut modo supra vidimus, in hac unitate spiritum semper similem esse oportere Deo per gratiam et virtutes, aut dissimilem per peccatum mortale. « Nam, *ait*, quod nunc (in præsenti ordine) homo conditus sit ad similitudinem Dei, hoc intelligendum est de gratia Dei; hæc enim est deiformis lux quæ nos... similes reddit, et sine hac... non valemus uniri supernaturaliter, etsi non possimus amittere imaginem nec naturalem unitatem cum Deo ».

Unde videtur Rusbrochius reponere, merito quidem, in ipsa natura seu substantia animæ, tamquam in subjecto, gratiam sanctificantem.

Imo vero, aliis in locis, expressis verbis idem asserit. « In unitate spiritus, (seu supremarum virium, in qua spiritus secundum totalitatem substantiæ est, ut supra notavimus ex eodem) sese habet gratia essentialiter

(1) Pag. 301-302.
(2) Pag. 304, cum nota (2).

secundum immanentiam seu habitum *(weselike naden inblivene)* sicuti plenus quidam fons; active vero, secundum effluentiam *(werkelike naden utevloyene)* per rivos in singulas vires animæ pro earum indigentia (1) ».

Item: « Deus dat suam gratiam in unitate supremarum virium (2) ».

Secundo, quod potentias attinet quæ, ut ait idem, ex unitate spiritus procedunt, nempe memoria, intellectus et voluntas; quodque proprietates tres spectat, « quæ una ac indivisa animæ substantia sunt », scilicet « essentialis et imaginum expers nuditas, ratio superior animæ, et scintilla animæ *(vonke der siele)* », videamus quomodo illas supernaturaliter extollat Deus.

Prævie quidem notemus quomodo, ad mentem Rusbrochii, se habeant ad invicem tres illæ vires supremæ seu facultates animæ, et tres ejusdem animæ proprietates modo enumeratæ. Jamvero, ex doctrina Auctoris, patet « essentialem et imaginum expertem nuditatem » referri ad memoriam (3), « rationem superiorem animæ » ad intellectum (4), « scintillam animæ *(vonke der siele)* ad voluntatem. Hæc nihil aliud esse videtur quam quod philosophi ac theologi *amorem naturalem* vocant, seu pondus naturæ quo natura propensi sumus ad bonum seu felicitatem, quique naturæ amor origo est, quasi

---

(1) Eod. op. *De ornatu spir. nupt.*, l. II, c. XXXV (ap. Surium XXXVI).

(2) Eod. lib. II, c. III (IV).

(3) Intellige memoriam, non sensibilem sed altiorem, intellectualem *(hoghe gedachte, gedachtenisse, memorie)*, quæ videtur a Rusbrochio sæpius cum ipsa mente confundi et eodem nomine vocari *(gedachte)*. — Philosophi et scholastici solent duas facultates animæ agnoscere, intellectum et voluntatem, memoria intellectiva ad intellectivam facultatem reducta. Atque videtur Rusbrochius aliquando hanc superiorem memoriam confundere cum intellectu possibili *(moghenlike verstane)*.

(4) Intellectus apprehendit *(begripen)* et supra imagines extolli potest. Ratio considerat *(merken)* et ex rebus sensibilibus imagines spirituales efformat.

Hæ notiones ad intentum nostrum sufficiunt. Cæterum infra mentem Rusbrochii accuratius exponere nobis licebit.

scintilla incendii, omnis actualis amoris, omnis tendentiæ actualis appetitus superioris seu voluntatis (1).

Unde manifestius quoque apparet quomodo tum triplici facultate spiritus nostri, tum triplici memorata proprietate ejusdem, assimilamur quodammodo tribus SS. Trinitatis personis: Patri respondente memoria, cum essentiali nuditate imaginum experte; Filio, intellectu, cum ratione superiore; Spiritui sancto, voluntate cum scintilla animæ (2). Ideo quoque singulis personis in diversas animæ potentias diversæ operationes per appropriationem tribuuntur.

His præmissis, « unitas (nempe supremarum virium) quæ in spiritu est et omnino spiritualis est, ornatur ac possidetur supernaturaliter per tres divinas virtutes, fidem, spem et charitatem, et per influxum gratiæ et donorum Dei (3) ».

Item: « tres virtutes invenimus, quæ nos uniunt Deo, atque causa sunt ac principium omnium aliarum virtutum: suntque fides, spes et charitas (4) ».

Nuspiam, quod sciamus, accurate determinat Rusbrochius subjectum singularum virtutum theologalium, sed eas generatim reponit in viribus supremis seu tribus facultatibus animæ spiritualibus; easque ut a Deo infusas supponit, ut merito autumamus, cum eas divinas appellet. Similiter, virtutes morales, quæ ad quatuor cardinales reducuntur, reponit in viribus inferioribus (5), nec accurate earum subjectum determinat, sed solummodo dicit prudentiam regere et ornare appetitum seu vim irascibilem *(tornighe cracht)*, temperantiam ornare appetitum concupiscibilem *(begeirlike cracht)*; quæ quidem vires, nisi regantur virtute, sunt bestiales. Porro justitia naturalem vim rationabilem *(redelicheit)* ornat,

(1) Hæc explicavimus in *Medit. theol.*, part. II, c. I, art. III.
(2) Lege textum supra cit. pag. 300-302, ex *Speculo æternæ salutis*, c. VIII.
(3) *De ornatu spir. nupt.*, l. II, c. II (III).
(4) *De spirituali tabernaculo*, c. XVI.
(5) Vid. *Regnum Deum amantium*, c. V.

et fortitudo naturalem libertatem voluntatis. Et evidens quidem est inferiores vires animales virtutibus non ornari nec regi, nisi quatenus rationi ac libertati subjacent; atque sub hoc respectu rationem atque libertatem viribus inferioribus accenset Rusbrochius; rationem vero superiorem seu intellectum, memoriam superiorem, id est intellectualem, et voluntatem, ut hæc intellectum consequitur, supremas vires vocat.

Utrum virtutes morales, præter acquisitas, infusas quoque ponat, nobis non constat; certe in textu modo citato ab infusis videtur saltem abstrahere, cum de via ad regnum Dei, quæ luminis naturalis via est, agat.

Jam pergamus. Vidimus gratiam essentialiter et secundum habitum esse, ex mente Rusbrochii, in ipsa unitate supremarum virium seu in substantia animæ (1); in viribus vero supremis seu facultatibus spiritualibus virtutes divinas, sicuti in inferioribus sunt virtutes morales seu cardinales.

Nunc, modo parallelo ad easdem tres potentias, tres

(1) Aliquando reponit gratiam in intellectu possibili, quem cum memoria alta, ut diximus, videtur confundere: « gratia Dei, quæ fundamentum quoddam est omnium donorum, sese continet essentialiter uti simplex aliqua lux in nostro possibili intellectu. » (*Nupt. spir.*, l. II, c. LXVI (LXVIII)). — Hæc omnia nobis videntur declarari atque ad invicem conciliari hac consideratione, quam supra (p. 306, cum nota (2)) ex eodem Rusbrochio notavimus, videlicet, « essentiam animæ esse regnum spirituale Dei exsuperans omnes vires nostras, nisi simplici modo, » seu, ut Surius interpretatur, « nisi forte simplici quadam ratione (vires) transformentur, » vel alias, « nisi active intelligantur secundum modum simplicitatis. » Scilicet, memoria si active seu actualiter penetrat in proprietatem sibi respondentem, id est in essentialem et imaginum expertem nuditatem, jam simplificatur ac redit ad fundum suum, ad ipsum esse animæ; similiter intelligentia per rationem superiorem, quæ est claritatis speculum, in quo æternam veritatem suscipimus, seu per intellectum possibilem suscipientem illam veritatem, redit ad ipsam unitatem substantialem animæ, ad unitatem virium supremarum, ad ipsum esse spiritus. Atque ita fit ut et memoria elevata seu altior cum intellectu possibili, et utrique cum ipsa mente seu spiritu, tamquam una eademque res aliquando considerentur a Rusbrochio; et sedem seu subjectum gratiæ habitualis nunc ipsam spiritus substantiam, nunc vero altam memoriam vel et intellectum possibilem designet.

quoque proprietates animæ seu spiritus supramemoratæ supernaturaliter extolluntur. Videlicet, gratia in unitate spiritus est essentialiter et secundum permanentiam tamquam plenus fons, active vero secundum effluxum per tres rivos in singulas vires descendit et tres proprietates singulis viribus supremis respondentes supernaturaliter extollit: « Per primum rivum, qui est quædam simplex lux, memoria elevatur supra sensibiles illapsus, estque posita ac stabilita in unitate spiritus. Per alterum rivum, hoc est, infusam claritatem, jam intellectus et ratio illuminati existunt quo omnigenos modos virtutum et exercitationum, atque arcana Scripturarum distincte cognoscant. Per tertium rivum, qui est inspiratus quidam calor, accenditur altior voluntas tranquillo amore et donatur magnis divitiis. Sic iste homo factus est homo spiritualis illuminatus, nam gratia Dei se tenet uti fontem in unitate spiritus, atque rivuli faciunt in viribus quemdam effluxum cum omnibus virtutibus (1) ».

Tandem, « cum his (virtutibus scilicet theologicis) simul Spiritus sanctus animæ hominis illabitur, velut fons vitalis, septem dimanans rivulis, qui sunt septem dona divina, quibus ornatur, componitur, ordinatur ac perficitur, et perducitur anima in vitam æternam (2) ».

« Faciunt septem hæc dona sentire ac perspicere uti Spiritus Dei hominis spiritum septemplici ratione moveat et incitet ad virtutes omnes, quæ quidem coli ac perfici queant. Atque ea re neque virtutes a donis, neque dona a virtutibus disjungi aut divelli se patiuntur, quando non potest ulla virtus absque Dei donis esse meritoria: ideoque mutuo semper juncta esse sibique cohærere oportet (3) ».

(1) *Nupt. spir.*, l. II, c. XXXIX (XL). Cf. *Spec. æternæ salutis*, c. VIII, immediate post supra cit. p. 302.

(2) *Regnum Deum amantium*, c. XIII.

(3) *Comment. in tabernac. fœderis*, c. XXIII.

De donis Spiritus sancti sæpius agit (1) Rusbrochius. Sed de his nunc satis, cum in regressu ad Deum præcipue erunt consideranda.

Itaque jam descriptum habemus totum fere nostrum a Deo processum, cum universis Dei donis, tum naturæ, tum gratiæ, non exclusis donis infimis, quemadmodum brevi compendio notat Rusbrochius: « Quidquid enim sumus, et quæcumque foris et intus accepimus, ea omnia liberrima Dei dona sunt, pro quibus gratias illi agere, quibusque ei servire nos oportet, modo illi placere velimus. Multa autem Dei dona sunt, quæ bonis occasionem præstant et adjutorium ad exercendas virtutes, puta bona valetudo, pulchritudo, sapientia, divitiæ et honores mundi. Et hæc infimi generis ac minimi pretii sunt, quæ communiter Deus utilitatis causa et amicis et hostibus suis, id est, bonis malisque largitur; et boni quidem ea ad honorem Dei et amicorum ejus usum conferunt et accommodant, mali vero inde suæ carni, dæmoni et mundo serviunt ac obsequuntur (2) ».

Unum remanet inquirendum, quod sponte nos deducit ad alteram, nempe de regressu ad Deum, tractationis nostræ partem: videlicet, utrum suprema unitas cum Deo, ad quam præcise regressus mysticus fit, in ordine præsenti supernaturali non aliam, ex mente Rusbrochii, inhabitationem Dei in anima justi importet, quam eam quæ a natura est, supra descripta ex eodem Rusbrochio; anvero sit etiam quædam gratuita ac voluntaria unio supra naturam Dei animæque *justæ* immediata, simul cum unione per medium gratiæ; ita ut processio nostra a Deo, in ordine supernaturali præsenti, sit, primo quidem, constitutio naturæ per creationem, seu

(1) Præter modo cit. locos vid. *Comment. in tab. fœderis*, c. CXII; *Nuptiæ spir.*, l. II, c. LXIII (LXV) et sqq.; breviter *De septem gradibus amoris*, c. VII, sub quinto gradu.

(2) *De calculo*, c. V.

unitas naturalis cum Deo supra descripta, cum potentia obedientiali naturæ ad supernaturalia; deinde vero, largitio gratiarum actualium, quibus disponimur ad justificationem, atque infusio gratiæ sanctificantis, virtutum et donorum, ast simul prædicta unio seu unitas immediata cum Deo naturalis sit supernaturaliter aliquo modo elevata.

Responsum huic quæstioni absolvit tractationem de processu nostro a Deo: nam, hucusque hunc processum, quantum ad ordinem supernaturalem, descripsimus, attenta unitate nostra suprema cum Deo, active considerata, seu unitate supremarum virium; dum heic quæritur de eadem unitate essentialiter considerata, an nempe et hæc unitas supernaturaliter quodammodo elevetur, in qua et principium omnino primum naturæ atque gratiæ invenitur, et ultimus simul finis ad quem supernaturali via redeundum est.

Inde denuo patet quam intimo vinculo doctrina de processione nostra a Deo cum doctrina de regressu ad Deum connectatur, probeque intelligitur priorem illam doctrinam in hac posteriori suum complementum reperturam (1). Et facilius quidem nobis erit quæstionem modo propositam resolvere, agendo jam de regressu nostro mystico ad Deum.

(Continuabitur).

(1) Hanc quoque ob rationem doctrinam Rusbrochii hucusque expositam noluimus conferre cum doctrina S. Joannis a Cruce aliorumque Mysticorum, quod nempe opportunius id fieri poterit agendo de regressu ad Deum.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Determina lectores ad quos directa fuit epistola S. Jacobi, et describe adjuncta in quibus versari supponuntur* (1).

R. I. Epistola mittitur ad christianos omnes quotquot tempore scriptionis existunt.

Lectores suos salutat S. Jacobus in inscriptione suæ epistolæ, I, 1: Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, *duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione*, salutem.

Verba: *duodecim tribus*, si sensu proprio intelliguntur, nihil aliud significare possunt quam *integrum* populum *judæum* (2), et quidem insistendo in hanc integritatem. Jamvero omnino certum est epistolam fuisse scriptam, non ad Judæos, sed ad lectores exclusive *christianos* (3). Et inde jam mirum videbitur epistolam *christianis* destinatam, inscribi: ad *populum judaicum*. — Præterea addit Jacobus, per modum determinationis ulterioris: *quæ sunt in dispersione*, id est extra Palæstinam, in exsilio extra patriam judaicam. Et hoc iterum mirum

---

(1) Quæstionem hanc, jam olim propositam et solutam apud *Collat. Brug.*, t. XI, pp. 490 ss., hic, quoad ibidem exposita, compendiose resumere, quoad quædam vero paulo profundius perquirere intendimus, eo scopo ut determinetur *tempus* in quo epistola fuit scripta.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, l. c.

(3) *Ibid.*

est: quomodo enim *integer populus* judaicus poterat dici *extra Palæstinam* et patriam suam (1)?

Utrumque illud incongruum vitatur si inscriptionem intelligimus, non sensu proprio statim indicato, sed sensu, in S. Scripturis usitatissimo (2) *metaphorico*, quo nempe duodecim tribus, seu populus Israel significat *universos christianos* vel saltem *universos judæo-christianos*, cosque intelligamus eo sensu in dispersione

---

(1) Neque, ut nonnulli voluerunt, sensus esse potest: *Judæis* qui sunt *in dispersione*. Etenim a) etiam sic maneret prius incommodum quod indicavimus: scribens ad *Christianos*, quomodo in inscriptione sua verbum habet ad *Judæos?* — et b) *duodecim tribus*, ut semper in S. Scriptura, et ut ex ipso sensu obviè constat, designat *populum, nationem* judaicam: unde expressio S. Jacobi incongrua est sicut incongrua esset locutio: integer *populus* vel integra *natio belgica* quæ est in America.

(2) Utraque metaphora in S. Scriptura N. T. est usitatissima. Revera omnes tituli et prærogativæ ecclesiæ judaicæ, sicut omnes modi loquendi de ista adhibiti, pedetentim in ecclesiam christianam, cujus synagoga erat umbra et figura, translata fuerunt (Cfr. Van Steenkiste-Camerlynck, *Commentarius in epistolas catholicas*, ed. V, p. 87). Jam Joannes Baptista dixerat Judæis indignis « quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare *filios Abrahæ* » (Luc. III, 8; Mt. III, 9), et Christus prædixerat: « Multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum » (Mt. VIII, 11), — vel « in regno Dei » (Luc. XIII, 28 s.), et: « Auferetur a vobis (Judæis) *regnum Dei*, et dabitur genti facienti fructus ejus » (Mt. XXI, 43). Similiter in epistolis S. Pauli christiani vocantur *populus Israel*, jam non generatione, sed fide in Christo fundatus (Rom. IV; Gal. III, 7-29), *Israel Dei* (Gal. V, 16), *Semen Abrahæ* (Rom. IX, 6-8; Gal. III, 29), *circumcisio* (Rom. II, 29; Phil. III, 3); imo S. Paulus ita assuetus est huic metaphoræ ut aliquando, ad designandum populum ipsum judaicum cum cultu suo, loquatur de populo Israel *secundum carnem* (I Cor. X, 18). Cfr. Eph. II, 11-21 (*Collat. Brug.*, t. XVI, pp 450 ss.). Similiter S. Petrus, alloquens christianos suos ex ethnicis conversos, omnes prærogativas in V. T. de Judæis dictas, eis applicat: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis...; aliquando non populus, nunc autem populus Dei... » (I Petr. II, 9 s.).

Christiani sic populo Israel assimilati, dicuntur in exsilio versari: et ipsi habent, sicut Judæi, suam civitatem principem, Jerusalem nempe cœlestem (Gal. IV, 26; Hebr. XII, 22); hic in terra peregrini sunt et advenæ (I Petr. I, 1, 17; II, 11), nec habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt (Hebr. XIII, 14). — Cfr. Zahn, *Einleitung in das N. T.* (Leipzig, 1900), I, pp. 58 ss.

seu extra patriam degere, quatenus omnes christiani, quousque vivunt in hac terra, *exsules* sunt *a vera patria sua cœlesti* (1).

II. Lectores, christiani universi, generatim **omnes ex Judaismo conversi** sunt.

Dicebamus sub I, epistolam mitti ad universos christianos *vel* saltem ad universos judæo-christianos; sed *de facto* epistola *supponit omnes generatim* (2) *christianos esse ex Judaismo* conversos, et nondum supponit statum rerum qualis obtinebit inde a secundo præsertim itinere S. Pauli, in quo nempe constitutæ apparent in variis regionibus extra Palæstinam, perplures communitates christianæ, ex ethnico- et judæo-christianis constantes.

Etenim, si hunc statum rerum supponeret, quomodo, scribens ad *omnes Judæo-christianos*, adeoque etiam ad omnes illos, tam numerosos, qui vivebant permixti cum ethnico-christianis, quomodo inquam, ne verbulum quidem habet de relationibus horum judæo-christianorum cum illis ethnico-christianis? Quomodo, ex professo et iteratis vicibus loquens de verbo veritatis (evangelicæ) quo christiani regenerantur, de fide, de operibus, de lege libertatis, — nullum tamen verbum habet de magnis illis controversiis quæ brevi in omnibus illis ecclesiis exortæ sunt circa omnes illas quæstiones, et speciatim de vi obligatoria legis mosaicæ pro omnibus christianis et præcipue circumcisionis?

Hæc, secus incongrua, optime intelliguntur si epistolam reponis *ante* magnum illum ingressum ethnicorum in ecclesiam, et *ante* exortas magnas illas controversias, in specie ante concilium hierosolymitanum a. 51 (3).

III. **Conditio eorum moralis, eorumque relatio ad Judæos nondum conversos.** Hæc eadem conclusio

---

(1) In hoc discedimus a sententia proposita apud *Collat. Brug.*, *l. c.*, et amplectimur sententiam in *nota* propositam apud VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 27.

(2) Cfr. *Collat. Brug.*, *l. c.*

(3) Cfr. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, p. 29.

circa tempus epistolæ confirmatur aliunde, puta ex eo quod tantum usque ad a. 50 verificabatur christianos *generatim omnes* (1) *esse pauperes;* præterea lectores, Judæo-Christiani, cum ethnicis relationes habere non supponuntur, sed cum solis Judæis; porro quod has *relationes* spectat: christiani vivunt adhuc satis permixti cum Judæis, etiam in rebus religiosis: sicut christiani initio adire pergebant synagogas judaicas, ita et ipsi in conventus suos proprios recipiunt Judæos (2), cum illis tractant de rebus religiosis, non sine jactantia quadam, ipsis fidem suam opponendo (3), eosque, zelo interdum nimis amaro, ad fidem christianam adducere conando (III, 14 s.).

Nota 1. Intelligitur ex dictis (4) epistolam, quod *tempus* attinet, meliori modo reponi ante annum circiter 50, eamque supponere adjuncta quæ posteriori tempore jam non verificantur, præcipue: universam ecclesiam adhuc, generatim loquendo, solis Judæo-Christianis constare, et nondum vigere magnam illam controversiam de lege mosaica ejusque vi in christianos quæ inde ab a. 50 omnes ecclesias pervadet et tam multum animos commovebit.

Nota 2. Circa reliqua adjuncta, potissimum circa ærumnas quas christiani sufferendas habere supponuntur, et dejectionem animi inde secutam; — item circa varia vitia quibus plures christiani dediti supponuntur, vide *Collat. Brug.*, t. XI, pp. 492 s.

A. VANDER HEEREN.

(1) Cfr. I, 2, 9 ss.; II, 5, 13, V, 1 ss., 7 ss. — Adsunt tamen etiam divites inter illos, quum hos hortetur ad misericordiam pauperibus exhibendam (I, 27; II, 13 ss.); quod confirmaretur multum si, ut volunt plures, divites de quibus agitur I, 9-11, IV, 13-17; V, 1-6, et ipsi christiani essent.

(2) Cfr. II, 2 ss.

(3) Cfr. II, 18 s. (de quo loco ponitur pro conferentiis quæstio solvenda).

(4) Alia quæ in confirmationem ejusdem temporis adduci possunt, v. apud VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, pp. 29.

II

Q. *In symbolo, quod dicitur Athanasianum* (1), *legitur:* « Sicut anima rationalis et caro unus est homo; ita Deus et homo unus est Christus ». *Explica rationem similitudinis quæ hoc asserto indicatur.*

R. I. Si versus suprà exscriptus in suo contextu consideratur, patet agi præsertim de *unitate* Christi (2) et quidem de unitate ontologica seu physica: inde a/ hæc præcipue est ratio similitudinis: sicut anima rationalis et caro, duo elementa ab invicem distincta, sunt simul unus homo, h. e. unum *quod* existit et unum quod est *homo*, ita hic, qui simul est Deus et homo, qui simul habet et divinitatem et humanitatem, est *unus* Christus, *una persona*.

b/ Præterea habetur similitudo in hoc: sicut caro et anima rationalis nec miscentur, nec confunduntur in hoc uno quod est homo, ita etiam *humanitas et divinitas impermixtæ* remanent in uno Christo.

c/ S. Thomas etiam aliam similitudinis rationem indicat: sicut anima rationalis utitur carne, tamquam *instrumento conjuncto* sibi, ad operandum, ita Deus, scilicet Dei Verbum, utitur humana natura assumpta, tamquam instrumento sibi conjuncto ad operandum, nempe « humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quæ sunt operationes propriæ solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitæ

(1) Hoc symbolum, falso tributum S. Athanasio, non conscriptum fuit ante sæculum VI. De ejus auctore et de loco originis nihil certi constat apud historicos. Cf. LEJAY, in *Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétiennes*, t. II, 1912, p. 45 ss.

(2) En contextus: « Qui [Jesus] licet Deus sit et homo, non duo tamen sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo.... ».

æternæ. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et conjunctum, ut « manus ad animam » (1).

d/ Tandem secundum sententiam, quam suprà, p. 96 ss., exposuimus, ratio nova similitudinis habetur in hoc quod sicut anima rationalis proprium suum *esse* communicat carni (2), ita Verbum Dei proprium suum *esse* communicat humanitati Christi.

II. Ut autem rite intelligatur similitudo, quam indigitavimus, oportet etiam ut *dissimilitudinis* rationem consideremus.

Jamvero a/ præcipua dissimilitudo seu differentia inter unionem animæ cum carne et unionem Verbi cum humanitate est in hoc quod anima et corpus (potius materia prima) sunt duæ substantiæ *incompletæ*, quæ ad *unam naturam* constituendam essentialiter ordinantur, proindeque unius essentiæ sunt partes et consequenter uniuntur *in natura;* e contrario, Verbum et humanitas assumpta sunt ac remanent duæ substantiæ completæ in ratione naturæ, nec ullo modo constituunt unam naturam, nec ad invicem se habent ut partes naturæ, nec uniuntur in natura, sed tantum in persona (3).

b/ Inde etiam anima rationalis est vere forma substantialis corporis humani, Verbum vero Dei non est forma substantialis humanitatis (4).

---

(1) S. Thomas, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 41. — De notione operationis *theandricæ*, cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 221, De modo quo humanitas Christi sit instrumentum in *miraculis* patrandis, cf. *o. c.*, t. VI, p. 443 ss.; in productione *gratiæ*, cf. *o. c.*, t. XIV, p. 233 s.

(2) Cf. S. Thomas, *De spiritualibus creaturis*, a. 2 ad 3; De Jaegher, *Institiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n, 398, p. 348.

(3) Cf. suprà, p. 20. In ipsa humanitate Christi, anima ejus est complementum naturæ et speciei, quatenus facit materiam esse actu corpus *humanum animatum:* hoc facit anima *essentiâ* suâ. Hæc tamen essentia, secundum exposita suprà, p. 96 ss. non subsistit proprio suo esse, sed ipso esse Verbi Dei. Cf. S. Thomas, 3, q. 17, a. 2 ad 4.

(4) Quod divinitas non sit forma substantialis humanitatis in Christo, hoc non impedit quominus humanitas Christi sit *instrumentum* conjunctum divinitati. Et sane « lingua, prout est instrumentum locutionis est pro-

c/ Tandem ex dissimilitudine assignata consequitur diversitas quoad modum loquendi : Christus recte dicitur tam Deus quam homo, aut etiam Deus-homo, contra homo nequit dici anima rationalis, nec corpus, nec anima-corpus (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Propone nonnulla documenta S. Scripturæ et Traditionis antiquæ in favorem institutionis Sacramenti Confirmationis* (2), *a Baptismate distincti* (3).

R. I. **Documenta S. Scripturæ.**

Loca classica sunt *Actuum Ap.*, c. VIII, vv. 14-17,

---

prium organum intellectus, qui tamen... nullius partis corporis actus est. Similiter etiam invenitur aliquod instrumentum quod ad naturam speciei non pertinet: et tamen ex parte materiæ competit huic individuo, ut sextus digitus vel aliquid hujusmodi. Nihil igitur prohibet secundum hunc modum ponere unionem humanæ naturæ ad Verbum quod humana natura sit quasi Verbi instrumentum non separatum, sed conjunctum; nec tamen humana natura ad naturam Verbi pertinet, nec Verbum, est ejus forma; pertinet tamen ad ejus personam ». S. THOMAS, *Summa contra Gentiles*, L. IV, c. 41. Cf. *Collat. Brug.*, suprà p. 22 ss.

(1) Cf. JUNGMANN, *De Verbo Incarnato*, n. 183.

(2) Olim vario nomine vocabatur: impositio manuum, χειροθεσία, consignatio, unctio, chrisma, sacramentum chrismatis, σφραγὶς, τὸ μύρον, τὸ μυστήριον τοῦ μύρου.

(3) Pro hoc ac sequentibus responsis circa Confirmationis Sacramentum, consuli possunt præ cæteris DÖLGER, *Das Sakrament der Firmung, historisch-dogmatisch dargestellt*, Urèn, 1906 (cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 184 ss.); VITASSE, *Tractatus de Confirmatione*, apud MIGNE, *Cursus theologiæ completus*, t. XXI, col. 545-1210; JANSSENS, *La Confirmation. Exposé dogmatique, historique et liturgique*, Lille, 1888; VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de Théologie catholique*, V° *Confirmation*, col. 975-1103; SCHANZ, *Die Lehre von den hl. Sacramenten der kath. Kirche*, Freiburg, i. B., 1893, p. 282-318; PROBST, *Sakramente und Sakramentalien in den drei ersten Jahrhunderten*, Tübingen, 1872, p. 159-194; VILLIEN, *La discipline des Sacrements — La Confirmation*, apud *Revue du clergé français*, t. LXV (1911), p. 169-185; HEINRICH-GÜTBERLET, *Dogmatische Theologie*, t. IX, Mainz, 1901, p. 362-434; VAN NOORT, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, p. 192-215; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*, III, Paderborn, 1906,

et c. XIX, 1-6. Nimirum ex relatione ibidem facta non obscure eruitur tempore Apostolico extitisse signum quoddam sacrum, illudque a Baptismate distinctum, quo gratia infunderetur sanctificans propria. *Signum sacrum* in utroque loco nitidè docetur constare impositione manuum et oratione; cf. VIII, 17 et XIX, 6.

Hujus signi efficacia ad infundendam *gratiam,* eamque *internam*, innuitur in ipsa immediata connexione inter positionem signi, seu manuum impositionem, et dictæ gratiæ infusionem, quæ connexio legenti VIII, 17 et XIX, 6, adeo intima apparet ut causalitatis ordinem importet.

Equidem expressis verbis non dicitur gratia consequi ad manuum impositionem, sed accipi docetur *Spiritus Sanctus;* atvero ex usu scripturistico liquet hanc locutionem importare internæ gratiæ collationem; sufficit remittere ad ep. *ad Rom.*, V, 5, ut appareat infusionem Spiritus Sancti non fieri sine infusione charitatis; sufficit remittere ad *Act. Ap.*, I, 8, ut innotescat accipienti Spiritum dari virtutem et robur ad confessionem fidei, adeoque *gratiam roborativam,* ita ut gratia accipienda *interna* simul et *specialis* ac *propria* demonstretur.

Videmus quidem in duplici narratione *Act. Ap.*, Spiritus Sancti infusionem comitari varia charismata, ac gratias gratis datas; sed aliunde novimus illa charismata nonnisi transeunter esse data nec omnibus contigisse (1ª *ad Cor.*, XII, 30); cæterum non ad gratias gratis datas sed ad solas gratias gratum facientes præmittenda est pœnitentia ac purgatio a peccatis, quas dispositiones S. Petrus, *Act. Ap.*, II, 38, necessarias docet ad accipiendum donum Spiritus Sancti.

Quod tandem signum illud gratiæ efficax sit *distinc-*

---

p. 144-164; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ,* VI, Friburgi-Brisgoviæ, 1908, p. 217-249; Pourrat, *La théologie sacramentaire,* Paris, 1907, *passim;* de Puniet, *La Liturgie baptismale en Gaule,* apud *Revue des questions historiques,* tom. LXXII (1902), p. 399-420.

tum a Baptismate, id sequitur, præterquam ex speciali indole gratiæ cum ritu sacramentali connexæ, ex ipsa oppositione, cap. VIII, *Act. Apost.*, inducta inter ritum impositionis manuum et Baptismum, necnon inter utriusque ritus sacramentalis ministros. Ibidem nempe narratur Samaritanos a Philippo fuisse baptizatos, sed nondum accepisse Spiritum Sanctum, ad hoc autem Samariam advenisse Petrum et Joannem ut baptizatis Samaritanis conférrent donum Spiritus S.: quod per impositionem manuum perfecerunt.

In favorem existentiæ Sacramenti Confirmationis, invocari potest etiam c. VI, 2, Ep. *ad Hebræos*, ubi juxta Baptisma, memoratur impositio manuum.

II. **Documenta Traditionis Antiquæ.**

Potissimum præ oculis habemus documenta *trium priorum sæculorum*, inter quæ principem locum tenent scripta *Tertulliani* et *S. Cypriani;* conabimur autem peculiariter urgere *distinctionem* ritus confirmationis a Baptismi sacramento.

Porro hæc *distinctio* innotescit

1° In descriptione ipsius *signi* seu *ritus,* ejusque habitudine ad signum baptismale.

Ita TERTULLIANUS, *De Baptismo,* c. 7-8 (ed. *Ehler,* Lipsiæ, 1853-1854), I, p. 626: « Exinde egressi de lavacro, perungimur... *Dehinc manus imponitur*, per benedictionem advocans et invocans Spiritum Sanctum ». Item S. CYPRIANUS (ed. Hartel, 1871), epist. 73, n. 9, p. 785: « ut qui in ecclesia baptizantur præpositis ecclesiæ offerantur et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo dominico consummentur ».

2° In determinatione *effectus*, quatenus proprius effectus adscribitur impositioni manuum, distinctus ab effectu baptismali.

Ita TERTULLIANUS, *De Baptismo*, c. 6, l. c., p. 625: « non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed aqua emundati... Spiritui S. præparamur ». Item

S. CYPRIANUS, epist. 74, n. 7, l. c., p. 804: « non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum S., sed in Baptismo, ut Spiritum jam natus accipiat »; collata ep. 73, n. 9, uti modò suprà. Etiam S. CORNELIUS (251-253) de Novato, in infirmitate baptizato, sed postea non confirmato: « neque, *inquit*, postquam liberatus est morbo, reliqua percepit quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est; *hoc autem signaculo minimè percepto, quomodo Spiritum S. potuit accipere* »? (1).

Clarius adhuc distinguitur effectus Baptismi ab effectu impositionis manuum apud *Canones Apost. Ægypt.* (Ægyptische Kirchenordnung), *Testamentum D. N. J. C.* et *Canones Hippolyti*, uti videre est apud DÖLGER, o. c., p. 21 s.

3º In designatione *ministri* ac *loci* necnon *temporis ministrationis*.

Initio Ecclesiæ Episcopus præerat administrationi solemni tum Baptismi, tum Confirmationis, Baptismum immediate consequentis; non deerant tamen circumstantiæ in quibus ministerium Baptismatis relinquebat sacerdotibus, sibi reservata impositione manuum (2); qui usus paulatim prævaluit.

Hujus manuum impositionis ministerium exclusive vindicat S. CYPRIANUS, in citata epistola 73, n. 9, et præ cæteris S. INNOCENTIUS I, apud DENZINGER, *Enchiridion*, ed. 11ª, n. 98; luculenter etiam innotescit illa singularis potestas Episcopi in historia Samaritanorum, apud *Act. Apost.*, VIII, 14-17.

Pluribus etiam in locis juxta baptisterium existebat

(1) Citatur S. Cornelii ad Fabium epistola apud EUSEBIUM, *Historia Ecclesiastica*, Parisiis, 1678, l. VI, p. 199.

(2) Casus fuit signanter cum *clinicis*, qui, in infirmitate, baptizabantur a sacerdote vel etiam, urgente necessitate, a laico, ea lege ut convalescentes, pro impositione manuum adducerentur ad Episcopum. Cf. textum relatum S. Cornelii, et can. 38 Concilii Illiberitani (300), apud HÉFÉLÉ-LECLERCQ, *Histoire des Conciles*, Iᵉ, p. 242.

consignatorium (1), pro impositione manuum seu consignatione, adeo ut utriusque ritus ministratio in distincto etiam loco perageretur.

4° In *diversa ratione tractandi hæreticos* pro reiteratione Baptismi et impositionis manuum, quæ diversa ratio peculiariter observatur in controversia baptismali inter S. Stephanum ex una parte et S. Cyprianum ac Firmilianum ex altera parte. S. Stephanus contendebat Baptismum in hæresi collatum esse validum, nec adeo erga conversos iterandum, sed sufficere ut illis manus imponerentur: hunc sacramentalem ritum censens invalide ministrari in hæresi. Contrà urgent S. Cyprianus et Firmilianus nullitatem utriusque sacramenti ab hæreticis collati, et contra S. Pontificem ex invaliditate Confirmationis ejusque iterandæ necessitate arguunt a pari ad invaliditatem et iterabilitatem Baptismi in hæresi accepti (2).

Nota. Fatendum est in nonnullis documentis antiquitatis vix apparere distinctionem inter Baptisma et Confirmationem, vel et specietenus confundi hæc duo sacramenta: id provenit ex intima connexione quæ signanter olim inter illa existebat. Nimirum non modò

---

(1) Dölger, *o. c.*, p. 26; Duchesne, *Origines du Culte chrétien*, Paris, 1902, p. 314.

(2) « Si effectum Baptismi majestati Nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi ubicumque et quomodocumque baptizantur, innovati et sanctificati judicentur, cur non in ejusdem Christi nomine illic et manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum S.; cur non eadem ejusdem Nominis majestas prævalet in manus impositione, quam valuisse contendunt in Baptismi sanctificatione »? S. Cyprianus, Epist. 74, n. 5, l. c., p. 802 s., collatis ep. 72, n. 1 et 73, n. 21, respective p. 775 et 795.

Firmilianus, ep. 75, l. c., p. 822: « Si in nomine Christi valuit foris Baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit et manus impositio ad accipiendum Spiritum S. ».

Porro circa controversiam de reconfirmandis hæreticis conversis, cf. Pourrat, o. c., p. 189-193; Saltet, *Les Réordinations*, Paris, 1907, p. 22-28, coll. p. 402 ss. et 388 s.; Dölger, o. c., p. 130 ss.; Probst, o. c., p. 170 s.; *Rev. du clergé franç.*, tom. L, p. 510 s.

simul suscipi solebant, ac una cum Eucharistia ritum constituebant initiationis christianæ, sed Confirmatio, a limine nascentis Ecclesiæ, habita est tanquam complementum Baptismatis (1); unde natum erat fieri ut per modum unius proponerentur Baptisma et Confirmatio, ac uno etiam vocabulo designarentur.

A. De Smet.

IV

Q. *Qui paie et comment sont payés les serviteurs d'église?*

R. On entend d'une façon générale par serviteurs d'église tous ceux qui sont chargés d'un emploi se rapportant au service intérieur de l'église et sont aux ordres du curé. L'article 33 du décret de 1809 mentionne l'organiste, le sonneur, le bedeau, le suisse; on peut ajouter à cette énumération le sacristain, les chantres, les enfants de chœur, le régisseur des chaises etc. Il est donc des employés de la fabrique, qui ne sont point des serviteurs de l'église, tels le surveillant des travaux, le régisseur des biens, le garde-bois et d'autres.

Les gages des serviteurs de l'église se composent d'un traitement fixe et du casuel (2), c'est-à-dire, de la part qui leur revient des oblations tarifées, perçues à l'occasion de services fondés ou non fondés. La quotité du traitement fixe dépend évidemment de l'importance du casuel et le montant de ces gages réunis se calcule d'après les exigences du service et selon la convenance et les besoins des lieux (3).

---

(1) Cf. S. Cyprianus, epist. 73, n. 9 et epist. 72, n. 1, ll. cc.

(2) Dans beaucoup d'églises le casuel constitue la partie principale des honoraires et le traitement fixe n'est plus qu'un supplément d'un import peu considérable. Ce système de paiement est évidemment discutable, parce qu'il donne trop facilement lieu à des abus.

(3) art. 37, § 1°, du décret de 1809.

1° Il rentre dans la compétence du conseil de fabrique de déterminer la rénumération fixe qui revient aux serviteurs d'église, par année, par trimestre ou par mois. Le bureau liquide ces allocations par l'intermédiaire du trésorier (1). Toutefois le conseil peut se borner à mettre à la disposition du bureau un crédit global pour la rénumération de chaque catégorie d'employés, par exemple, pour tous les chantres, en lui abandonnant la répartition de ce crédit aux intéressés (2). Cette répartition figurera en dépenses, aux budget et compte (n° 16-26), et recevra ainsi l'approbation du conseil. Il appartient également au conseil d'accorder des augmentations de traitement (3).

Ce traitement constitue une dépense obligatoire de la fabrique. La commune serait obligée d'y faire face, si la fabrique ne disposait pas de ressources ordinaires suffisantes. Au cas, où un conseil de fabrique refuse d'inscrire en comptabilité les crédits nécessaires à cette dépense, l'Évêque, à la sollicitation du curé, peut réclamer l'inscription d'office de ces allocations, s'il juge que l'église ne peut se passer des services de ces employés (4).

Il est admis par les auteurs (5) que les fabriques

(1) En pièces justificatives du compte seront annexés les mandats de paiement dûment quittancés par les intéressés. Il y sera fait mention du montant du traitement par année, par trimestre ou par mois. Lorsque les fonctions de sacristain, d'organiste-chantre sont exercées par une même personne, le traitement collectif sera mentionné au n° 16 des budget et compte, en indiquant, dans la colonne d'observations, les diverses fonctions cumulées. *Circ. minist.* du 15 mai 1885, v. STANDAERT, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 239, Gand, 1910. V. *Collat. Brug.*, t. I, p. 84 ss.

(2) DE CORSWAREM, *De l'administration des fabriques d'églises*, n° 493, p. 470, Hasselt, 1904.

(3) A l'appui du budget, sera jointe la délibération motivée qui aura été prise en vue de l'augmentation. *Circ. minist.* citée, v. STANDAERT, *o. et l. c.*; DE BRABANDERE-VAN COILLIE. *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, p. 544.

(4) LECLER dans les *Collattiones Namurcen.*, 1905-1906, t. V, p. 273.

(5) DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 1067; DELCOUR, dans la

n'ont pas la faculté d'allouer aux serviteurs d'église, âgés ou malades, des *pensions de retraite*, parce que, dit-on, aucun texte législatif ou réglementaire ne les y autorise et qu'il s'agirait de pures libéralités sortant entièrement des attributions légales des fabriques. Ces arguments ne semblent pas décisifs (1), lorsqu'on considère que l'énumération des dépenses nécessaires ou facultatives des fabriques n'est pas limitative, et que fréquemment l'octroi d'une pension importerait grandement au service de l'église et à la dignité du culte et rentrerait ainsi dans la capacité légale des fabriques. Il leur serait ainsi possible de pourvoir équitablement au remplacement des sacristain, chantres, organistes, incapables par suite de leurs infirmités ou de leur grand âge de remplir convenablement leurs fonctions (2). Quoiqu'il en soit, la constitution d'une caisse obligatoire de pension pour tous employés d'église — comme il en fonctionne déjà en certaines paroisses — serait d'une incontestable utilité. Nous croyons que la fabrique pourrait comprendre dans le traitement complet des serviteurs de l'église des allocations consenties par elle en faveur de ces institutions de prévoyance.

2° Quant au *casuel* des employés d'église, la part qui leur revient dans les frais des inhumations, des cérémonies et services *non fondés* est déterminée par le tarif diocésain ou paroissial et par l'usage des lieux. La perception de ces droits casuels proprement dits ne rentre pas dans les attributions de la fabrique. Conséquemment, ces sommes ne doivent pas figurer en

Revue catholique, 1854, t. XII, p. 632; LECLER, *l. et o. c.*, p. 275; DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 470, n° 494; LEROY, *Instructions pratiques sur la comptabilité des fabriques d'églises*, p. 52 s., Tournai, 1883; MOULART, *Des fabriques d'églises*, ed. 9, p. 455, Louvain, 1899; STANDAERT, *o. c.*, p. 122.

(1) On ne cite aucun document de jurisprudence, intervenu en cette matière.

(2) Actuellement certaines fabriques conservent parfois à des employés démissionnaires une partie de leur traitement, partie défalquée des gages de leur successeur.

comptabilité. Leur recouvrement ne peut être poursuivi en justice par la fabrique, envers laquelle de leur côté, les employés d'église n'ont aucune action (1). En vertu d'un accord tacite, le curé, comme représentant de ses subordonnés, a qualité pour réclamer devant les tribunaux les émoluments revenant aux employés de l'église (2).

Les honoraires à payer aux serviteurs d'église, du chef de services religieux *fondés,* doivent être fixés conformément aux tarifs diocésains de 1879-1880, considérés comme maximum.

En comptabilité en peut réunir en un seul article (3), en regard du n° 43, les sommes dues au clergé et aux employés d'église, pour tous les services religieux, quels qu'ils soient, dont sont grevés les biens des fabriques (4), sauf à justifier ce poste, à l'aide du tableau n° 4, dont le modèle a été donné par l'instruction ministérielle du 15 mai 1885 (5).

V

Q. *A qui appartient la nomination du sacristain laïque?*

R. Certains auteurs (6) attribuent au bureau des marguilliers le droit de nommer le sacristain laïque, sur la proposition du curé. Ils invoquent en faveur de

(1) *Collat. Brug.*, t. I, p. 431 ss.; jugements du trib. de Liége, 11 mars 1891 et de Bruxelles, 17 avril 1895, *ibid.*, p. 138 ss.

(2) *Collat. Brug.*, t. I, p. 433; jugem. cité du trib. de Bruxelles, *ibid.*, p. 139 ss.

(3) V. DE CORSWAREM, *o. c.*, p. 545. n° 612; MOULART, *o. c.*, p. 566, 581.

(4) Services fondés ou institués par donations ou legs.

(5) V. STANDAERT, *o. c.*, p. 241; DIJON, *Administration et comptabilité des fabriques d'églises*, appendice, modèle 7, p. 134 s., Huy, 1899.

(6) V. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 1048 où ces auteurs sont cités. VERSLUYSEN, *Handboek der kerkfabrieken*, Louvain, 1877, p. 31, est du même avis; PROMPSAULT, *Dictionnaire raisonné de droit et de jurisprudence civile-ecclésiastique*, Paris, 1850, enseigne formellement le contraire, v° Clercs laïques. Le *Mémorial belge*, 1859, t. III, col. 11 expose les différentes opinions sans adhérer à aucune d'elles.

cette opinion: 1° l'article 33 du décret de 1809, qui, sans mentionner explicitement le clerc, le comprend dans l'expression plus générale « ou autres serviteurs d'églises »; 2° un arrêté royal du 22 décembre 1819 (1), dont la légalité a été reconnue par de nombreux juristes (2) et par un arrêt de la Cour de Liége, du 25 novembre 1886 (3). L'ordonnance française du 12 janvier 1825 (4) s'est ralliée au moins partiellement à cette même doctrine, en déclarant, en son article 7, que le sacristain ainsi que les autres employés d'église sont nommés par le bureau sur la présentation du curé dans les paroisses urbaines, et par le curé seul dans les paroisses rurales; 3° les fonctions laïques de cet employé ou du moins sa qualité de préposé à la garde du mobilier de la sacristie et de l'église, mobilier fourni et entretenu par la fabrique, envers laquelle le sacristain est responsable.

Mais la plupart des auteurs (5) soutiennent avec raison que la nomination du sacristain appartient exclusivement à l'autorité ecclésiastique. A preuve:

1° *L'ancien droit.* Le droit ecclésiastique et le droit civil ont toujours considéré le sacristain (coûtre, clerc laïque, clerc des sacrements) comme chargé de fonctions ecclésiastiques. Celui qui en remplissait la charge était assimilé aux ministres du culte; il devait présenter les mêmes qualités qu'eux; il avait droit aux mêmes

(1) Bon, *Législation des paroisses*, p. 186, Bruxelles, 1841.

(2) V. Le *Mémorial belge, l. c.*; Delcour, *Traité de l'administration des fabriques d'églises*, p. 112, Louvain, 1846; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*

(3) *Pasicrisie*, 1887, II, 72.

(4) de Champeaux, *Recueil général de droit civil-ecclésiastique français*, t. II, p. 497, Paris, s. d.

(5) Prompsault, *o. et l. c.*; Delcour, *o. et l. c.*, de Corswarem, *o. c.*, n° 488, p. 464 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, et les auteurs qui y sont cités; Lucas, dans la *Revue ecclésiastique de Liége*, 1905-1906, t. I, p. 68 ss., 336 ss.; Lecler dans les *Collat. Namurcen.* 1905-1906, t. V, p. 268 ss.; Standaert, *o. c.*, p. 106 etc.

privilèges. Aussi sa nomination revenait, de droit commun et particulier, au curé (1). Si les marguilliers intervenaient, en certaines paroisses et en ordre subsidiaire, dans la nomination du sacristain, ce n'était nullement en raison de ses fonctions ecclésiastiques ; mais parce qu'il cumulait les fonctions de clerc *des sacrements* avec celles de clerc ou de sacristain *de l'œuvre* (2). Le clerc de l'œuvre, agent comptable et salarié, était choisi par l'assemblée générale des paroissiens. Ses fonctions, qui ont passé principalement au bureau de la fabrique, consistaient a tenir le registre de toutes les messes célébrées, à payer les honoraires, à conserver et à entretenir le mobilier de la sacristie et le trésor de l'église (3). Aujourd'hui que le sacristain ne peut plus être considéré comme l'employé responsable de la fabrique et n'a plus que des fonctions ecclésiastiques, le bureau est sans titre pour intervenir dans la nomination ou la présentation de ce subordonné du curé (4).

2° *Le décret de 1809.* Il n'est pas sans utilité de consulter les travaux préparatoires du décret. Dans les préliminaires et considérants de son projet, la Section de l'Intérieur du Conseil d'État donne une excellente idée de l'ancien droit, dont elle s'inspire :

(1) V. Thomassin, *Vetus et nova ecclesiæ disciplina*, P. I, l. 2, c. 103, n° 11 ss.; P. II, l. 3, c. 70, n° 8; Van Espen, *Jus ecclesiasticum universum*, P. I, tit. IV, de custodibus Ecclesiarum parochialium; Sohet, *Instituts de droit*, L. I, tit. XXV, n° 6 et Jousse, *Du gouvernement des paroisses*, t. I, 9, 100, 147, cités par Lecler, *o. c.*, p. 270 note 1 ; Ferrière, *Dictionnaire de Droit*, v° marguillier, cité par Deltour, *o. c.*, p. 114 ; Prompsault, *o. c.*, v° clercs laïques.

(2) La confusion entre le clerc de l'œuvre et le clerc des Sacrements a été cause de plusieurs erreurs et a fait ranger plusieurs auteurs parmi ceux qui reconnaissent au bureau le droit de nommer le sacristain.

(3) V. le règlement de la fabrique de Saint-Jean en Grève dans le *Dictionnaire de droit canonique* de Durand. de Maillane, v° Fabrique ; Couly, *Les fabriques avant la Révolution française*, p. 140, Paris, 1911 ; Deltour, *l. c.*

(4) Carré, *Traité du gouvernement des paroisses*, p. 49, Paris, 1833; Lecler, *o. c.*, p. 272, note 3.

« Le *clerc de l'œuvre* était choisi par l'assemblée générale et le *sacristain* par le curé. Les enfants de chœur, leur maître, l'organiste, les bedeaux, les suisses et *les autres serviteurs de l'église* étaient nommés par les marguilliers » (1). Suit le projet de décret de cette commission, qui porte à son art. 33 (2) : « L'organiste, les sonneurs, les bedeaux, suisses et *autres serviteurs d'église* seront pareillement nommés par les marguilliers... », et à l'art. 36 (3) : « Le curé..... désignera également le sacristain-prêtre, le chantre et les enfants de chœur. » En juillet 1809, le ministre des cultes présenta un second projet, dont l'art. 34 reproduit exactement l'énumération de l'art. 33 du projet de la Section de l'Intérieur, et dont l'art. 32 substitue le mot *sacristain* au mot *sacristain-prêtre* de l'art. 36 du premier projet (4). Les évêques consultés ne présentèrent aucune observation relativement à ces dispositions (5). Les articles 36 et 32 des deux projets sont devenus l'art. 30 § 2 du texte définitif : « Dans les paroisses où il en sera établi, [le curé] désignera le sacristain-prêtre et les enfants de chœur » ; les articles 33 et 34 des projets sont devenus l'art. 33 du décret de 1809, où la même énumération des serviteurs de l'église est reprise, avec l'ajoute « sur la proposition du curé ».

Il suit de là que le sacristain ne fut jamais compris ni explicitement, ni impliciment dans les termes de l'article 33 ; que, peut-être, les rédacteurs du décret n'ont pas envisagé la question de la nomination d'un

(1) *Le Mémorial belge*, 1870, t. XIV, col. 349.

(2) *Ibid.*, col. 387.

(3) L'art. 35 affirme le principe que le curé règlera seul tout ce qui concerne le spirituel et le service divin. Cet art. est devenu l'art. 29 du projet définitif.

(4) *Le Mémorial belge*, l. c., col. 562 s.

(5) L'évêque de Gand, Mgr de Broglie protesta contre les articles 31, 32, 33 du décret de 1809. V. *Recueil des mandements... publiés par Maurice de Broglie*, p. 137, note, Gand, 1843.

sacristain laïque, cas où il faudrait s'en rapporter à l'ancien droit; ou que, plus probablement, s'inspirant de l'ancienne discipline, et affirmant le principe de la compétence exclusive de l'autorité ecclésiastique en matière de culte, ils ont entendu désigner par les mots sacristain-prêtre, non pas le clerc ou le sacristain de l'œuvre, mais le clerc des sacrements, prêtre ou son substitué, le *clerc laïque,* attaché à l'administration des sacrements et au service du culte, sous les ordres du curé. Pris dans cette acception, le sacristain ne peut être rangé parmi ces serviteurs de l'église qui, conformément à l'article 33, sont à la nomination du bureau; et, comme l'a déclaré une décision ministérielle française, du 13 octobre 1812 (1), non abrogée par l'ordonnance du 12 janvier 1825, cet officier d'église se trouve compris dans les termes de l'article 30 du décret, et sous la dépendance immédiate du curé, comme les enfants de chœur.

3° *La Constitution belge.* En vertu du principe constitutionnel de l'incompétence du pouvoir civil en matière religieuse, le bureau des marguilliers ne peut plus intervenir dans la nomination et la révocation du sacristain, dont les fonctions sont ecclésiastiques, comme il ne peut plus intervenir dans la désignation des prédicateurs. Vis-à-vis de l'un, comme vis-à-vis des autres, il n'a plus que le devoir de les payer. C'est ce qu'a reconnu le ministre de la Justice par une décision, en date du 14 août 1833. Une réclamation lui fut adressée contre une nomination de sacristain, faite par l'Évêque de Tournai. En réponse le ministre reconnut « que les principes, consacrés par les articles 14 et 16 de la Constitution, s'opposent à ce que le Gouvernement s'immixe dans cette affaire » (2).

---

(1) V. DE CHAMPEAUX, *o. c.*, t. II, p. 403, note 3; PROMPSAULT, *o. c.*, v° Clercs laïques; DELTOUR, *o. c.*, p. 114.

(2) V. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. c.*, n° 1048; les divers docu-

4° *Une pratique séculaire* qui se rattache directement à la tradition juridique confirme enfin le droit de l'autorité religieuse. La plupart des Évêques se sont réservés la nomination du clerc laïque (1). Dans le diocèse de Malines, le bureau des marguilliers propose un candidat à l'Évêque sur la présentation du curé (2). Nous croyons, avec Mr le chanoine Lecler (3), que le bureau n'a aucun droit strict de présentation. On peut voir dans cette pratique un vestige de l'ancienne discipline, en vertu de laquelle le clerc des sacrements était également agent comptable de la fabrique (4).

Ainsi se fit-il que l'arrêté royal du 22 décembre 1819 resta sans exécution. L'Archevêque de Malines, par lettre du 6 janvier 1820 s'adressa au roi Guillaume pour lui représenter que cette mesure était contraire à la pratique admise dans son diocèse, où les règlements épiscopaux, antérieurs au décret de 1809, attribuaient la nomination du sacristain à l'Évêque (5). Au reste la légalité de cet arrêté est sérieusement contestable. On peut d'abord douter du caractère réglementaire de l'article 33 du décret de 1809, en tant qu'il pourrait s'appliquer à la nomination du sacristain. Sous l'ancien droit, en effet, plusieurs actes législatifs, civils et ecclésiastiques, se rapportent à ces fonctions. Ensuite cet arrêté royal n'a pas été dûment promulgué, attendu qu'il n'a pas été inséré au Journal officiel, comme l'exi-

---

ments relatifs à cette affaire sont communiqués par Lauwers dans le *Mémorial belge*, 1859, t. III, col. 557-564 et dans son *Code de droit civil-ecclésiastique*, p. 227 ss., Bruges, 1859; Lecler, *o. c.*, p. 227 ss.; Lucas, *o. c.*, p. 71 ss.

(1) Lecler, *o. c.*, p. 272. Pour le diocèse de Bruges on trouvera dans la *Collectio epistolarum pastoralium*, t. IV, p. 132-169, la formule de nomination, les cérémonies de l'installation et les devoirs des sacristains.

(2) *Statuta Mechliniensia*, 1889, n° 136 et Append. p. 227 v. Lecler, *o. et l. cit.*

(3) *O. et l. c.*

(4) Cf. Van Espen, *o. et l. c.*, c. I, n° 4; c. III, n° 2.

(5) Delcour, *o. c.*, p. 112 s.; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*

geait l'article 139 de la loi fondamentale de 1815 (1). Enfin, quoiqu'il en soit, il a été abrogé par la Constitution belge de 1830.

Nous concluons donc : L'Évêque nomme le clerc laïque et les motifs les plus pressants exigent que cette pratique reste en vigueur (2).

A. De Meester.

VI

Q. *Cujus Sancti nomen pronuntiari debet ad litteram N., in oratione* A cunctis *occurrente in Missa et in suffragio recens reformati psalterii ?*

R. I. Hæc oratio una est ex sex diversis commemorationibus communibus seu *orationibus pro tempore assignatis* quæ in missis ritus non duplicis pro diversitate temporis liturgici dicendæ præscribuntur (Rub. Gen. Miss. IX) ut numerus orationum ternarius attingatur (3). Assignatur autem in specie pro tempore quod decurrit a Purificatione usque ad Dominicam Passionis et ab octava Pentecostes usque ad primam Dominicam Adventus (Rub. Gen. IX).

Legitur hæc oratio secundo loco inter « Orationes diversas » in fine Missalis, post Missas votivas. Finis ejus ac idea fundamentalis apparent tum ex inscriptione qua ibidem insignitur « ad poscenda suffragia Sanctorum » n° 2, tum ex textu qui sic sonat :

---

(1) De Corswarem, *o. c.*, n° 488, p. 464 s.; Lecler, *o. c.*, p. 272, note 1. Cette arrêté a toutefois été publié dans les *Mémoriaux administratifs* des Provinces et communiqué aux autorités que la chose intéresse. Mais cette promulgation était légalement insuffisante. V. Le *Mémorial belge*, 1859, t. III, col. 12 et note 1.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.* Voir sur la nomination du sacristain qui cumulerait une autre fonction, dont le titulaire doit être nommé par le bureau sur présentation du curé : Lucas, *o. c.*, p. 336 ss.; de Corswarem, *l. c.*, n° 488, p. 466.

(3) Cf. suprà p. 203; *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 251.

« A cunctis nos quæsumus Domine mentis et corporis defende periculis: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice *Maria*, cum beato *Joseph*, beatis Apostolis tuis *Petro* et *Paulo*, ATQUE BEATO N., et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate ».

Commemorationes communes in missa, ut olim monuimus, habent aliquam cum officio relationem: respondent nempe aliquatenus suffragiis Sanctorum seu commemorationibus communibus quæ generatim dicendæ sunt in officiis ritus non duplicis, et quarum scopus primarius est efflagitare suffragia seu intercessionem Sanctorum præcipuorum vel eorum qui cum ecclesia determinata habent specialem relationem. Unde mirum non est novam Psalterii reformationem, quæ intendit officium abbreviare et signanter quidem in partibus accessoriis (1), pro unico suffragio elegisse orationem *A cunctis* quæ jam in Missa adhibetur et ordinatur ad petenda præfatorum Sanctorum suffragia et pacem.

II. Ad hanc orationem in novo Psalterio additur rubrica: « In apposita mox Oratione, ad litteram N., exprimitur *nomen Sancti Titularis propriæ Ecclesiæ* ».

In qua rubrica jam non fit mentio de *Patrono*, sicut in antiquiori Breviarii rubrica, quæ dicebat: « De *Patrono* vel *Titulari Ecclesiæ* fiat commemoratio consueta ». Verum quidem est hæc verba non fuisse intelligenda de patrono *loci* vel Titulari *ecclesiæ*, sed locutionem fuisse minus distinctam qua significaretur ille Sanctus qui erat Titularis *ecclesiæ*, ut docte ostendit cl. Piacenza (2). Hæc verba tamen ansam præbuerant diversis opinionibus et dubitationibus quibus doctores et ipsa Congregatio jam plus semel occurrere conati sunt. Nunc autem nullum jam dubium est, de jure saltem communi, nomen Patroni loci h. e. oppidi, civitatis, diœceseos, regionis, non esse nominandum.

(1) Cf. suprà p. 63.
(2) *De officio divino*, p. 241 ss.

Regula igitur est exprimendum esse nomen illius Sancti qui est **Titularis ecclesiæ**, seu cui ecclesia aut oratorium in ritu consecrationis vel solemnis benedictionis dicatum fuit. Quodsi forte ecclesia in præfato ritu fuit dicata duobus Sanctis, uterque est Titularis æque principalis et eodem jure nominandus est.

III. Ast, si quæratur **cujusnam ecclesiæ** Titularis sit nominandus, distinguendum est inter missam et officium:

1/ In *missa,* tam in Oratione *A cunctis* quam in postcommunione ei respondente *Mundet et muniat,* exprimendum est nomen Titularis *ecclesiæ in qua celebratur*, ab omnibus sacerdotibus etiam extraneis qui ibidem sacrificium offerunt. Ob hanc præcise rationem debet nomen Titularis ecclesiæ publice exponi in sacristia. Et hoc valet non tantum de ecclesiis consecratis sed etiam de ecclesiis, et oratoriis sive publicis sive semipublicis quæ sunt benedicta solemniter h. e. juxta *Ritum benedicendi novam Ecclesiam* quem exhibet Rituale tit. VIII, 27. Ipse enim ritus includit assignationem Titularis alicujus. Nam petitur a Deo: « Ut hanc ecclesiam et altare ad honorem tuum et *nomen Sancti tui N.* purgare et benedicere digneris ».

Si autem aliquod oratorium semipublicum aut oratorium privatum (quod non potest solemniter benedici) est tantum benedictum benedictione loci vel domus novæ (in Rituali tit. VIII, c. 6 vel 7) non habet Titularem proprie dictum, et de jure communi, omittenda sunt verba *cum beato N.*

Attamen oratorium internum alicujus Seminarii vel instituti religiosi aut pii quod habet ecclesiam aut oratorium publicum vel semipublicum consecratum aut solemniter benedictum, censetur habere eumdem Titularem ac ipsa ecclesia aut oratorium principale. Quare et in illo oratorio interno nominandus est Titularis oratorii principalis (n. 3804, 8; 4025, 5; 4043, 8; 14 maii 1903).

2/ Non ita de *officio*. Si enim missæ celebratio regitur loco, officii recitatio sequitur personam et etiam privatim facta, licet sub dio aut imo in ecclesia extranea, aliquatenus censetur facta in ipsa ecclesia cui recitans est adscriptus ratione beneficii aut ministerii. Quare rubrica nova præcipit exprimendum esse « nomen Titularis *propriæ* ecclesiæ ». Qualiscumque igitur sit locus in quo officium persolvitur, semper idem nomen Titularis est pronuntiandum. Si tamen recitatio publice fiat in communi, v. g. in exercitiis spiritualibus, exprimatur nomen Titularis ecclesiæ in qua exercitia peraguntur (1). « Quod si quis nulli ecclesiæ sit adscriptus neque ratione beneficii neque ratione ministerii ex deputatione Ordinarii, bene exprimere potest nomen Titularis propriæ parœciæ » ait Piacenza (2).

IV. In hac materia, sicut et aliàs, servandum est principium liturgicum **ne fiat bis de eodem.** Quare :

1/ Si nomen Sancti qui est Titularis nominandus jam in oratione *A cunctis* sit expressum, v. g. Mariæ, Joseph, Petri, Pauli, omittenda est nominis repetitio ad litteram N. Quod idem valet si ecclesia propria esset dicata S. Familiæ (n. 3929, 2).

2/ Si autem in officio aut missa jam oratio aut commemoratio facta sit illius Sancti qui est Titularis, et oratio *A cunctis* sit dicenda, rursus omittenda sunt verba « *cum beato N.* ».

In hoc casu, nunquam quidem in officio, sed interdum in missa, orationi *A cunctis* substituenda erit alia commemoratio communis. In specie, si celebretur missa aut fiat commemoratio :

a/ B. Mariæ Virginis : loco orationis *A cunctis* dicatur de Spiritu Sancto (3) ;

b/ S. Joseph : omittatur ejus mentio in oratione *A cunctis* (n. 4000) ;

(1) Cf. Indult. 7 jul. 1864.
(2) *In Constitutionem « Divino afflatu commentarium »*, p. 95 (nota 57).
(3) Cf. *Collat. Brugen.*, t. V, p. 317.

c/ SS. Petri et Pauli : orationi *A cunctis* substituatur oratio de Beata *Concede nos* (Rubr. Gen. t. IX, n. 15) ;

d/ Titularis : vel omittatur ejus nomen ad litteram N., vel loco orationis *A cunctis* recitetur altera quæ pariter inscribitur in Missali « ad poscenda suffragia Sanctorum » n. I, et incipit *Concede quæsumus* (n. 2597, 3).

3/ In vigilia Omnium Sanctorum, si de ea fit officium aut commemoratio in officio semiduplici, penitus omittitur in officio suffragium, quod nunc est de omnibus Sanctis. Ita nuperrime declaravit S. R. Cong. recentissimo decreto 22 martii 1912, ad II, infra citando.

V. Tandem si ecclesia, cujus esset nominandus Titularis, sit dicata non Sancto sed alicui Personæ SS. Trinitatis vel mysterio divino, patet non esse exprimendum nomen aut designationem Tituli. Sed quæri potest utrum tunc non sit exprimendum nomen *Patroni loci?* De jure communi hoc certe non est faciendum. Verum hucusque commemoratio patroni loci in casu erat facienda in suffragiis, et nomen ejus pronuntiandum in oratione *A cunctis* in locis in quibus, sicut in diœcesi Brugensi hujusmodi vigebat consuetudo : ita ex decretis nn. 2814, 1 ; 23 nov. 1906 (1), coll. nn. 4043, 8.

Hanc dispositionem ex novi Psalterii rubrica mutatam esse jam notavimus, ita ut in suffragio et oratione *A cunctis* jam non sit quærendum de *Patrona loci* (2).

Quam sententiam authentice confirmat decretum S. R. C. diei 22 mart. 1912, quod statim, typis jam mandato responso nostro, accepimus :

« I. Quum in novis Rubricis unicum præscribatur suffragium de omnibus Sanctis in quo mentio fit de Sancto Ecclesiæ Titulari, quæritur quid faciendum in Ecclesiis habentibus pro Titulo aliquod Domini mysterium ?

Resp. « Ad I. Nihil in casu fiat de Titulo. »

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 230.

(2) Cf. suprà, p. 63 et *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses nouvelles prescriptions*, Bruges, Beyaert, p. 23, note 1.

Ex quo responso elucet nihil *de Titulo ecclesiæ* (per se patet) sed etiam nihil *de Patrono loci* esse faciendum. Nam quæstio non est posita utrum sit nominandus Titulus, sed absolute et generali modo: « *quid sit faciendum* ». Jamvero S. Congr. optime novit exceptionem de facienda commemoratione Patroni loci, ubi viget ejusmodi consuetudo, siquidem eam declaravit expressis verbis in decreto generali n. 4043, ad VIII. Si igitur voluisset hanc praxim servare, in præsenti decreto non minus quam in decreto n. 4043 debuisset de consuetudine expressam facere mentionem. Ceterum elucet Commissionem reformando Psalterio præpositam voluisse redire ad antiquam disciplinam cui, teste cl. Piacenza (1) « ignota prorsus erat commemoratio patroni loci ».

C. Callewaert.

(1) *Op. cit.*, p. 125.

S. Congregatio Rituum

I

STRIGONIEN (1).

Dubia.

Hodiernus Kalendarii Archidiœcesecos Strigonien. redactor, de consensu sui R^mi^ Archiepiscopi, sequentia dubia Sacræ Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum:

I. Rubrica, Tit. V, n. 3, juxta recentem Constitutionem *Divino afflatu,* colorem Dominicæ proprium retinendum jubet, etiam si Dominica infra aliquam Octavam occurrat. Quia vero Rubrica Generalis Missalis, Tit. XVIII, n. 4, colore viridi utendum esse præscribit ab Octava Pentecostes usque ad Adventum; quæritur utrum Dominica II post Pentecosten, nempe infra Octavam Ss^mi^ Corporis Christi, color viridis, an albus, usurpandus sit?

II. Quum anno proximo 1913 post Octavam Epiphaniæ immediate sequatur Dominica Septuagesimæ, quæritur utrum Festum Ss^mi^ Nominis Jesu transferri debeat, juxta recentem disciplinam, in diem immediate sequentem; vel potius, ad normam veteris privilegii memorato Festo concessi, in diem vigesimam octavam Januarii?

III. Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, quod pluribus locis sub ritu duplici majori concessum est, recensendum ne est inter Festa Domini, ita ut prævalcat Officio minoris Dominicæ post Epiphaniam recurrentis?

IV. Et quatenus *affirmative* ad præcedentem quæstionem, quid agendum de Festo Sanctæ Familiæ, quando Dominica tertia, juxta computum civilem, post Epiphaniam occurrit in Dominica Septuagesimæ aut Sexagesimæ?

(1) *Acta Apostol. Sedis,* 1912, p. 247.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam; et in Dominicis infra Octavas occurrentibus color Octavæ adhibendus est quando in ipsis Officium non de Psalterio sumitur, sed de Octava.

Ad II. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam (1).

Ad III. Affirmative (2).

Ad IV. Festum Sanctæ Familiæ ad instar simplicis redigendum est, quando occurrit in Dominica privilegiata (3).

Atque ita rescripsit, die 9 Martii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*
✠ Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

(1) Hoc sequitur dilucide ex novis rubricis tit. III, 3, ubi tribus tantum festis, scilicet Purificationis et Annuntiationis B. M. V., et Commemorationis solemnis S. Joseph servantur sua privilegia quoad translationem. Ex designatione expressa triplicis illius exceptionis sequitur, ut monuimus in opusculo *La Réforme du Bréviaire*, p. 56, nota, privilegia aliis festis olim concessa jam esse abrogata. Hoc diserte nunc statuitur pro festo SS. Nominis, quod juxta rubricam specialem Breviarii, in casu impedimenti, transferendum erat in diem 28 januarii tanquam in sedem propriam.

(2) Festum S. Familiæ jam antea communiter habebatur ut festum Domini (cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 195). Quare jam diximus (suprà p. 73 et *La Réforme du Bréviaire*, p. 33) illud festum non esse simplificandnm quando occurrit in Dominica minori.

(3) Hoc responsum est mera applicatio novarum rubricarum: Dominicæ enim majores II classis, quales sunt Septuagesimæ et Sexagesimæ « cedunt tantummodo festis duplicibus I classis » (tit. III, n. 1); aliunde sola festa « duplicia I et II classis quæ seu ab aliqua Dominica majori seu a nobiliore officio impediuntur transferenda sunt » (III, 3); « Festa duplicia majora cujusvis dignitatis... non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio » (III, 4). Jamvero festum S. Familiæ est tantummodo duplex majus. Supervacanea igitur erat hæc quæstio.

II

EGITANIEN (1).

Dubia.

Episcopus Egitaniensis Sacræ Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia subjecit; nimirum:

I. Utrum Decretum n. 3096 — quo declaratur die vigesima quinta Aprilis occurrente in Dominica, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, Missam cum cantu Rogationum, quando fit Processio, valere etiam pro adimplendo onere Missæ Parochialis — extendi possit ad Missam quæ cani permittitur de Festo Commemorationis solemnis SSmi Corporis Christi Dominica infra Octavam ejusdem, saltem ubi fit Processio?

II. An Decretum diei 11 Maii 1911 ad II — quo edicitur organum adhiberi posse, in casu neccessitatis, solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus in Officiis et Missis in quibus sonus organi prohibetur — semper valeat, sive adhibeatur cantus Gregorianus, sive polyphonicus?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicæ, respondendum censuit:

Ad I. Negative, nisi obtineatur indultum.

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 22 Martii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

III

DECRETUM (2).

Seu declaratio super novis Rubricis.

Novis dispositionibus a Sancta Sede evulgatis, ad S. Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt; nimirum:

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1912, p. 274.
(2) *Acta Apostol. Sedis*, 1912, p. 274.

I. Quum in novis Rubricis unicum præscribatur Suffragium de Omnibus Sanctis in quo mentio fit de Sancto Ecclesiæ Titulari, quæritur quid faciendum in Ecclesiis habentibus pro Titulo aliquod Domini Mysterium?

II. An Suffragium de omnibus Sanctis locum habeat in Vigilia Omnium Sanctorum, quando de ea fit Officium aut Commemoratio in Officio semiduplici?

III. An versiculus *Oremus et pro Antistite nostro N.* cum suo responsorio, nuperrime inter Preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab Episcopis Titularibus cum pronunciatione nominis Episcopi Diœcesani?

IV. Num idem versiculus dicendus sit a Missionariis cum pronunciatione nominis Vicarii Apostolici, aut Præfecti, aut Prælati?

V. Quum in Feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis, in quibus occurrat Officium ritus duplicis majoris seu minoris aut semiduplicis, Missæ privatæ dici possint, ex dispositione novarum Rubricarum, vel de Festo cum commemoratione Feriæ aut Vigiliæ, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi; quæritur an in hac Missa de Feria aut Vigilia adjungenda sit tertia Oratio pro diversitate temporis?

VI. Quæ Præfatio usurpanda est in Duplicibus II classis Præfationem propriam non habentibus, quando occurrunt in Dominica minori et simul in die Octava alicujus Festi Domini, aut B. M. V., aut Apostolorum?

VII. Quando Officium Dominicæ II post Epiphaniam, ad normam Decreti dici 2 Martii currentis anni, anticipatur die decima sexta Januarii, occurrente etiam die infra aliquam Octavam, hujus Octavæ Commemoratio fierine debet in Officio ejusdem Dominicæ anticipatæ?

VIII. Et quatenus affirmative, adjungine debet Suffragium ad Laudes et Preces ad Primam?

IX. Quando Officium alicujus Dominicæ infra hebdomadam anticipatur, Psalmi feriales in Laudibus primo vel secundo loco sumendi sunt?

X. Utrum suppressa censenda sit facultas adjiciendi in Missa orationes usque ad septem in simplicibus et ferialibus per novas Rubricas, quæ collectas excludunt quando habetur quarta oratio?

XI. Utrum Collectæ, si fuerint duæ, ambæ adjiciendæ sint post tertiam præscriptam orationem; an una tantum?

XII. Quum quibusdam Diœcesibus, necnon Ordinibus aut Congregationibus Religiosis, Indultum a S. Sede concessum fuerit quædam Officia particularia semel aut pluries in mense aut in hebdomada, imo etiam singulis anni diebus, exceptis solemnioribus, celebrandi; ex. gr. SSmi Sacramenti, SSmi Cordis Jesu, B. M. V. Immaculatæ, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici minori aut majori, ita ut videantur non officia Votiva, sed quasi Festiva; quæritur an ista Officia comprehendantur inter Officia Votiva quæ a novis Rubricis (tit. VIII, num. 1) suppressa declarantur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicæ, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Nihil in casu fiat de Titulo (1).

Ad II. Negative (2).

Ad III. Episcopos Titulares non teneri.

Ad IV. Negative, nisi eadem nomina in Canone Missæ, ex Apostolico Indulto, pronuntientur (3).

Ad V. Si Officium ritus duplicis recitatum fuerit, negative; si vero ritus semiduplicis, affirmative.

Ad VI. Adhibeatur Præfatio quæ dicenda foret in Missa de Dominica (4).

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Negative (5).

Ad IX. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam (6).

---

(1) Vide suprà p. 340, V, s.

(2) Vide suprà p. 340, 3.

(3) Ratio est quia ut notavimus in opusculo nostro *La Réforme du Bréviaire*, p. 23, n. 3). Vicarius Apostolicus, aut Præfectus, aut Prælatus non est, ut vult Rubrica, « diœcesanus Episcopus », etiamsi forte Vicarius Apostolicus alicujus regionis esset Episcopus Titularis alterius Sedis episcopalis. Cf. P. Piacenza, *In Constitutionem « Divino afflatu »*, p. 122 ss.

(4) Qua de re cf. rubricas novas tit. X, n. 4; decr. 30 dec. 1911, ad II (suprà, p. 219); et 9 febr. 1912, ad III (suprà, p. 290).

(5) Suffragium enim et preces ad Primam omittuntur infra octavas.

(6) Ratio responsi patet ex iis quæ scripsimus de ratione et natura duplicis schematis Laudum, suprà p. 134 s. et *La Réforme du Bréviaire*, p. 52-53

Ad X. Negative (1).

Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam (2).

Ad XII. Affirmative (3).

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 22 Martii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

Adnotandum. In præcedentibus fasciculis (suprà p. 204 ss., et 276, et 292), proposuimus sententiam in missis de feria aut vigilia cum commemoratione duplicis simplificati addendam esse tertiam orationem seu commemorationem communem. Quamvis hæc sententia, quam nuper ad praxim vidimus deductam a doct. *P. Piacenza* in recenti opere *Guida pratica per la recita del divino officio* (Roma, 1912), ut legitima *præcedentium* textuum interpretatio theoretice nobis non videatur deserenda, post præsentem authenticam declarationem omnis vis practica ei adimitur, et absque dubio oratio tertia seu communis est omittenda quando officium commemoratum est duplex. Eo ipso etiam prohibetur addere proprio marte orationem pro defunctis. Ita vitatur, quod quidam timebant, ne scilicet dictæ missæ de feria, multiplicatis orationibus, evaderent longiores. Videtur igitur dicendum influxum duplicis commemorati nunc regula generali sese exercere in *omni missa*, non autem in omni officio, sed tantum in *officio dominicali,* ut patet ex decr. 24 febr. 1912 (suprà p. 291 ss.).

(1) Prohibitio enim facta in novis rubricis tit. XI respicit tantum collectas *ab Ordinario imperatas*; numerus autem septenarius obtineri potest orationibus votivis stricte dictis quas celebrans *proprio voto* adjungere potest in missis simplicibus et ferialibus: sunt ergo res omnino diversæ.

(2) Potest igitur Ordinarius imperare duas collectas etiam diebus ritus non duplicis.

(3) Hanc solutionem jam dedimus suprà p. 63 et *La réforme*, p. 23.

Si autem officium commemoratum sit semiduplex certe omitti non potest tertia oratio, quia ritus semiduplex semper requirit tres orationes (cf. suprà p. 203, l.). Sed ulterius ritus semiduplex per se non permittit ut celebrans proprio marte addat orationes votivas usque ad numerum quinque vel septem. Quare inspecto præsenti responso, dicendum videtur in dictis missis de feria aut vigilia, in quibus commemoratur officium *semiduplex,* adjungi non posse orationem aliquam stricte votivam.

Hæc conclusio non tantum logice cohæret cum regula de influxu duplicis, sed sequitur ex diserta declaratione decr. S. R. C. *Ordinis Fratrum Minorum,* diei 12 maii 1905, ad III (1).

Ergo oratio pro defunctis, de qua in tit. X, 5, addi tantum poterit in missis de feria de quibus agitur, iis diebus quibus officium est ritus simplicis.

C. Callewaert.

(1) III. « An in missa votiva, in qua commemoratur semiduplex eo die integrum officium ac Missam obtinens, possint post tertiam et Collectas aliæ pro celebrantis lubito adjungi orationes intra septenarium numerum; in iisque aliqua etiam pro defunctis oratio valeat recitari, prout in diebus ritus simplicis seu ferialis conceditur? » « Ad III. Negative, ad mentem decretorum 1322 ad VIII, et 3832 ad VIII. »

NOTA APOLOGETICA

Non raro opera scientifica, sive theologica, sive apologetica, sive mere historica, a Catholicis conscripta, despiciuntur a Rationalistis et Modernistis qui illis operibus omnem valorem scientificum denegant, prætendentes catholicos, quia *credunt* veritates a Deo revelatas vel ab Ecclesia catholica definitas, ideo non jam esse capaces examinis, ut aiunt, *objectivi* quæstionum, et judicii æqui ac recti.

Hæc est **objectio**: Qui credit veritates, hac fide ligatus jam non potest æquabiliter (avec impartialité) illas veritates investigare et de illis judicium ferre (1); atqui omnis catholicus credit multas veritates religiosas; ergo illas investigare et de illis æquum judicium ferre nequit.

Objectioni respondetur, *negando antecedens.*

1. Assensus certus in *unam veritatem* non potest esse impedimento ad inquisitionem vel cognitionem *alterius veritatis:* quia verum non opponitur vero. Et sane, qui uni veritati adhæret, etiam fide, non ideo impeditur in investigandis aliis veritatibus: non enim prædicto assensu impeditur quominus de aliis cogitet, quominus rationem vel essentiam rerum distincte inquirat, quominus rite ratiocinetur et etiam dijudicet rectitudinem ac valorem demonstrativum argumentorum ab aliis propositorum, quominus evidentia intrinseca alicujus propositionis physice determinetur ad assensum, quominus, sana methodo in Logicæ regulis

(1) Hoc assertum in tota sua universalitate propugnat Loisy: « Pour apprécier avec... impartialité... la religion et les religions, il ne faut pas... être enfermé dans le point de vue étroit d'une religion particulière et exclusive. Si l'on admet qu'une religion possède et qu'elle possède seule le privilège d'être dans l'énoncé de sa croyance et dans son institution, l'expression parfaite, définitive et infaillible de l'idéal religieux, les autres religions, dont il n'est pas une qui n'ait aussi la prétention d'être la meilleure de toutes, se trouvent jugées avant examen et condamnées par le fait ». *Leçon d'ouverture du cours d'histoire des religions au Collège de France*, p. 16. Cit. a B. Gaudeau, in « *La foi catholique*, 1909, p. 310.

fundata utens, acute exerceat artem hermeneuticam et criticam. Uno verbo: assensus certus in unam veritatem nec naturam humanæ intellectus destruit, nec connaturales ejusdem operationes vitiat, nec naturale ejusdem acumen minuit.

Assensus autem fidei divinæ aut catholicæ est certo verus. Et notemus hunc non esse cæcum: nam hunc præcedit judicium credibilitatis quod, prout est naturaliter requisitum ad actum rationabilem, nititur demonstratione de facto revelationis et de infallibitate Dei revelantis ac Ecclesiæ definientis.

2. Præterea neque impedit *assensus certus in aliquam propositionem veram*, quin intellectus, *præscindens* ab hoc assensu, *ejusdem veritatis* inquirat rationes, vel etiam motiva *novi* de eadem re *assensus* investiget et percipiat.

Ita fidelis, etsi non possit objectum creditum in dubium *reale* vocare, potest tamen suæ fidei sibi reddere rationem, et si agatur de re naturali ratione cognoscibili, potest de ea, saltem præter assensum fidei (1), alium quoque assensum scientificum sibi procurare.

Igitur catholicus fide sua minime impeditur quominus omnes scientias acquirat, omnesque æquabiliter investiget quæstiones.

3. Obstat autem inquisitioni veritatis *falsus assensus*, præjudicata mente adhibitus in aliquid oppositum veritati inquirendæ.

Proinde incapaces sunt ferendi æquum judicium de re religiosa Rationalistæ, qui omne supernaturale vel ut incognoscibile habent vel negant, in specie omnia miracula, qui statuunt, ut axioma, omnem Dei supernaturalem interventum in rebus humanis esse rejiciendum et deinde, *secundum hoc postulatum, explicant* facta historice demonstrata (2).

Harnack v. gr. qui circa quæstiones secundarias de chronologia antiquorum librorum christianorum, de philologica interpretatione textuum, de stabiliendis quibusdam factis

(1) Dico: *saltem* præter assensum fidei, quia abstraho a quæstione utrum de eodem objecto possit in eodem intellectu esse et fidei et scientiæ assensus.

(2) Cf De Smedt, *Principes de critique historique*, Liége, 1883, p. 35 ss.; Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.*, t. IX, p. 361-365; Id., *Méditationes théologiques*, Bruges, 1910, t. II, p. 401 ss.

historicis permulta investigavit, et sæpissime æqua mente verum a falso discrevit, nihilominus, falsis imbutus præjudiciis (1), circa primarias quæstiones de origine religionis christianæ et de ejusdem essentia, de natura factorum quibus ipse Christus regnum suum hac in terra instituit ac stabilivit, de doctrina quam Christus prædicavit et mediis quæ ad salutem obtinendam tradidit, prorsus erravit: hic porro errorum complexus est maxima intellectus humani inordinatio, quæ, quamdiu remanet, incapacem reddit hominem cognoscendi multos eventus *sicuti sunt in se*, ac conficiendi de factis reliogiosis opus vere *historicum* aut *scientificum*, etiamsi nomen scientia latissimo sensu adhibeatur. « L'essence du christianisme obtenue... par M. Harnack est un Évangile *arbitrairement dépouillé* d'éléments qui l'intègrent dans sa *réalité historique*. Un spéculatif peut abstraire à son gré; l'historien ne le peut pas et force lui est de prendre l'Évangile tel qu'il le trouve à l'état natif, dût cet authentique Évangile contenir les prémisses d'une dogmatique de l'Incarnation, de la rédemption, de l'Église et des sacrements » (2).

Rationalismus igitur, quia importat adhæsionem ad falsum, est impedimentum cognoscendi verum; non ita fides

(1) Præjudicia sunt nominatim hæc: incognoscibile, imo impossibile est omne miraculum, omnisque supernaturalis interventus Dei in rebus humanis, (*Das Wesen des Christentums*, Leipzig, 1908, p. 16 ss.); omnis religio vel complexus actuum et affectuum, qui ad religionem pertinent, originem habent in naturali quadam hominis indigentia, perpetuæque evolutioni subjiciuntur, necnon subjectiva hominis experientia est solum criterium adhibendum in dignoscendo valorem religionis (*o. c.*, p. 92, 104); inde evangelia nostra, etiam synoptica, *quia* ut scopum habent excitare *fidem, ideo* non sunt libri historici (*o. c.*, p. 14 s.); id quod, ut historiam, narrant ac referunt, est jam transformatum ideis religiosis (*o. c.*, p. IX); critici est discernere id quod est factum historicum ab eo quod est quasi involucrum ejus: quod ad distinguendum non veras Logicæ regulas rectumque *ratiocinium* proponit Harnack, sed aliquam intuitionem in critici propria experientia fundatam (*o. c.*, p. 9). Inde opus citatum recte dijudicatur his verbis: « HARNACK'S *Wesen des Christentums* worin das Christentum fast ganz seines Inhaltes entleert wird, ist trotz der eleganten Darstellung und trotz mancher Zugeständnisse an die katholische Wahrheit, grossenteils eigentlich doch nur ein *Gewebe von Willkürlichkeiten und unbewiesen Behauptungen* ». KAIFER, *Eine Ausrede Harnack's*, in *Pastor Bonus*, t. XXII, an. 1909, p. 113.

(2) Mgr BATIFFOL, *L'enseignement de Jésus*, Paris, 1910, p. XXV.

catholica, quippe quæ est *ad verum* assensus, et relinquit intellectum liberum ab omni vinculo impediente validum exercitium operationum logicarum, quæ sunt propriæ naturæ ipsius; fides catholica nempe permittit ut intellectus rite ratiocinetur et ideo veras acquirat conclusiones.

Nostris præsertim diebus, cavendum est a subjectivismo practico eorum qui stricti ratiocinii vias fastidientes, in judicio de rebus ferendo sese duci sinunt subjectiva « impressione » potius quam ratione: quæ methodus vocatur « une critique impressioniste ». Licet in homine alicujus disciplinæ perito oriri possit suspicio et quasi divinatio alicujus veritatis, hæc tamen spontanea divinatio nunquam est per se argumentum veritatis, sed debet esse occasio ulterius inquirendi verum, secundum regulas rationis rite ratiocinantis (1).

Et sane humanus intellectus omnes suas cognitiones accipit *per abstractionem* a sensibus: inde processus naturalis quo homo acquirere potest intellectuales cognitiones est *discursus*, quo ab uno cognito per illationem ad aliud cognoscendum ducitur. Proinde præter adhæsionem ad pauca principia, quæ *axiomata* vocantur et quorum intrinseca evidentia immediate affulget statim ac ipsi termini intelliguntur, præter cognitionem de ipsius subjecti affectionibus quas *conscientia* percipimus et de factis externis quæ per *sensus externos* noscimus, præter ipsum judicium in quo *fides* formaliter consistit (2), omnia alia *judicia* hominis, ut debite fiant et valorem cognoscitivum habeant, debent per *discursum* probari (3); hic porro discursus non recte fit nisi *ratiocinio*, quod determinatis regulis subjicitur: hoc valet sive agatur de conclusione probabili, sive de conclusione certa. Inde homo est semper *physice* capax vitandi errorem: sufficit ut a quodam principio immediate evidenti per rectum discursum continuo procedat (4).

J. Van der Meersch.

---

(1) Qua de re utiliter leges Geny, *L'argumentation scolastique*, in *Études*, t. 130, p. 623; Louwerens, *De ware vrijheid van het menschelijk verstand*, in *Studiën*, t. 77 (1912), bl. 1, 130.

(2) Ante fidem rationaliter habitam requiritur discursus ut stabiliatur judicium credibilitatis.

(3) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 149, 169.

(4) De causis erroris, v. *o. c.*, n. 143.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Interpretare *Jac.* II, 1-9, investigando præsertim quinam intelligantur *dives* et *pauper* de quibus in v. 2; inde accuratius determina adjuncta in quibus lectores degere supponuntur (cfr. responsum ad quæstionem conferentiarum Martii, suprà p. 318 s.).

II

Solvatur hæc difficultas: Deus est infinite misericors; atqui infinitæ misericordiæ repugnat proprie dicta satisfactio: quippe quæ exigitur a justitia quæ repugnat misericordiæ; ergo mors Christi non fuit proprie dicta satisfactio.

III

Breviter contractam propone doctrinam Lutheri, Zwinglii ac Calvini circa præsentiam realem eucharisticam.

IV

Determina sensum definitionis Concilii Tridentini, Sess. XIII, can. 1: « in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri *vere*, *realiter* et *substantialiter* Corpus et Sanguinem... D. N. Jesu Christi ».

V

Racontez brièvement l'origine et les premiers développements de la réforme cistercienne.

VI

L'arrêté royal du 16 août 1824, est-il applicable aux travaux de décoration et d'embellissement des églises?

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communiebockje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 21 Maii 1912, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Cum omni tempore, tum hac nostra præprimis tempestate, Clero maxime proficua imoque necessaria sunt tria, quæ brevi sermone vobis exponere opportunum duximus.

Sunt autem hæc tria: primum, doctrinæ divinitus revelatæ constans sedulaque meditatio; secundum est unio intima ac indefectibilis cum Ecclesia, id est, cúm Episcopo et cum supremo imprimis Ecclesiæ Pastore; tertium, ex utraque, scilicet ex prædicta rerum divinarum meditatione et unione cum Ecclesia profluens, practica directio vitæ in finem omnimodæ sanctitatis, tum propriæ tum animarum curæ nostræ commissarum.

*
* *

Equidem, cum actio humana omnis prælucente ratione prodeat necesse est, nulla est perversio magis radicalis, magis exitiosa minusque sanabilis quam perversio mentis. Atqui, veritatis divinæ ignorantiam aut iniquam interpretationem atque apprehensionem haud rectam ad hanc mentium perversionem conducere cum experientia omnium sæculorum doceat, numquam forte id evidentius apparuit quam ævo nostro, quando vel sola modernismi pestis religioni, sed et profanæ scientiæ ac philosophiæ, ipsique sano rationis judicio communique hominum sensui ingentem cladem ac propemodum ruinam comminabatur.

Unde statim eluxit manifestior necessitas ut fideles omnes et præ cæteris Clerus instruantur penitius divinis documentis, inhæreantque solito firmius atque intimius docenti ac dirigenti Ecclesiæ.

Gloriatur præsens ævum, jure quidem merito, sagaci naturæ observatione, detectis naturæ legibus, miraque earumdem applicatione ad varios usus humanos; systema vero proprie scientificum ædificare nondum valuit, cum multa ad hoc requisita elementa adhuc lateant, tantummodo hypothesibus variis, aliis alias excipientibus ac sæpius invicem oppositis, nomine scientiæ imposito. Cumque sic admoniti de ignorantia ac rationis infirmitate, sibi a temeritate cavendum esse intelligere debuissent, plerique naturæ investigatores, spretis fidei certissimis documentis, et vel ipsis logicæ regulis neglectis, a propria sibi competente provincia transire præsumpserunt ad occultiora dijudicanda ac definienda de origine ac primordiis rerum, de ortu vitæ humanique generis, atque aliis de rebus propius ad religionem spectantibus; quo factum est ut, superbiæ ac temeritatis suæ meritissimas luentes pœnas, in multiplices sibique invicem contrarios errores dilapsi sint, quos rursum scientiæ nomine condecorare haud dubitarunt.

Similiter in aliis disciplinis, puta historicis ac criticis, moralibus ac socialibus, cum maximo studio ac perspicacitate pari plura investigaverint, quibus veri nominis scientiæ utiliter inservire potuissent, sæpe nimis, rei religiosæ terminos attingentes rursus deflexerunt ad sophismata inaniaque figmenta, etsi sese ab ipsa ratione nomen mutuari ac rationalistas vocitari gloriarentur.

Neque inter catholicos defuerunt qui, illorum vestigia plus æquo prementes, a vero aberrare et dogmata divina modernis placitis accommodare atque diminuere haud vererentur.

Hæc omnia mala et pericula veritati imminentia supremus Ecclesiæ Doctor propulsare firmo judicio sategit feliciter; cui, Deo sint laudes, plenissima animorum docilitate læti adhæsimus ad unum omnes.

*
* *

Itaque studium sacræ scientiæ divinæque veritatis meditatio, ut vere lumen indefectibile nobis præbeat, tum propriis

moribus dirigendis, tum populo docendo, regendo, defendendo qua verbis qua scriptis adversus errorum pericula, numquam sejungi potest a docilitate omnimoda erga legitimos Pastores, ab unione quam intima cum Ecclesia tum docente tum etiam dirigente. Huic enim commisit Christus non solum docendi, sed et regendi munus, authentice interpretando atque applicando doctrinam variis adjunctis, adjecto quoque consilio et præcepto.

Atque, hodierno tempore cum multiplex, subtilis ac insidiosus sit error, ita ut vel ipsi boni ac fideles homines, vario colore et prætextu seducti, nonnunquam a recto tramite aberrent, merito a judicio proprio tam in opinando quam in agendo diffidemus, toto animo illorum judicio adhærentes quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei. Exemplo sit monitum quod recens ad Clerum direximus de re scholari; quod quidem monitum suprema Ecclesiæ auctoritate probatum est.

Nunc jam, dum de unione cum legitimis Pastoribus agere pergimus, de alia re gravis momenti monere vos volumus, videlicet, de cogendis cœtibus seu conventibus sacerdotum, clericorum ac seminarii alumnorum, epheborumque collegiorum nostrorum.

Hic est catholicæ Ecclesiæ spiritus, hic sensus catholicus, ex ipsa natura divinaque constitutione Ecclesiæ promanans, ut ne episcopis quidem liceat, sine suspicione criminis schismatis, convenire ad deliberandum de rebus ad fidem et mores, disciplinamque populi, verbo ad religionem directe aut indirecte spectantibus, nisi juxta legitima statuta ordinationemque canonicam, aut convocante vel approbante summo Pontifice.

Similiter sacerdotibus et clericis nequaquam licet cœtus cogere aut in conventum congredi, deliberandi causa de hujusmodi rebus ad rem religiosam directe aut indirecte spectantibus, puta de re scholari aut sociali, de operibus ac institutis catholicis; id, inquam, non licet inconsulto ac non probante Episcopo; qui hac probatione neglecta hujusmodi cœtus convocant seu cogunt, qui iisdem assistunt, qui, sive sacerdos, sive vir religiosus absque missione et auctoritate legitime accepta, iis præsunt eosve dirigunt, omnes a sensu catholico, a spiritu Ecclesiæ aberrant.

Contra, sacerdotes e nostris melius sapientes spiritum Ecclesiæ, sæpius convenerunt legitime atque utiliter, puta directores operum socialium, variarum congregationum juvenum, similiumque operum, prævie approbante atque benedicente Episcopo.

Quod autem ephebos seu juniores collegiorum alumnos attinet, quamquam hi præsertim per ferias curæ potius atque auctoritati immediatæ parentum relinquuntur, nemo non intelligit illos ad deliberandum de supradictis aliisque rebus immaturos, nedum fructum aliquem salutarem ex hujusmodi congressibus percipiant, magis inde detrimentum pati studiorum, docilitatis, recti judicii, modestiæ in opinando atque agendo, qualia ipsos maximopere decent, aliudque multiplex incurrere damnum. Unde insipienter agunt, qui adolescentes in hujusmodi cœtus cogunt; neque enimvero finem reipsa bonum, Ecclesiæ proficuum, honori ac gloriæ Dei promovendis aptum sibi præstituere, aut saltem attingere valent, quicumque præter approbationem auctoritatemque ejusdem Ecclesiæ aliquid hujusmodi moliri attentaverint.

*
* *

Sed jam majora loquamur ascendamusque altius. Omne studium nostrum omnisque meditatio rerum divinarum, sub ductu docentis Ecclesiæ, dirigatur oportet, ut diximus, ad finem practicum, eumque duplicem: videlicet ut pares efficiamur docendi populum nobis commissum, eumque in hisce periculosis adjunctis defendendi adversus fidei catholicæ hostes; quod quidem nimis evidens est quam ut rei immoremur; deinde ut propriæ sanctificationi prospiciamus. Et hoc quoque manifestum sane est, Christi doctrinam fontem esse uberrimum sanctitudinis vitæ. Attamen quædam heic animadvertenda ducimus sedulo attendenda.

Scilicet, sæpius nec sine quodam animi dolore advertimus plerosque sacerdotes, eosque vere bonos, vix aliud quam superficiem divini thesauri revelati dogmatis attingere et quasi corticem tantummodo rodere, iisque libris uti qui pariter ideo — mira sane res — facile ac libenter a quibusdam leguntur, quod numquam medullam divinæ veritatis gustandam proferunt. Pariter, ubi de re magis immediate

practica, de applicanda doctrina divina agitur, eos libros adhibent asceticos dictos, qui vel minus solidi, vel saltem nunquam ultra communem omnibus fidelibus ad salutem necessariam exercitationem assurgunt.

Contra, rari nimium inveniuntur sacerdotes qui dogmata revelata penitius scrutari studeant, divinæque veritatis intimas sugere venas, uberrimas, vere fœcundantes animam ; quique ultra ascesim proprie dictam, scilicet affectuum seu passionum ordinatam directionem, assurgant altius ad vitam vere interiorem divinæ charitatis, adque vitam unionis contemplativæ. Utinam plures manibus terant insignia Sanctorum contemplativorum opera, præprimis nostri Beati Joannis Rusbrochii ! Utinam hanc, quam vere existimamus lacunam, in vita optimorum sacerdotum nostrorum expletam videre nobis Deus concedat !

Scimus quidem omnimodam integritatem puritatemque vitæ, cum perfecta animi summissione seu humilitate, scientiæ ac studio facile supplere, ut in animabus rectis ac simplicibus rudium sæpius contingit ; attamen in sacerdote, divinæ legis interprete, divini muneris docendi Ecclesiæ participe, haud facile illæ animi dispositiones occurrent quæ ad altiorem sanctitudinem conducunt, nisi suas ipse partes præstiterit scrutandi divinam legem, penitus meditandi dogma revelatum.

Atqui, sacerdos qua talis, ratione munium suorum divinorum, tenetur ad summam perfectionem vitæ, majorem quoque quam religiosus. Quidni ergo se accingat ad ascesim quidem severam, quæ usque necessaria est omnibus, quamdiu in mortali corpore vivimus, ulterius vero ad vitam interiorem perfectæ charitatis, indeque ad unionem intimam cum Deo in vita contemplativa.

Si iniqua sunt tempora, Rev. ac dilectissimi Domini, sanctificemus nosmetipsos ; nihil efficacius esse potest ad Dei honorem ac gloriam procurandam, non tantum in nobis ipsis, sed et in animabus curæ nostræ commissis et per universam Ecclesiam.

Neque enim veretur asserere S. Joannes a Cruce, mysticus Contemplator probatissimus : « le plus petit acte de pur amour [d'une âme contemplative] a plus de prix aux yeux de Dieu, il est plus profitable à l'Église et à l'âme elle-même,

que toutes les autres œuvres réunies (1). » Et paulo infra addit : « Que les hommes dévorés d'activité, qui se figurent pouvoir remuer le monde par leurs prédications et leurs autres œuvres extérieures, réfléchissent ici un instant ; ils comprendront sans peine, qu'ils seraient beaucoup plus utiles à l'Église, et plus agréables au Seigneur, sans parler du bon exemple qu'ils donneraient autour d'eux, s'ils consacraient la moitié de leur temps à l'oraison, alors qu'ils ne seraient pas aussi avancés que l'âme dont il s'agit ici. Dans ces conditions, ils feraient, par une seule œuvre, un plus grand bien et avec beaucoup moins de peine, qu'ils n'en font par mille autres, auxquelles ils dépensent leur vie. L'oraison leur mériterait cette grâce et leur obtiendrait les forces spirituelles dont ils ont besoin pour produire de tels fruits. Sans elle, tout se réduit à un grand fracas ;... on fait un peu plus que rien, souvent absolument rien, ou même du mal.... cār il est parfaitement certain qu'aucune bonne œuvre ne peut être accomplie sans la vertu de Dieu. »

Quum Rev^mus D^nus dicendi finem fecisset, auditis Ampl et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes :

I.

Quoties in supplica quam parochus ad Ordinarium dirigit, in ordine ad dispensationem matrimonialem a Sede Apostolica obtinendam, mentio fit copulæ carnalis cum prægnantia oratricis, si prævidetur prolem forte nasciturام ante dispensationis fulminationem, hoc sedulò indicetur, ut Ordinarius unà cum dispensatione prolis legitimationem postulet : a fortiori declarandum est quod proles jam sit nata.

II.

In quavis supplica ad obtinendam dispensationem matrimonialem indicetur *domicilium* seu locus habitationis *amborum* oratorum.

III.

In registris parochialibus singula folia sint numero suo ac signo manuali breviori parochi notata (cotés et paraphés).

(1) *Le Cantique spirituel*, strophe XXIX.

IV.

Cùm ad baptismum infantium generatim affertur libellus matrimonii parentum, exinceps in eodem libello sacerdos baptizans inscribat brevi formula testimonium baptismi a se collati; e. g. Ego infrascriptus baptizavi N... die mensis anni .

V.

Iterùm in memoriam revocamus Parochis minime licere de alienatione bonorum ecclesiarum, eorumve permutatione aut elocatione ultra triennium, agere cum auctoritate civili, quin prævie tota res ad Nos fuerit delata debitaque licentia fuerit obtenta. Cfr. decretum VIII Congr. Prosyn. an. 1896.

VI.

Dolentes percepimus exercitia spiritualia Cleri jam non cum eadem qua olim disciplinæ observantia, animi recollectione ac spirituali fervore peragi. Ideò præcipimus ut quotquot sacro secessui interesse cupiunt (et ut generatim omnes singulis annis intersint quàm vehementer optamus) a primo exercitio ad ultimum præsentes se sistant, nisi ob rationem ab exercitiorum Præside probatam excusentur. Volumus insuper ut nullus exercitantium, sine debita licentia quæ nonnisi ob necessitatis causam concedetur, e domo exercitiorum per diem exeat, ne ad Missam quidem celebrandam.

VII.

Attentos volumus RR. DD. Parochos ad præscripta litteris Nostris d. d. 3 Februarii 1912 sub XI innovata, speciatim quod attinet libros liturgicos cantùs editionis Vaticanæ emendos sumptibus Fabricæ.

Brugis, 29 Maii 1912.

† G.-J., Episc. Brugen.

Nota: Vi concessionis Pontificiæ d. d. 2 Julii 1911 jam non urget lex abstinentiæ in quovis festo de præcepto, in feriam VI incidente; proindeque hocce anno in festo Omnium Sanctorum non erit abstinendum a carnibus; quod tempore opportuno populo nuntietur.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. *Describe doctrinam S. Jacobi in epistola sua circa* justificationem, fidem *et* opera.

R. De *justificatione, fide* et *operibus* agit S. Jacobus præsertim in pericopa II, 12-26, in qua parte epistolæ suæ lectores suos, — quorum multi variis vitiosis consuetudinibus dediti, nec satis fidem suam christianam operibus exsecuti fuerint, — ad exercitium magis strenuum virtutum, majoremque fervorem adhortatur.

Doctrina autem quam hisce vv. exponit, sic compendiose exhiberi posse videtur: Ad hoc ut aliquando **justificemini**, i. e. ad hoc ut aliquando, in judicio ultimo, ut justi habeamini a Christo judice, et obtineatis sententiam bonam et mercedem æternam, — non sufficit quod, dum vivitis, **fidem** habeatis, id est assensu theoretico admittatis quascumque veritates religiosas vobis a Christo propositas, — sed simul **opera** requiruntur, id est requiritur ut fidem vestram operibus exsequamini, eamque externo modo manifestetis et probetis (1).

---

(1) Unde tota pericopa S. Jacobi est latior explicatio doctrinæ quam Christus docuerat: Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine (Non omnis qui credit in me, qui *fide* me agnoscit), intrabit in regnum cœlorum (*justus habebitur* in futuro judicio et salutem æternam consequetur), — sed qui facit voluntatem Patris mei (qui fidem suam *operibus* exsecutus fuerit) (Matt. VII, 21). Egregium opusculum circa hanc epistolam S. Jacobi, quoad interpretationem ipsius, et quoad applicationem quæ doctrinæ ipsius fieri potest adjunctis socialibus hodiernis, habes: H. Wilbers, *De brief van den Apostel Jacobus, uit het grieksch vertaald en verklaard,* Petrus Canisius vereeniging, Amsterdam, 1906. Cfr. Van

In hunc sensum interpretamur II, 24: Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?

Quæ compendiose indicata, sic latius evolvi simul et probari posse videntur.

1. Fides intelligitur *assensus theoreticus in veritates religiosas*.

Hic sensus aperte colligitur ex vv. 18-19. Hic enim inducit, per modum artificii litterarii, Judæum aliquem Christianos in hunc modum alloquentem: « Tu, Christiane, jactas te *fidem* habere, me autem opera tantum. Sed, quæso, ostende mihi illam *fidem* tuam, et quomodo ostendes, siquidem opera non habes?... Utique! *Tu credis quoniam unus est Deus;* et in hoc bene facis; sed quid hoc, quid hujusmodi fides tibi proderit ad salutem, siquidem *etiam dæmones credunt* et tamen non inde beati sunt, sed contra eo magis timent ».

Ex his manifestum est *fidem* poni pro actu intellectus quo quis adhæret alicui veritati religiosæ, pro actu hujusmodi qualis etiam dæmonibus, qui et ipsi v. g. existentiam et unicitatem Dei admittunt, possibilis est (1).

Hæc fides sane, in mente S. Jacobi, æqualiter se extendit

STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Comment. in epist. catholicas*, Brugis, 1911. — Inter protestantes: BEYSCHLAG, *Der Brief des Jacobus*, in *Kommentar über das N. T. von Meyer*. Göttingen, 1898.

(1) In hac comparatione S. Jacobus sane minime intendit attingere quæstionem num, re speculative inspecta, eodem modo resolvatur et ejusdem plane rationis sit *fides* qua *nos Christiani* adhæremus doctrinæ revelatæ, — et fides qua *dæmones* eidem revelationi adhærent. *Nostra* quidem fides libera est et formaliter præstatur *propter auctoritatem Dei* attestantis; *dæmonum* vero fides non eodem sensu libera est et præstatur *propter evidentiam in attestante*. (Cfr. quæ hac de re exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. XVI, pp. 46 ss., XIII, 201 ss., 258 ss., et in opusculo *Gelooven* (Geloofsonderricht, Brugge, Reeks A, n. 14); sed utraque fides convenit in hoc, quod S. Jacobo pro suo scopo sufficit, quod utraque est *assensus intellectus in aliquam veritatem religiosam:* hujusmodi assensus, mere speculativus, quem non comitantur opera, saluti nullatenus proficere potest.

ad *omnes* veritates religiosas quas Christiani admittere debent; nihilominus ut objectum illius præprimis cogitat Dominum nostrum Jesum Christum (II, 1) ad gloriam cœlestem exaltatum *(ibid.)* et regressurum ad judicandos homines juxta modum quo hic in terris legem evangelicam observant (II, 12 ss.) et ad tribuendam justis coronam quam hic merentur *(ibid.)*.

2. **Opera** intelliguntur quævis opera, a fide distincta, quibus fidelis fidem suam exsecutioni mandat; eamque externo modo manifestat et probat.

Dicimus: opera *quævis* (1); nihilominus, ut obvium erat fieri, S. Jacobus *quædam* opera determinata speciali modo in lucem ponit. Pro concretis enim adjunctis in quibus versari supponuntur lectores, insistit in variis vitiis quæ vitare debent, at potissimum in exercenda *charitate fraterna* et *misericordia* erga humiles et pauperiores. Ad exemplum Christi, divini sui Magistri (2), ita insistit in operibus misericordiæ ut exercitium eorumdem proponat quasi regulam, si non unicam, saltem præcipuam, juxta quam in ultimo judicio feretur sententia divini judicis: Judicium erit sine misericordia, proindeque condemnatio, pro illo qui dum viveret non fecit misericordiam; superexaltat autem misericordia judicium, *κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως*, i. e. misericordia, homo misericors, gloriatur adversus judicium, seu habet lætam persuasionem se illud superaturum (3).

3. **Justificatio** tandem, ad quam *fides* illa non sufficit, sed etiam *opera* requiruntur (II, 24) intelligi videtur ab Apostolo: Actus seu sententia divini judicis, Christi, in ultimo judicio agnoscentis et declarantis merita hominis ipsique attribuentis æternæ gloriæ coronam (4).

---

(1) Ita *operum* nomine venit oblatio Isaac ab Abraham patre suo (II, 21); similiter ea quæ præstitit Rahab meretrix in gratiam exploratorum et populi Israel (II, 25).

(2) Cfr. Matth. XXV, 31-46; Luc. XVI, 23-31.

(3) II, 13. Cfr. I, 27.

(4) Unde vox *justificari* hic sensum obtinet quem in variis aliis locis N. T. obtinet, puta Matth. XII, 36 s. « Dico vobis, — ait Christus — quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent

Hic sensus, ni fallimur, ex logico processu idearum apud S. Jacobum aperte colligitur.

a/ « Sic loquimini, — ita aiebat II, 12 —, et sic facite, sicut per legem libertatis *incipientes judicari* », i. e. in modo vestro loquendi et agendi, agatis modo conformi fidei vestræ : mox enim *judicabimini* a judice Christo, juxta modum quo legem evangelicam observaveritis. *Judicium* enim illud Christi, — sic pergit v. 13 —, vobis propitium aut adversum erit prout bene, et in specie misericorditer egeritis. « Quid proderit, — sane : coram judice vestro, in ultimo judicio, — quod fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides, — fides nempe seorsim ab operibus —, *salvare* eum », i. e. in judicio ultimo sententiam favorabilem ipsi obtinere?

b/ Et pergit, mentem suam explicando per comparationem (vv. 15 ss.) : « Si frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini, — opto vobis calorem, opto vobis cibos quibus saturemini — : non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori — calefaciendo aut nutriendo —, quid proderit? — Nullam sane utilitatem præstabit tua verbalis beneficentia illis indigentibus. — Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa » : — i. e., juxta omnia præcedentia, nullam vobis utilitatem præstare poterit, nullos *fructus salutis* vobis producere poterit.

c/ Eodem sensu intelligenda sunt verba quæ Apostolus reponit in ore Judæi cujusdam, per artificium litte-

rationem de eo *in die judicii*. Ex verbis enim tuis *justificaberis*, et ex verbis tuis *condemnaberis* » id est *declaraberis justus* et mercede dignus, vel injustus et pœna plectendus. Cfr. ejusdem vocis : *justificatio*, diversas significationes in Sacris Litteris, apud Van der Meersch, *Tract. de divina gratia*, n. 96. (Brugis, 1910).

Patet nos minime tribuere S. Jacobo sententiam protestantium, juxta quam homines qui justi dicuntur, de facto et interne justi non essent, sed *tantummodo, justitia imputativa, ut justi haberentur* a Deo. S. Jacobus enim opera requirit ut *justi simus* et inde ut justi agnosci valeamus.

rarium inducti et Christianos alloquentis (vv. 18 s.). Etenim, — postquam Judæus illè Christiano, fide quidem ornato, sed operibus destituto, objecerit: Quænam est hujusmodi fides operibus vacua? Numquid vere fidem habes? — ostendit ulterius inutilitatem hujusmodi fidei ad salutem: Sed etiam dæmones credunt, et tamen contremiscunt, nihilque proinde ipsis sua fides prodest. Similiter, et vobis Christianis vestra fides, cui opera desunt, nihil proderit ad salutem.

d/ Tandem cum significatione quam vocabulo *justificari* assignavimus, bene componi possunt ea quæ exponuntur vv. 20-25.

In his vv. sententiam suam de insufficientia solius fidei demonstrat duplici exemplo desumpto ex vetere Testamento. Ostendit nempe tum Abraham tum Rahab justificatos fuisse, non ex fide tantum, sed *ex fide operibus consummata* seu perfecta (v. 22).

α. *Exemplum Abrahæ.* Sane, ait S. Jacobus, legitur in S. Scriptura: « *Credidit* Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam » (Gen. XV, 6), et « amicus Dei » appellatus est (Isaias, XLI, 8; II Chron. XX, 7). Sed hæc fides Abrahæ minime fuit fides operibus vacua: Abraham enim justificatus est, *offerens* (1) *Isaac filium suum super altare.* Videtis, sic concludit Jacobus, quoniam fides cooperabatur operibus illius: et ex operibus fides consummata est?

Scil., videtis quoniam fides qua justificatus est Abraham non fuerit vacua, sed contra operibus completa, operosa?

β. *Exemplum Rahab.* Similiter, ait, Rahab justificata est, non tantum ex fide sua, qua credidit Deo Judæorum, propter prodigia quæ fecerat populo suo, sed fides ejus et ipsa fuit operibus perfecta: ipsa enim, periculo vitæ suæ, suscepit nuntios, exploratores Judæorum, in domo sua et simili periculo eos postea e domo sua dimisit.

(1) Græce: ἀνενέγκας, in aor, postquam obtulerat. Huic asserto S. Jacobi, juxta quod Abraham tunc justificatus est quum filium suum jam obtulisset, obstare videtur quod, juxta librum Gen. XV, 6, textus ille jam legitur de ipso *antequam* filium suum offerret. S. Jacobus vero sumit illa verba per modum prophetiæ: Tunc, quando obtulit filium suum, suppleta (ἐπληρώθη, *impleta*) *est Scriptura....*

Ex duplici hoc exemplo confirmat Jacobus suam sententiam : Sicut Abraham et Rahab justificati sunt, non propter fidem suam tantum, sed propter fidem operibus perfectam, sic etiam nec vos justi esse poteritis coram Deo si fidem tantum, non autem opera habeatis. « Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est », proindeque ad salutem vobis minime proderit (1).

A. VANDER HEEREN.

II

Q. Breviter indica et dijudica sententias, a S. Thomæ doctrina diversas, quas catholici theologi propugnant ad determinandum cur humana Christi natura non sit persona.

R. Suprà, p. 240 ss., exposuimus secundum S. Tho-

(1) Multi interpretes admittere nolunt mentem S. Jacobi in tota pericopa explicata esse tantum ut inculcet : Fides sola *ad salutem perducere* vos non poterit. Et arguunt præcise ex duplici exemplo, Abrahæ et Rahab, quod Apostolus adducit : hic enim, aiunt, agitur vere de *justitia interna acquirenda vel augenda.* — Sed 1°/ bene jam respondet WILBERS, *o. c.*, p. 68 : Si S. Jacobus ostendit *justitiam internam* obtineri aut servari non posse absque operibus, jam eo ipso ostendit etiam *salutem* absque operibus obtineri non posse, adeoque duplex exemplum merito adducitur. — Sed 2°/ num ita certum est S. Jacobum, ubi de Abraham et Rahab loquitur, intendisse de eorum *justitia interna* agere? Ita 3°/ ea quæ de *Rahab* narrantur in libro Josué (II et VI) nil habent de hac *interna* justificatione, sed exponunt Rahab, propter opera sua, nimirum propter auxilium quod præstitit populo Israel, evasisse cædem qua habitatores Jericho interfecti sunt, et tuto habitasse in medio populi Israel. Nonne intelligi potest textus Jacobi « *Rahab justificata est* » eo sensu quo directe concordet cum integra pericopa, nempe : propter fidem suam quam operibus exsecuta est, *digna habita* est quæ viveret, et *mercedem obtinuit,* — sicut vos, Christiani, propter fidem vestram operosam digni habebimini in judicio Dei, et mercedem obtinebitis, salutem nempe æternam. Similiter 4°/ *justificatio Abrahæ,* de qua loquitur S. Jacobus, nonne apud ipsum intelligitur *laus* quam propter opus suum obtinuit : *Amicus Dei* appellatus est, — et *merces* quæ ipsi hac occasione fuit promissa : « Quia fecisti hanc rem..., benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum..., et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ » (Gen XXII, 16 ss.)? Unde sensus S. Jacobi fieret : Propter fidem suam *operosam* Abraham a Deo *laudem* et *mercedem* obtinuit, — sicut vos, Christiani, propter fidem operosam, a Deo *bonam sententiam* et *mercedem,* utique æternam, obtinebitis.

mam humanæ Christi naturæ *aliquid reale deficere* quominus sit persona, hoc porro reale esse *proprium actum existendi* (1). Ut hæc doctrina clarius et penitius perspiciatur, exponemus alias theologorum sententias illi oppositas (2).

1. *Scotus* tenet *nihil reale* deesse humanitati Christi quominus hæc sit persona, nempe in humanitate Christi adesse omnia positiva quæ communiter in humanis personis sunt, omnia quæ spectant sive naturam, sive accidentia, sive notas individuantes, imo ipsam existentiam propriam; tenet autem ideo non personam esse humanitatem Christi quia hæc assumitur a Verbo et dependenter ab Ipso existit, aliis verbis quia de facto *communicatur* hæc humanitas Verbo. Hanc conclusionem ponit Scotus consequenter ad suam opinionem de ratione suppositi: tenet nempe nullam esse realem distinctionem inter naturam singularem et suppositum, sed naturam singularem constitui suppositum per *negationem* communicationis alteri aut assumptionis ab altero (3).

---

(1) Ut plenius perspiciatur S. Thomæ sententia, notemus ab illo doceri ipsum proprium actum existendi pertinere ad constitutionem personæ, ita ut si absit a substantia esse proprium, jam non sit simpliciter individua et proinde suppositum. Non tamen dicit S. Thomas *ipsum esse* seu *existentiam* esse ultimam formam vel quasi-formam suppositi, ita ut existentia ipsa sit formale constitutivum suppositi: et sane, anima humana, in hominibus, habet suum esse proprium, nec ideo est persona. Existentia propria est quidem requisita ad rationem suppositi, sed non sufficit; requiritur ulterius ut substantia sit completa, singularis et non communis pluribus. Cf. TERRIEN, *S. Thomæ Aq. doctrina sincera de unione hypostatica*, Parisiis, 1894, p. 73.

(2) Quoad expositionem et refutationem cf. CARD. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, 3ª ed. Roma, 1900, p. 77 ss.; JANSSENS, *De Deo-Homine*, P. I, Friburgi Br. 1901, p. 621 ss.; VAN NOORT, *De Deo Redemptore*, Amstelodami, 1904, n. 54 ss.; VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato*, Gandavi, 1909, p. 57 ss.; MANZONI, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, t. III, Augustæ Taurinorum, 1911, n. 85, 103 ss.

(3) Cf. SCOTUS, in III, dist. 1, q. 1, nº 3 ss.; P. RAYMOND, ap. VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique*, vº *Duns Scot*, c. 1888 s.; GARCIA, *Lexicon scholasticum*, Ad Claras Aquas, 1910, p. 487 s.

Hanc sententiam non admittimus quia, ut videtur, non nisi verbotenus retinet unionem hypostaticam et unicitatem personæ in Christo: etenim si suppositum in semetipso nihil reale importat præter substantiam completam singularem, tunc realiter idem est hæc substantia et suppositum, consequenter omnis substantia completa singularis habet omne quod ad rationem suppositi pertinet, ergo est realiter suppositum; ergo et ipsa Christi humanitas est suppositum ac persona (1).

A sententia Scoti non differt, quoad rem, sententia Tiphani quam propugnat etiam Jungmann (2).

2. *Cajetanus* admittit quidem in creatis realem esse distinctionem inter essentiam et existentiam, proindeque humanam Christi naturam non existere proprio esse seu proprio actu substantiali actualis existentiæ, existere vero per ipsum esse personale Verbi Dei (3), sed etiam censet non ideo formaliter rationem suppositi negandam esse humanitati Christi. Secundum Cajetanum humanæ Christi naturæ deest *aliud reale*, quominus sit suppositum, nempe *modus quidam substantialis*, quo substantia singularis quasi in se complete et ultimò terminatur et sic evadit capax recipiendi ipsum proprium actum essendi (4). Inde modus substantialis, quo humana Christi natura naturaliter fieret persona, deest, et *suppletur* per ipsam *personalitatem* Verbi Dei: vi hujus suppletionis, humana natura trahitur in communicationem Verbi et terminatur ipsa personalitate Verbi (5).

Hæc sententia non admittenda videtur: quia nulla adducitur solidum argumentum quo demonstretur necessitas prædicti modi substantialis: etenim hic modus,

---

(1) Cf. Van Combrugghe, *Collat. Gandav.*, t. II, 1910, p. 212 ss.

(2) *De Verbo Incarnato*, n. 143.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 98.

(4) Cf. Cajetanus, in III, q. 4, a. 2, n. VI-X. Hanc sententiam nuper propugnavit P. Hugon, *Revue thomiste*, 1907, p. 764 ss.

(5) Cajetanus, *o. c.*, l. c. n. XXV s.

qui est *merus terminus* (1) non requiritur *ad singularitatem* substantiæ : quia hæc habetur per principia individuantia ; nec requiritur *ad complementum naturæ,* puta ipsius humanitatis : quia hæc est perfecte constituta ex corpore et anima rationali ; nec requiritur *ad proprium existendi actum* recipiendum in substantia completa et singulari : quia hæc substantia est præcise id cui competit esse per se et in se.

3. *Suarez,* rejiciendo realem distinctionem inter creatam essentiam ejusque existentiam ac admittendo duo *esse substantialia* actualis existentiæ in Christo, discedit quidem a Cajetano (2) ; sed ipsi consentit tenendo aliquam realitatem, aliquem modum substantialem superaddi naturæ ut hæc constituatur formaliter suppositum et, in rationalibus, persona, consequenter hunc modum substantialem deesse in Christi humanitate ac propter hoc ipsam non esse personam (3).

Hæc sententia non admittenda videtur propter eamdem considerationem qua Cajetani opinionem refutavimus. — Nec dici potest præcise ex mysterio Incarnationis deduci dari modum substantialem quo formaliter hypostasis constituitur, quatenus nempe nequit admitti non personam esse humanitatem Christi quin admittatur huic humanitati deesse hunc modum quo constituatur persona. Ad hoc respondemus quod propter aliud deficiens, nempe ipsum existentiæ actum, jam non verificatur ratio personæ in Christo, uti suprà, p. 99, 240, exposuimus.

J. Van der Meersch.

---

(1) Hic enim modus non est *accidens,* sed « hujusmodi realitas est in genere substantiæ *reductive...,* est terminus ultimus, ac ut sic *purus,* naturæ substantiæ ». Cajetanus, *o. c.,* l. c., n. X.

(2) Cf. Suarez, *De incarnatione,* disp. 36, sect. 1 et 2.

(3) Id., *o. c.,* disp. 11, sect. 3, n. 10.

III

Q. *Propone et vindica doctrinam Ecclesiæ circa elementa constitutiva materiæ proximæ Confirmationis, eamque concilia cum praxi ævi apostolici.*

R. Doctrina Ecclesiæ huc summatim redit: *materiam proximam sacramenti Confirmationis constitui unctione s. chrismatis, necnon, probabilius saltem, impositione manuum, sub ipsa unctione peracta.* Nimirum

I. *Certò* requiritur **Unctio** *chrismatis*, saltem ut partiale elementum.

Quod *probatur:*

1° *Ex Concilio Florentino,* ubi Eugenius IV, in Decreto pro Armenis, docet: « Secundum sacramentum est *Confirmatio,* cujus *materia est chrisma confectum ex oleo... et balsamo...;* forma autem est: signo te signo crucis etc. ».

2° *Ex Conc. Tridentino,* quod, in Sess. VII, can. 2, *de Confirmatione,* anathema dicit contra eum qui contenderit « injuriosos esse Spiritui S. eos qui sacro Confirmationis *chrismati* virtutem aliquam tribuunt ».

Confirmatur.

3° *Ex Catech. Conc. Trident.*, P. II, cap. 3, n. 7 et 11, ubi docetur materiam esse *chrisma* et formam « verba quæ ad sacram unctionem adhibentur ».

4° Ex *Pontificali Romano,* ubi, post primam extensionem manuum et orationem correspondentem, dicuntur pueri *confirmandi,* ac dicitur Episcopus eos *confirmaturus;* sequitur autem immediatè unctio chrismatis cum forma connexa.

Accedit

5° *Traditio antiqua.*

Ita TERTULLIANUS, *De Resurrectione carnis*, c. 8 (ed. *Oehler*,... II, p. 478): « Caro ungitur, caro *signatur* »: prior unctio spectat cæremoniam baptismalem, altera ritum sacramentalem Confirmationis; hanc autem

consignationem sacramentalem, a Baptismo ritè distinctam, vocat, in l. III, *Adv. Marcionem*, c. 22: *signaculum frontium* (*ibidem*, p. 154); in libro *De Præscriptione hæreticorum*, cap. XL (*ibidem*, p. 38), notat quomodo falsa religio mithræ dicata, sacramenta christiana æmulans, « tingit... fideles suos » et « signat illic in frontibus milites suos ».

S. CYPRIANUS, in ep. 73, n. 9, vocat Confirmationem *signaculum* dominicum (cf. suprà, p. 324); in eadem ep., n. 6, de hæretico in hæresi baptizato, ad Ecclesiam redeunte, docet non esse necesse « ei venienti manum imponi ut Spiritum S. consequatur et *signetur* (Ed. HARTEL, III, 2, 783).

S. HIPPOLYTUS ROMANUS († 235), *In Danielem*, allegorice interpretatur oleum, quo usa est Susanna, de oleo, quo « post lavacrum *unguntur* credentes », et quo confertur « virtus Spiritus Sancti ».

S. CORNELIUS, in textu relato suprà, p. 325, Confirmationem, accuratè distinctam a Baptismate, vocat *consignationem, signaculum* (1).

CONSTITUTIONES APOSTOLORUM (ed. *Funk*, 1906), l. VII, c. 22, n. 2: « baptizabis aqua, et tandem *signabis unguento* » (p. 407).

CANONES HIPPOLYTI (apud DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, ed. 3ia, 1902), can. 133 ss. præscribunt neophytum mergendum et per totum corpus ungendum; post quæ Episcopus manus imponit et « deinde insignit frontes eorum signo caritatis ».

TESTAMENTUM D. N. J. C. (ed. *Rahmani*, 1899), l. II, c. 8 et 9: baptizatis et oleo a presbytero inunctis Episcopus manum imponit, proferens invocationem Spiritus

(1) Omittimus testimonia *Theophili Antiocheni, S. Irenæi* necnon *Origines*, quæ invocantur apud PESCH, *Prælectiones Dogmaticæ*, VI, 1908, n. 497; equidem loquuntur de unctione cum oleo vel chrismate, sed non apparet utrum agatur de ritu sacramentali Confirmationis, an vero de cæremonia postbaptismali; dubium etiam moveri posset circa adductum testimonium S. Hippolyti.

S., et deinde « oleum infundens et manum super caput ejus (recens baptizati) imponens, dicat: ungendo ungo te... et signans illum in fronte... » (p. 129 et 131).

Adde etiam statuta mox referenda S. Sylvestri et Innocentii I, necnon textum citatum a GALTIER, *La Consignation à Rome et à Carthage*, apud *Recherches de science religieuse*, 1911, p. 375, juxta antiquam quamdam inscriptionem.

Equidem in antiquioribus testimoniis, signanter *Tertulliani, S. Cypriani, S. Cornelii* et *S. Sylvestri*, non affirmatur explicite nisi solus ritus *consignationis*, quin appareat illam *unctione* perfici; sed, quando in posterioribus documentis, ubi de consignatione, unctio expressius memoratur, omnia suadent eamdem intendi consignationem, de qua pristina agebant testimonia. Unde non placet thesis laudati P. GALTIER, ubi, l. c., agnoscit, in Ecclesia Romana et Africana, inde a sæculo secundo exeunte, consignationis ritum in usu fuisse pro Confirmatione, negat autem hanc consignationem fuisse, ante sæculum quartum, unctione ministratam: censet eam constitisse sola signi crucis impressione, absque unctione ulla. Cf. etiam ejusdem Auctoris dissertationem, *La Consignation dans les Églises d'Occident*, apud *Revue d'Histoire eccléS.*, 1912, pp. 257-301: ibidem contendit, in aliis Ecclesiis Occidentis, per 4 vel 5 priora sæcula, nequidem consignationem fuisse adhibitam.

Huic puncto doctrinæ obstat quod, in descriptione ritus Confirmationis, unctio non memoretur in *SS. Litteris* (1), nec legatur ab Apostolis usurpata fuisse unctio (cf. suprà, p. 322 s.).

Atvero *respondetur:*

a/ Ex hoc solo quod unctio explicite non memoratur,

(1) Non provocamus ad testimonium epist. 1ae *Joh.*, II, 20 et 1ae *ad Cor.*, I, 21: quia illa loca facile intelliguntur de unctione Spiritus Sancti *spirituali*, per internam scil. mentis illuminationem et roboris participationem.

illogice concluderes eam a ritu sacramentali excludi. Et sanè non desunt antiqua documenta in quibus solius impositionis manuum occurrit mentio, dum in aliis scriptis ejusdem Auctoris docetur Confirmatio unctione conferri. Ita apud *Tertullianum* et *S. Cyprianum* ad invicem collatis textibus hic relatis ac suprà, p. 324 ss., adductis.

b/ Etiamsi, omnibus attentis, ex descriptione ritus confirmatorii eruendum censeas, sacramentum, tempore Apostolorum, sola manuum impositione fuisse collatum, nondum ruit thesis posita.

Sufficit enim recurrere vel ad sententiam de institutione sacramentorum *cum determinatione generica* (1): quatenus nempe Christus instituerit sacramentum Confirmationis, decernendo existentiam signi practici gratiæ roborativæ, relicto Apostolis et Ecclesiæ munere signum illud, salva dicta aptitudine, determinandi, idque, pro varia opportunitate mutandi; vel ad sententiam de *determinatione specifica cum latitudine* (2): quatenus nempe ipse Christus signum determinaverit, et in specie statuerit Confirmationem impositione manuum conferri, sed ita ut Apostoli et successores potuerint materiam, non quidem abrogare, sed accuratius determinare et novo elemento, idque pro valore, adaugere.

Quibus attentis, hæc duo simul possunt stare: materiam proximam Confirmationis, *tempore Apostolorum*, sola constitisse impositione manuum, eamque *nunc temporis* unctione constitui, saltem ut elemento partiali.

II. Posset sustineri **solam unctionem** constituere **totam** materiam Confirmationis.

Ex una parte, assertum non evertit invocatum testimonium S. Scripturæ, etiamsi hoc in sensum exclusivum interpretandum ducas. Vidimus namque quod, admissà sententià de institutione *generica*, integrum

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 631.
(2) *Ibidem*, p. 631 s.

fuerit posteriori Ecclesiæ signum sacramentale, ab Apostolis inductum, non modò perficere et complere, novo elemento addito, sed etiam illud, servata significandi aptitudine, penitus immutare, adeoque impositioni manuum substituere unctionem.

Ex alia parte, asserto favet silentium (circa manuum impositionem) tam Concilii Florentini (in præfato Decreto pro Armenis), quam Synodi Tridentini, necnon Catechismi Concilii Tridentini ac Pontificalis Romani. Seposita scil. extensione manuum Episcopi in limine cœremoniæ, quam vidimis et porro mox videbimus ad materiæ proximæ constitutionem in præsentibus non pertinere, descriptio ritus Confirmationis videtur absolvi sola unctione, absque mentione impositionis manuum. Accedit quod *Concilum Florentinum:* postquam dixerit Confirmationem unctione conferri, alludit ad praxim ævi apostolici, in quo Apostoli « per manus impositionem Spiritum S. dabant », et addit: « *loco autem illius manus impositionis* datur in Ecclesia Confirmatio », quasi innueret unctionem excepisse pristinam impositionem manuum.

III. *Conformius cum mente Ecclesiæ* docetur Confirmationis materiam utroque elemento constitui, *unctione* scil. *et impositione manuum.*

Et sane, etiam in supposito quod, juxta sententiam de institutione generica, *ab Apostolis*, et non ab ipso Domino, inducta dicatur manuum impositio, quodque adeo ab Ecclesia *potuerit* ipsi alius ritus substitui, non est præsumendum Ecclesiam adeo venerandum usum, apostolica auctoritate consecratum, prorsus deseruisse. Potius dicendum quod, si, decursu sæculorum, opportunum judicaverit mutationem introducere, apostolicum ritum, religiose custoditum, compleverit ac novo elemento adauxerit.

In hoc cæteroquin passim conveniunt theologi moderni, Auctorum medii ævi vestigiis inhærentes (1).

(1) Cf. Dölger, *o. c.*, p. 91.

IV. *Ulterius nunc determinando* utrumque elementum materiæ proximæ:

1° Intenditur manuum impositio *sub ipsa unctione peracta.*

Suprà jam notavimus *manuum extensionem* præviam ad ritum sacramentalem jam non pertinere, uti suadetur ex decreto S. C. de Prop. Fide, diei 6 Aug. 1840: quatenus explicite docet Confirmationem non esse, ne sub conditione quidem, iterandam super illis super quibus Episcopus manus non extenderit (1); quod idem indubitanter urget BENEDICTUS XIV, *De Synodo diœc.*, l. XIII, c. 19, n. 17. Tandem id confirmat tenor *Pontificalis Romani*, quem sub I adduximus.

Non manet igitur nisi ut manuum impositio reperiatur in ipso consignationis actu implicitè contenta (2); unde passim monent Auctores hanc chrismatis unctionem debere fieri *immediato tactu* manus, nec validè fieri posse ope instrumenti.

2° *Unctio* est facienda cum *chrismate*, i. e., juxta ritum præsentis Ecclesiæ, cum oleo admixto cum balsamo et ab Episcopo benedicto (3), uti ipsissimis verbis docet *Decretum pro Armenis.*

Oleum, idque oleum olivarum, requiritur ad *valorem*, et a primis sæculis, fuit in usu. *Balsamum* non apparet ante sæculum VI^m^, licet, ante hoc tempus, oleum balsamo non commixtum vocabatur chrismatis nomine. *Benedictio* etiam Episcopi non memoratur in pristinis documentis. Inde facilius posset in dubium vocari necessitas balsami necnon benedictionis episcopalis ad sacramenti validitatem; possunt tamen, uti ex prænotatis liquet, hæc duo simul stare: balsami admixtionem et Episcopi benedictionem, in prioribus sæculis, ad

---

(1) *Collectanea*², I, n. 905.

(2) Cf. supracitum textum ex *Testamento D. N. J. C.*, juxta quem Episcopus dicitur ungendo manum imponere.

(3) Rationem congruentiæ videsis apud S. THOMAM, *III P.*, qu. LXXII, art. 3, collato *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 10.

ritum sacramentalem non pertinuisse, nunc autem ejusdem ritus constitutionem ingredi ac pro valore sacramenti postulari; vidimus namque ab Ecclesia induci posse quasdam determinationes, easque pro valore urgeri: quod autem id reipsa fecerit, suadetur ex citato textu Concilii Florentini, necnon ex doctrina communiori Auctorum (1).

Unctio est peragenda *in fronte* (2), ac *per modum crucis* (3), et quidem, sub pœna nullitatis, juxta non paucos Auctores: quamvis id ægrius probaretur, signanter quod spectat adhibendam formam crucis.

Nota. 1° Attentis omnibus quæ præcedunt, non est improbabile quod, tempore Apostolorum, Confirmatio sola manuum impositione fuerit collata; ad minus hæc manuum impositio præcipuum elementum constituebat ritus sacramentalis. Unctio autem, sive eam ab initio in usu fuisse dicas, sive eam a sæculo dumtaxat secundo inductam censeas, ad sæculum octavum vel nonum usque, inferiorem occupabat locum in signi sacramentalis constitutione, nec formam sibi propriam habebat (4).

Porro impositio manuum, quemadmodum ex antiquis Sacramentariis et Ordinibus liquet, et ex notandis sub

---

(1) Non obstat decretum C. S. O., 22 Nov. 1899, volens ut in bona fide relinquerentur pueri ex errore uncti cum oleo catechumenorum: non enim solvitur quæstio theoretica, sed norma agendi indicatur, quæ conciliari potest cum dubio circa valorem sacramenti, imo cum certa invaliditate; cæterum oleo in unctione adhibito non deerat benedictio episcopalis. Cf. etiam circa hoc punctum infrà dicenda de ministro Confirmationis.

(2) Cf suprà relatos textus TERTULLIANI, *Canonum Hippolyti*, *Testamenti D. N. J. C.*, ac citandum textum Innocentii I. Cf. etiam S. CYPRIANUM, *Ad Demetrianum*, c. 22 (Ed. *Hartel*, III, 1, p. 367).

(3) Cf. S. CYPRIANUM ep. 73, n. 9, ubi signaculum vocat *dominicum*; item *Ad Demetrianum*, l. c., dicit esse signum « quod ad passionem et sanguinem Christi pertineat ». Cf. etiam textum inscriptionis, de qua suprà, apud GALTIER, l. c.

(4) Vide, inter alia, *Sacramentarium Gregorianum*, apud MURATORI, *Liturgia Romana Vetus*, Venetiis, 1748, II, p. 65, collato DÖLGER, *o. c.*, p. 73 s.

responso ad V^m Qu. magis innotescet, illa erat quæ nunc per modum extensionis manuum usurpatur, nec jam ad signum sacramentale pertinere censetur; forma autem correspondens erat oratio, advocans Spiritum s., qualis hodiedum sub manuum extensione adhibetur.

Postea magis prævaluit unctio ac peculiarem accepit formam sibi propriam; paulatim etiam a ritu sacramentali recessit manuum impositio seu extensio distincta (quæ evasit sacramentale quoddam), sola remanente Unctione cum inclusa, in ipso consignationis actu, impositione manuum.

2° Unctio Confirmationis est ac porro olim fuit rite distincta ab unctione postbaptismali, licet utraque cum chrismate peragebatur et hodiedum peragitur. Cf. suprà, p. 324 s.

Nimirum ab altero jam sæculo duplex unctio apparet fuisse in usu sub initiatione christiana: quæ initiatio noscitur importasse administrationem Baptismi, Confirmationis et SS. Eucharistiæ, cum prægustatione mellis et lactis. *Prior unctio*, peracta in neophyto e fontibus baptismalibus emergente, fiebat per totum corpus (1), vel etiam in vertice seu in cerebro (2); *altera* conferebatur in fronte; prior poterat a presbytero baptizante ministrari, dum alterius unctionis ministerium Episcopo reservabatur (3).

(1) Ita *Canones Hippolyti*, l. c.: « ungitque *totum corpus* et caput et faciem ejus ». Ita jam TERTULLIANUS (suprà, p. 324) de illa unctione dicebat: « egressi de lavacro *per*ungimur »; et alibi *(De Baptismo)* dicitur eadem unctio in nobis carnaliter *currere*.

(2) Cf. *Sacramentarium Gregorianum*, l. c., p. 65 et 157.

(3) De S. SYLVESTRO (314-335) dicitur: « Constituit... chrisma ab Episcopo confici; et privilegium Episcopis, ut baptizatum consignet, propter hæreticam suasionem. Hic et hoc constituit, ut baptizatum linet presbiter chrisma levatum de aqua propter occasionem transitus mortis ». Apud DÖLGER, *o. c.*, p. 58, juxta *Liber Pontificalis*. Item *Innocentius I* (401-417) statuit: « Presbyteris... cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cum tradunt Spiritum S. Paracletum ». DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, ed. 11, n. 98.

Quodsi nitida *distinctio* apparet inter utramque unctionem, non deerat tamen intima ad invicem *connexio:* prior unctio postbaptismalis erat quasi præparatio et initiatio ad alteram, proximè sequentem. Ita intelligitur cur S. CYPRIANUS, ep. 73 (suprà, p. 325), Confirmationem dicat *consummationem* ritus baptismalis; explicatur etiam evidens similitudo inter tenorem formulæ sub unctione postbaptismali usurpatæ ac verba quæ olim formam constituebant impositionis manuum simul et unctionis confirmatoriæ (1).

Notare juvat, in Ecclesia Orientali, pariter observari evolutionem ac mutationem in signi sacramentalis constitutione.

Nimirum in documentis Orientalibus priorum sæculorum, qualia sunt *Testamentum D. N. J. C., Canones Hippolyti*, proponitur, uti vidimus modò suprà, ritus Confirmationis quasi constans distincta impositione manuum Episcopi, unctionem postbaptismalem excipiente, simul ac unctione chrismatis in fronte. Deinceps, recedente impositione seu extensione manuum, prævaluit unctio in ritu sacramentali; videtur autem prævaluisse et in ritum sacramentalem assumpta fuisse *prior* unctio *postbaptismalis*, uti eruendum censetur ex formularibus hodiernis, quæ exhibentur apud DÖLGER, o. c., p. 84 ss., comparatione instituta cum pristinis Ordinibus; ita, inter alia, observatur quod unctionem, qua nunc Confirmatio confertur, sequatur reassumptio vestimentorum, quæ olim cæremonia immediate consequebatur unctionem postbaptismalem.

---

(1) Sub priori unctione dicitur: « Deus omnipotens, Pater D. N. J. C., qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, quique dedit tibi remissionem ómnium peccatorum... »; quæ eadem identica verba reassumuntur in exordio orationis Episcopi confirmantis, qua invocatur Spiritus Sanctus ejusque dona implorantur: quæ oratio olim, uti jam notavimus, formam constituebat impositionis manuum simul et unctionis confirmatoriæ, quæque nunc adhuc, identico tenore, comitatur extensionem manuum præviam.

IV

Q. *Accuratius determina significationem materiæ proximæ sacramenti Confirmationis.*

R. I. Quod spectat **impositionem manuum**:

Attento usu biblico, jam in Veteri Testamento sancito (*Gen.*, XLVIII, 14 s., et *Num.*, XXVII, 23), significatur transmissio potestatis : potestatis nimirum ac deputationis ad tuenda et defendenda sacra ex officio.

II. Quod spectat **unctionem chrismatis**:

1° *Unctio cum oleo* apte significat effectum sacramenti, seu deputationem et virtutem ad sacra defendenda, ad pugnandum pro fide et Ecclesia : olei namque inunctio membris agilitatem confert et robur ad pugnam, uti apparet in gladiatoribus.

Ulterius « oleum, quod pingue sit et natura sua manet ac diffluat, gratiæ plenitudinem exprimit, quæ per Spiritum S. a Christo capite in alios redundat atque effunditur » (1).

2° *Admixtio balsami*, « cujus odoratus, uti notat *Catech. Conc. Trident.*, l. c., n. 9, jucundissimus est, quid aliud significat, quam fideles, cum sacramento Confirmationis perficiuntur, eam virtutum omnium suavitatem effundere, ut illud Apostoli queant dicere : *Christi bonus odor sumus Deo?* » (2).

« Habet præterea balsamum eam vim ut, quidquid eo circumlitum fuerit, putrescere non sinat : quod quidem ad hujus sacramenti virtutem significandam valdè accomodatum videtur, cum planè constet fidelium animos cælesti gratia, quæ in Confirmatione tribuitur, præparatos, facilè a scelerum contagione defendi posse ».

---

(1) *Catechismus Conc. Trident.*, P. II, cap. III, n. 8. Cf. Ill. Lambrecht, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, 2e uitg., II, blz. 937 vlg.

(2) In Ecclesia *Græca* oleo miscent plurimas materias odoriferas, quarum numerus attingit 40, ad hoc ut descripta significatio magis innotescat et illustretur.

3° Unctio peragitur *in formam crucis:* quatenus crux est signum ac vexillum ducis Christi, cujus vexillum ac signum ferre decet militem in militia Domini.

4° Unctio fit *in fronte.*

Et sane, uti arguit S. THOMAS, P. III, qu. LXXII, art. 9, « in hoc sacramento homo accipit Spiritum S. ad robur spiritualis pugnæ, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur ».

« Unde convenienter signatur chrismate signo crucis *in fronte*, propter *duo. Primò* quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis; quod quidem debet esse evidens et manifestum: inter omnia autem loca corporis humani maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur; et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse christianum...

Secundò, quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scil. propter timorem et propter verecundiam: utriusque autem horum signum manifestatur in fronte, propter duo, scil. propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt; unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt... et ideo in fronte signatur chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam, nomen Christi confiteri prætermittat ». Cf. *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 24.

Nota. In Ecclesia *Græca* non tantùm in fronte signatur confirmandus, sed etiam in oculis, auribus, ore, naribus, pectore, manibus ac pedibus; in *Ordine Coptitarum,* adduntur et unctiones in brachiis, genibus, aliisque membris, quemadmodum refert DÖLGER, *o. c.*, p. 94 s. et 84 s. (1).

(1) Nescio utrum praxis hæc ungendi confirmandos in omnibus quasi membris non sit in connexione cum facto, jam memorato ad calcem responsi ad III^m Qu., quatenus pro unctione Confirmationis assumpserint Orientales unctionem postbaptismalem, quæ primitus peragi solebat super toto corpore.

Juvat autem symbolicas significationes recolere quas *S. Cyrillus Hiersol.* (1) proponit circa unctiones, tunc temporis in usu apud Orientales: « Ac primum, ait, *in fronte* peruncti estis, ut ab ea verecundia liberaremini... utque retecta facie gloriam Domini tanquam in speculo contemplemini. Deinde in *auribus,* ut aures acciperetis divinorum mysteriorum audientes... Postea ad *nares,* ut divinum amplectentes unguentum diceretis: *Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salvi fiunt.* Tum vero et *pectus* peruncti estis, ut induentes thoracem justitiæ, staretis adversus insidias diaboli ».

V

Q. *Præmisso tenore formæ Confirmationis, quæ in Ecclesia Latina ac Græca respective usurpatur, utriusque formæ convenientiam ostende.*

R. I. **Tenor** formæ *Latinæ* est: « *Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis. In nomine P. et F. et Spir. S.* ». Tenor formæ *Græcæ* est: « σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου », i. e. « *sigillum doni Spiritus Sancti* » (2).

II. **Convenientia.**

1° *Formæ Latinæ* convenientiam pulchrè proponit *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 11-12: « Sacramenti forma ea omnia continere debet quæ ipsius sacramenti naturam et substantiam explicant.

« Atqui maxime hæc *tria* in Confirmatione observanda sunt: divina potestas, quæ ut principalis causa in sacramento operatur; tum robur animi et spiritus, quod per sacram unctionem fidelibus ad salutem tribuitur; deinde signum, quo notatur is qui in certamen christianæ militiæ descensurus est. Et *primum* quidem,

(1) *Catechesis XXI* (inter mystagogicas 3ia); *Opera omnia,* Parisiis, 1720 (ed. Maurinorum), p. 317.

(2) In aliis Ecclesiis Orientalibus variæ usurpantur formulæ pro unctione, quæ et variantur pro diversis quæ peraguntur unctionibus, uti videre est in rituum descriptione apud Dölger, *o. c.*, p. 84 ss.

verba illa *in nomine Patris...*, quæ extremo loco posita sunt; *alterum*, ea *confirmo te chrismate salutis*, quæ in medio sunt; *tertium*, quæ in principio formæ locantur, *signo te signo crucis*, satis declarant » (1).

2° *Forma Græca* solum indigitat effectum sacramenti (idque minus explicite et minus nitidè quam forma Latina): robur scil. et firmitatem.

Nimirum *sigillare* donum, i. e. gratiam Spiritus S. « nihil aliud est quam eam habenti confirmare, firmiorem et stabiliorem reddere, utique augendo; siquidem obsignare fœdus vel amicitiam idem est ac eam firmiorem reddere » (2).

Cæterum significatio formæ est sumenda in sensu composito cum materia proxima, siquidem utrumque elementum signum constituit in ratione significandi. Jamvero, uti arguit Card. Billot (3), cum verba formæ cadant « super unctionem qua athleta Christi in fronte insignitur signo ducis sui, oportet intelligere donum Spiritus Sancti, non qualecumque, sed quo perficitur homo pro fide Christi propugnator et defensor intrepidus ».

Nota. Olim formam constituebat oratio, Spiritus S^i invocatrix, quæ nunc, tanquam merum sacramentale quoddam, seu mera cœremonia, comitatur extensionem manuum Episcopi (4).

---

(1) Cf. S. Thom., P. III, qu. LXXII, art. 4.

(2) Van Noort, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, n. 255.

(3) *De Ecclesiæ Sacramentis*, Romæ, 1896, I, p. 274.

(4) En tenorem, qualis inseritur in *Pontificali Romano*, qui tenor identicus est cum tenore inserto in Sacramentario Gregoriano (cf. Muratori, *o. c.*, II, p. 65), nisi quod conclusio *Per Dominum...* sit concinnior et quod omittatur responsum *Amen*, post singulam invocationem donorum Spiritus S^i:

« Omnipotens, sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu S., quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum paraclitum de cœlis (R. Amen): Spiritum sapientiæ, et intellectus (R. Amen); Spiritum consilii et fortitudinis (R. Amen); Spiritum scientiæ et pietatis (R. Amen).

Porro directe quidem adaptatur hæc oratio impositioni seu extensioni manuum, sed utrumque elementum materiæ proximæ, impositionem manuum scil. et unctionem, informabat antiquitus, saltem a tempore quo unctio uti coelementum constitutivum accesserit impositioni manuum, quam suprà vidimus non improbabiliter dici totam materiam constituisse sub ævo apostolico.

Hæc forma sola, absque peculiari formula pro unctione, observatur adhuc, quemadmodum jam monuimus, in Sacramentario Gregoriano. In Sacramentario autem Gelasiano, jam apparet forma propria pro unctione: « Ab Episcopo (ibidem dicitur) datur eis Spiritus septiformis; ad consignandum imponit eis manus in his verbis », et sequitur invocatio Spiritus Sancti: *Deus omnipotens;* post quæ additur: « Postea signat eos in fronte de chrismate, dicens: *Signum Christi in vitam æternam* ».

Suspicari licet hæc verba derivare ab ipsa forma invocatoria *(Deus omnipotens)* pro manuum impositione; in hujus namque ultima parte postulatur a Deo ut « *consignet eos signo* crucis *Christi in vitam* propitiatus *æternam* »: quæ suppositio eo magis fundari videtur quod hæc præcise verba, in Sacramentario Gelasiano, omittuntur in tenore formæ pro impositione manuum (1).

« Adimple eos spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum etc. ».

Juvat notare singularem similitudinem citatæ formulæ cum formula, olim ac etiam nunc in usu pro reconciliandis hæreticis, quæ formula ab Episcopo pariter profertur sub impositione manuum. Cf., in Pontificali Romano, *Ordo ad reconciliandum apostatam vel hæreticum,* collato *Sacramentario Gelasiano,* l. c., p. 607.

Quam similitudinem ita explicant non pauci Auctores, de quibus suprà, p. 326, in nota, quatenus, tempore S. Cypriani, conversis ex hæresi et in gremium Ecclesiæ recipiendis, iteraretur sacramentum Confirmationis, per impositionem manuum et formam connexam: qui ritus postea manserit in usu tanquam merum sacramentale. Notavimus autem suprà, l. c., quomodo S. Cyprianus ex praxi iterandi Confirmationem, contra S. Cornelium arguerit pro legitimanda praxi rebaptizandi hæreticos conversos.

(1) Cf. Muratori, *o. c.*, I, p. 571.

Postea ampliata est formula Sacramentarii Gelasiani, adaptato forsitan versiculo 21, cap. I, ep. 2^a^ ad Cor., donec, per varias transformationes, in hodiernam formam fuerit sancita. Cf. DÖLGER, *o. c.*, p. 75 s.; VILLIEN, *Rev. du clergé fr.*, t. LXV, p. 176 ss.

Interea, uti jam prænotatum, unctio prævaluit manuum impositioni seu extensioni, et a signo sacramentali recessit hujus impositionis distinctæ ritus, cum connexa invocatione Spiritus Sancti (1), sola remanente unctione cum sua propria forma, et implicite inclusa manuum impositione.

Pro explicanda hac successiva mutatione in forma Confirmationis, recurre ad suprà invocatam sententiam de institutione sacramentorum per Christum, cum determinatione signi generica.

A. DE SMET.

VI

Q. *A qui incombent les travaux de décoration et d'embellissement des églises?*

R. A parler strictement la décoration de l'église se distingue de sa construction et de son ameublement et comprend seulement les travaux et objets destinés à rehausser l'intérieur de l'edifice du culte; tels sont: les peintures murales, les vitraux, les tentures, les tapis, les bas-reliefs, les statues, les tableaux, les lustres et autres décors. Mais généralement les auteurs (2), pour suppléer aux lacunes du décret de 1809, rangent parmi

(1) Ad hoc ut manuum impositio distincta, cum oratione connexa, a signi sacramentalis constitutione removeretur, id forsan contulit, vitanda nempe confusio cum simillima impositione manuum et formula conjuncta, quæ in reconciliatione hæreticorum adhibebatur, ne scil. in posterum ritus hujus reconciliationis amplius censeretur iteratio sacramenti Confirmationis.

(2) V. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 1086bis; STANDAERT, *Manuel de l'administration des fabriques d'églises*, p. 113, Gand, 1910; Circul. min. de M. De Volder du 15 mai 1885, *ibid.*, p. 243.

les embellissements des églises le placement d'objets mobiliers, — autels, confessionaux, jubés, chaire de vérité —, non compris à l'article 37, 1° du décret de 1809 et au chapitre 1er des dépenses, dans les modèles officiels des budgets et des comptes. Ainsi entendus, les travaux d'ornementation se rangent parmi les charges extraordinaires et ne peuvent se confondre avec les dépenses ordinaires relatives aux objets ou meubles nécessaires à l'exercice du culte (art. 37, 1°), ni avec les travaux d'entretien et de réparation de l'église (art. 37, 4°).

Il est hors de conteste que ces travaux constituent *une obligation principale de la fabrique*. C'est là une application de la règle générale que la fabrique doit assurer l'exercice du culte et le maintien de sa dignité. Cette charge et conséquemment ce droit lui sont formellement reconnus par l'article 37, 3° du décret et par les modèles des budgets et des comptes (1).

Mr Bara, par circulaire du 19 juillet 1882 (2), contesta ce droit aux administrations fabriciennes. Il statua qu'il appartenait exclusivement à la commune de bâtir l'église et de fournir tous les meubles placés dans l'église à perpétuelle demeure. Il ajouta que les fabriques devaient intervenir par voie de subsides pour alléger les charges des communes, entendant toutefois que cette intervention ne modifiât en rien le droit de propriété des communes sur ces objets (3). C'était une illégalité flagrante en contradiction avec les principes sur la matière, les dispositions du décret de 1809 et du code civil. Cet acte arbitraire du ministre fut rapporté par les circu-

(1) Ch. II des dépenses, a. 54 : Achat d'ornements, vases sacrés, linge, livres, meubles et ustensiles non compris au chapitre I ; a. 55 : Décoration et embellissement de l'église.

(2) V. de Corswarem, *De l'administration des fabriques des églises*, p. 113 ss. Hasselt, 1904.

(3) V. également les circulaires de M. Bara des 10 et 20 mai 1882, Moulart, *des fabriques d'églises*, p. 135 et 376; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*

laires du 3 septembre 1884 et du 15 mai 1885 (1) de ses successeurs, MM. Woeste et De Volder (2).

La fabrique peut être légalement obligée de pourvoir à la décoration et surtout à l'ameublement extraordinaire des églises, lorsque ces travaux sont nécessaires pour assurer l'exercice du culte et le maintien de sa dignité, pourvu que cette dépense reste dans les limites de ce qui est exigé par les convenances et les besoins des lieux. Pour estimer l'étendue de cette obligation diverses choses sont à considérer: la nécessité de l'objet, les facultés de la fabrique et l'importance de l'église.

La commune n'est tenue d'intervenir dans ces dépenses pour suppléer à l'insuffisance des ressources fabriciennes, qu'en cas de nécessité dûment prouvée (3); mais elle n'a pas le droit de s'opposer à ces travaux en allégant qu'ils sont inutiles ou que la dépense est exagérée, lorsqu'il n'est point fait appel à ses deniers (4).

Cette obligation des fabriques ne lui donne pas le droit de régler l'usage de ces objets et la tenue de l'église. C'est là une prérogative du curé, contre lequel les marguilliers pourront prendre leur recours à l'Évêque, en cas d'abus. Le curé peut également s'opposer à ce qu'un conseil de fabrique fasse des embellissements à l'église, s'il y voit des inconvénients (5).

A. De Meester.

---

(1) La terminologie de la circulaire de M. De Volder n'est pas exacte, quand il y est dit que les fabriques ont *concurremment* avec les communes la compétence nécessaire pour fournir les meubles placés dans les églises *à perpétuelle demeure*. V. Moulart, *o. c.*, p. 378. note; de Corswarem, *o. c.*, p. 114 s. n° 110.

(2) M. Warnier dans son ouvrage récent, *Répertoire de l'administration des communes et des établissements publics*, n° 786, p. 428 ne signale que la circulaire de M. Bara, sans faire mention des circulaires de MM. Woeste et De Volder.

(3) de Corswarem, *o. c.*, p. 396, n. 410.

(4) Lauwers, *Code de droit civil-ecclésiastique*, p. 286, Bruges 1859.

(5) Lauwers, *o. et l. c.*

MISCELLANEA

I

L'Heure hebdomadaire et la sanctification du prêtre (1).

(3) Responsum omnino conforme regulis vigentibus. Potest enim in administranda S. Communione extra missam adhiberi stola vel coloris albi, vel coloris convenientis officio diei (cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 286 ss.); color autem officii hujus diei est niger ex dispositione novarum rubricarum tit. XIII, 1. Sed color niger non admittitur in cultu S^mi^ Sacramenti, nisi in quantum pertinet ad ipsum sacrificium missæ pro defunctis: ideo pro colore conopei, loco nigri assumitur color violaceus (n. 3055, 10; *Collat. Brug.*, t. IX, p. 288) qui est coloris nigri mitigatio (*Collat. Brug.*, t. XVI, p. 522), imo missæ *Requiem* celebratæ coram SS^mo^ exposito debent esse in colore violaceo (Ibid., t. XVI, p. 522). His ergo optime consonat præsens responsum ad X.

(4) Quam sententiam jam proposuimus suprà p. 219.

(5) His tribus responsis de *Præfatione* (ad XI, XII, XIII) adde responsa jam antea data quæ notavimus suprà p. 346, nota 4.

Ad XIV. Affirmative (1).

Ad XV. Quoad primam partem, legantur Lectiones diei præcedentis; quoad secundam partem, affirmative.

Ad XVI. Negative.

Ad XVII. Negative (2).

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 19 aprilis 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

II

Ad quæstionem a R^mo Episcopo Salfordiensi propositam dedit S. R. C., die 24 Februarii, sequens responsum, quod in periodicis *Tablet* (2 Martii) et *Irish ecclesistical Record* (1912, t. XXXI, p. 419) exhibetur, sed quod tamen hucusque non fuit promulgatum in Actis Apostolicæ Sedis:

« Licere cuivis Officium divinum persolvere aliis diebus ex novo Psalterio, aliis vero ex antiquo ad lubitum, perdurante anno 1912 » (3).

(1) Ex quatuor ultimis responsis luculenter apparet quantopere cupiat Ecclesia ut, quantum fieri potest, legant sacerdotes lectiones de scriptura occurrente aut lectiones scripturisticas vere proprias, potius quam appropriatas. Qua de re cf. quæ scripsimus suprà p. 131 s.

(2) Cf. decr. S. R. C. n. 3237, ad 3.

(3) Quam interpretationem jam proposuimus suprà p. 142.

Sacra Congregatio Concilii

LITTERÆ

Circa dies festos.

Plurimis ex locis pervenerunt ad hanc S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub præcepto per litteras Apostolicas diei 2 julii 1911 expuncti, in pristinum restituantur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cujusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum SS^mi^ Corporis Christi celebrari possit cum solemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam SS^m.e^ Trinitatis, eam præsertim ob causam quod hujusmodi processionis defectum non sine animi mœrore et spirituali jactura pati videantur populi, qui eam diem specialiter solemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

Porro, SS^mus^ D^nus^ N. Pius PP. X, cui relatio de præmissis facta fuit ab infrascripto Cardinali hujus S. Congregationis Præfectio, plane cupiens ne, ex præpostera aut non recta interpretatione prædictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur; volens imo ut, quoad fieri possit, augeantur, hæc quæ sequuntur declarari, præcipi atque indulgeri mandavit:

1° Quum, perpensis temporum rerumque novarum adjunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub præcepto, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur: vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea, solemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suæ mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ob operibus servilibus; idque potissimum ad evitandas frequentioris præcepti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus

honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Præcipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi, dum hæc commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, præsertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

2° Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore præsentium litterarum, conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege jejunii et abstinentiæ, quoties dies abstinentiæ vel jejunio consecratus incidat in festum quod, licet præcepto non subjectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

3° Item, per præsentes litteras conceditur ut festum SSmi Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi præcepto non obstrictum, celebrari possit cum solemni processione et pompa, prout antea, feria V post Dominicam SSmæ Trinitatis; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ ex Secretaria Sacræ Congregationis Concilii, die 3 maii 1912.

L. ✠ S.

C. Card. Gennari, *Præfectus.*
O. Giorgi, *Secretarius.*

Adnotanda. Ad I. Suprema S. C. Concilii auctoritate universim et expresse præcipitur quod olim ex ipsis Motu-Proprio diei 2 jul. 1911 verbis deduximus (1) quodque S. C. Concilii decreto 8 aug. 1911 (2) saltem « pro ecclesiis cathedralibus et collegiatis » explicite confirmaverat (3) ut nempe *quoad ordinem et solemnitatem officiorum* in diebus festis nuper suppressis nihil mutetur et, ut præscribunt Statuta diœc. Brugensis, « officia divina celebrentur prout diebus dominicis » (4).

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 541 s.
(2) Decr. *Romana et aliarum*, ad II, ap. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 601.
(3) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 596.
(4) Parte II, tit. IV, § 4; *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 541.

Ad II. *Quod dispensationem a lege abstinentiæ et jejunii* attinet, exposuimus (1) eam in Belgio concedi a Romano Pontifice quoties casus occurrit :

a/ in festis Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum ;

b/ in festo suppresso Circumcisionis.

In aliis autem festis suppressis dispensatio, nisi forte aliquo rescripto particulari, non erat hucusque concessa, ut vidimus *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 596. Nunc autem, Litteris diei 3 maii hujusce anni, ad 2m, facultas dispensandi pro omnibus festis suppressis conceditur omnibus locorum Ordinariis, modo hæc festa quoad obligationem audiendi sacrum et abstinendi a servilibus suppressa, nihilominus « cum debita populi frequentia devote celebrentur ».

Ad III. In nostra diœcesi exinde nulla inducitur mutatio.

Nota. Hoc anno 1912 in festo *Omnium Sanctorum* in feriam VI occurrente, lex abstinentiæ servanda non est, vi Motu-proprio 2 jul. 1911, ad V.

C. Callewaert.

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 595 s. (coll. p. 544 s.).

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Cozzi A. *Disputationes Theologiæ Moralis.* Volumen primum : *De Actibus humanis, de Conscientia, de Legibus, de Vitiis atque Peccatis in genere et specie, et de Virtutibus Theologicis.* Taurini, Marietti, 1911. In-8, 316 p. Pr. 3 fr. 50.

Quum professorum bene multorum vestigia premere cupiat theologiæ doctor et professor cl. Cozzi, suas morales prælectiones nuper typis mandari curavit, quatuor quidem voluminibus totam distribuens materiam.

Commendabile quidem cuique legenti opus apparet, tum ex fontibus præcipuis ex quibus hauritur, S. Thomæ nimirum operibus necnon S. Alphonsi, tum ex methodo adhibita, tum ex facili expositione styloque limpido. Sed levioris sane molis censeo esse quatuor illos tomos quam ut auctori facultatem tribuant res suas multum evolvendi; ita demum ut et quæ dicit cl. Clozzi ulteriorem explicationem sæpe sæpius mereantur, et quæ non dicit frequenter desiderentur.

Sic in parte fundamentali præsentis voluminis nihil præponitur de fine hominis, nec in principio partis specialis disputatur de virtutibus in genere. In decursu autem libri, multæ sunt quæstiones inter auctores agitatæ, illæque proprie morales, quarum discussionem vel nullam vel adumbratam tantummodo reperies.

Imo, ni fallimur, hæc ipsa dictorum brevitas auctorem nonnunquam in verum erroris periculum induxit; quod ut cursim ostendamus, quædam nobis liceat afferre exempla ex tractatu de fide:

Pagina 198 ait: « Ex hoc quod (fides) sit *virtus*, convenit cum ceteris omnibus virtutibus; ex hoc autem quod est *divinitus infusa*, differt a virtutibus moralibus; quod hæ nostris actibus acquiri valent, non ita vero fides... » Sed explicandum sane foret virtutes morales dari tum acquisitas seu naturales, tum etiam (saltem probabilius) *infusas*; pariterque possibilem esse non tantum virtutem fidei infusam, sed etiam aliquam *acquisitam* seu naturalem.

Ad paginam 226 asseritur « Ad vitanda mala gravia propter fidem, licet se pecunia redimere, quia datur pecunia ad redimendam noxam, sine privata fidei negatione, sicut olim faciebant Libellarii ». Quæ assertio in sua brevitate ambigua est; nam qui pecunia emeret libellum asserentem ipsum diis sacrificasse æquivalenter negaret suam fidem; et certe Ecclesia severis olim in libellaticos illos invecta est pœnis.

Eadem adhuc pagina dicitur « Qui publica auctoritate interrogatus (de sua fide).... taceat, vel dicat se non teneri respondere, etc. non quidem negat fidem, sed peccat contra præceptum affirmativum, fidem exterius profitendi ». Sed iterum hæc brevis assertatio veritatem non satis premit.

cum ipse auctor fateatur illum *indirecte* negare fidem « qui veram fidem *iis in circumstantiis* profiteri renuit, *in quibus silentium est interpretativa negatio fidei*, ut si quis a potestate publica de sua fide etiam injuste interrogatus, sileat... ».

Et hæc quidem, ne alia adhuc hujusmodi plura afferamus, sufficiunt ut periculum nimiæ brevitatis omnibus appareat; sufficiant pariter, precamur, ut auctor opus suum evolvendo reddat expolitius.

E. Hosten.

R. Molitor, O. S. B. *Religiosi juris capita selecta*. Ratisbonæ, Pustet, 1909, in-8°, 564 p. M. 6.

Inter omnes qui hisce ultimis annis prodierunt libros de jure regulari, egregium sane, ne dicam primum, sub respectu scientifico occupat locum opus R^mi P. Molitor, Abbatis S^ti Josephi in Guestfalia. In quo non integer tractatus de jure regulari traditur, sed de principalioribus rebus doctæ commentationes proponuntur, multa methodo et ingenti eruditione. Illas auctor selegit quæstiones quæ a recentioribus aut nullo modo aut minus recte tractantur vel magis tangi solent quam exponi. Agitur nimirum: de elementis quæ communi et actuali jure ad substantiam requiruntur professionis religiosæ (p. 1-80); de variis quæ exstant professionis generibus, præcipue de solemnitate votorum (81-183); de status religiosi intima natura, juribus et effectibus, deque inhabilitate quam importat ad beneficia sæcularia (184-218); de significatione verborum, tum quæ religionis alicujus totalitatem significant, uti: religio, ordo, congregatio, institutum, tum quæ particularem aut singularem in religione familiam indicant, uti: ecclesia, monasterium, oratorium, cella (219-246); de potestate dominativa et jurisdictionali qua regitur religio (247-285); de variis religionum familiis, multipliciter distinctis ex fine, statu adjuncto, tenore professionis, natura votorum, relatione ad loci Ordinarium, intrinseca religionis constitutione (286-388); demum ample tractatur de abbate regulari, ejus institutione et regimine (389-517). Subjunguntur: elenchus Constitutionum RR. Pontificum, index librorum adhibitorum, index rerum et verborum.

Quam amplissimam materiam exponendo, auctor magis rerum naturæ indagandæ, quam colligendis textibus, decisionibus et auctoritatibus operam dedit. Attamen ad principia et rerum naturam illustranda abunde afferuntur fontes juris communis et particularis vigentis, documenta historica, et sententiæ auctorum tam antiquorum quam modernorum.

Optime meritus est de scientia canonica Rev^mus Scriptor, conficiendo seriem dissertationum, quas canonistæ omnes, sed et historici, præ manibus habere tenentur.

A. De Meester.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Expone doctrinam quam S. Jacobus circa usum linguæ proponit in sua epistola, necnon varia vitia et abusus linguæ quæ apud lectores suos supponit. (Cfr. I, 19 s., III, 1-18; IV, 1-2, 11, V, 12, etc.).

II

Explica hoc assertum S. Thomæ: « Virtute gratuita [h. e. *gratia*] superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium » 1-2, q. 109, a. 2.

III

Breviter proba in Evangelio S. Joannis, cap. VI, vv. 48 ss., contineri promissionem SS. Eucharistiæ cum præsentia reali Corporis et Sanguinis Domini.

IV

Determina cultum SS. Eucharistiæ exhibendum.

V

Faites connaître le caractère et la première organisation de l'Ordre de Cîteaux.

VI

Exposez la règle et la raison des cérémonies à observer par le diacre à l'évangile d'une messe solennelle.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses,* 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix; 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVII, pag. 315).

—

IX

Itaque, jam de objecto principe hujus tractationis mysticæ, id est de reditu nostro ad Deum, finem ultimum beatitatemque nostram, agendum est.

Uti animadvertimus, quæcumque de processione nostra a Deo præmisimus, ad declarandum regressum in Deum præprimis referuntur, atque vicissim in hoc regressu explicando suum complementum reperient: sunt enim hæc duo intime connexa, neque unum sine altero perfecte intelligi aut exponi valet.

Inprimis autem doctrinam B. Rusbrochii considerabimus, postea hinc inde conferendam cum doctrina cæterorum Mysticorum, præcipue S. Joannis a Cruce.

Quamvis de regressu nostro ad Deum in ordine præsenti historico, id est, supernaturali hic sermo sit, opportune tamen notamus Rusbrochium etiam statum hypotheticum naturæ aliquando considerare, vel potius viam naturalis luminis ad regnum Dei, seu ad Deum, indigitare, quam quispiam sequatur abstrahendo ab

ordine supernaturali. Hanc tamen viam, ut videbimus, satis clare indicat non esse (in præsenti ordine) sequendam, utpote incompletam, inefficacem, atque talem ut, si superiorem viam supernaturalem non præparet, etiam exitiosa evadat.

His paululum immorari operæ pretium erit, tum ut doctrina theologica Rusbrochii etiam in his accurata probetur, tum ut generatim mens ejus de regressu nostro ad Deum melius perspiciatur.

In opusculo *De regno Deum amantium* (Van den rike der ghelieven) interpretando de verbo ad verbum, quinque punctis, textum libri Sapientiæ: *Dominus* [1] *deduxit* (seu *reduxit* [2]) *justum* [3] *per vias rectas* [4] *et ostendit illi regnum Dei* [5]; ad quartum punctum, tres vias indicat ad regnum Dei: primam, viam exteriorem, sensibilem, scilicet, quatuor elementa tresque cœlos a Deo creata, tamquam regnum Dei sensibile, atque vestigium quoddam crassamque similitudinem Dei, quibus homo aliqualiter ad Deum ascendat; secundam, viam naturalis luminis; tertiam, viam supernaturalem ac divinam.

Secundam, de qua sola nunc agimus, sic describit (c. V): « Hanc carpunt quicumque naturales virtutes operantur, peregrina seu aliena intentione sine motione Spiritus sancti. Hac via ire est homini per inferiores vires, ornatas virtutibus moralibus naturalibus, et per vires superiores in otiositate in simplici fundo essentiæ animæ, quæ gerit imaginem Dei estque naturale regnum Dei. » Sequitur dein explicatio diversarum virium naturalium hominis, supra (1) a nobis compendio exhibita, quæque concluditur his verbis: « Hæc via est naturalis luminis, qua iri potest naturalibus virtutibus et otiositate spiritus. Et ideo vocatur naturalis, quia hac iri potest sine motione sancti Spiritus et sine supernaturalibus

(1) Articulo præcedente, mense Maii, pag. 311-312.

divinisque donis. Ast raro ea sic excellenter absolvitur sine gratia Dei (1). »

Postquam autem (c. VI) tertiam viam, supernaturalem exposuit, in qua movet Spiritus sanctus cum septem donis suis, subjungit (c. VII-XII) sex classes hominum, qui sese non disponunt, pro posse suo, secundum naturalem convenientiam, ad recipienda illa divina dona. Qua re jam ostendit viam naturalis luminis esse saltem insufficientem, et eatenus tantum utilem quatenus ducit ad supernaturalem. Sed et addit expresse (c. XIII): « Quiqui sint... qui filii esse volunt æterni regni, debent naturam evehere ad summum quod natura attingere potest..... Ubi vero natura deficit et ad ulteriora non valet, ibi advenit Deus cum supernaturali lumine..... » Infra vero (c. XXVI) manifestius declarat qua in re via naturalis luminis deficiat:

« Triplex genus hominum invenire est, qui similes sunt excelsæ Trinitati Dei et dignissimæ humanitati Christi. Primi sunt similes naturaliter et imperfecte. Alii supernaturaliter et perfecte, singuli tamen secundum gradum suum. Tertii similes pariter et beati sunt, singuli pro meritorum suorum excellentia ac dignitate. Primi generis..... omnes sunt qui virtutum actus efficiunt sine impulsu Spiritus sancti et absque charitate: cujusmodi sunt quicumque sinistra vel aliena intentione bona agunt opera..., atque etiam infideles, vel qui in aliquo articulo fidei sive Ecclesiæ catholicæ, sive Sacramentis, sive præceptis repugnant (2); qui omnes..... non possunt absque divina gratia Deo perfecte similes esse.

(1) Puta, etiam ab illo qui eam sequitur, uti oportet, in ordine ad viam supernaturalem attingendam, quemadmodum statim infra dicetur.

(2) Vides viam naturalis luminis, nisi unice dirigatur (in præsenti ordine) ad summum quod natura potest, eo fine ut viam supernaturalem præparet, exitiosam fieri, esseque viam malorum hominum, hæreticorum ac pseudo-mysticorum, quorum perversa dogmata, doctrinæ heic expositæ affinia sæpius insectatur Rusbrochius. V. *De septem custodiis*, c. XIV (5ª custodia); *De ornatu spir. nupt.*, l. II, c. LXXIV (LXXVI) et sqq.; *De vera contempl.* seu *De XII Beguinis*, c. XVIII et sqq.; *Samuël*, c. IV; *Speculum æternæ salutis*, c. XVII.

Et licet per otium et vacationem a terrenis occupationibus, atque ex naturalis intellectus perspicacitate, et per virium suarum in animæ essentiam introversione eousque pertingerent ut naturalem animæ in suum principium, Deum, sentirent propensionem (quidquid enim creatum est in propria sua causa tamquam in propria quiete sua dependet), tumque se in suam imprimerent essentiam sese amittendo, ac nihil foris aut intus agendo..., totum hoc utique nonnisi temporis perditio foret, eo quod plane dissimiles sunt. Nam neque Dei Spiritus, neque divinus amor in gratia nec in gloria otiosus est. Quam ob rem seipsos minime excedunt vel transcendunt; sed quod sentiunt, nonnisi naturalis quædam suî in suum principium, Deum, propensio est... Et quia isti homines neutiquam perfectam adepti sunt similitudinem, otio et quieti vacare volunt, virtutum autem actibus renuntiant, quippe qui seipsos in omni sua vita spectant et quærunt. Putant autem se sublimes esse spiritus, eo quod suum gustent fundum et quiddam modi expers sentiant: sed si per Dei gratiam foras impellerentur ad agendas virtutes omnes in charitate divina, rursumque per amoris impatientiam et æstum intro traherentur, atque etiam per amorem fruitivum in Dei superessentiam raperentur, ita ut eam divino quodam modo gustarent, tum demum cunctis in virtutibus Christo et Sanctis ejus similem agerent vitam; essentque similes in eo quod cum modo conjunctum est, et sine intermissione per amorem fruitivum illi quod modinescium est inhærerent. »

Itaque Rusbrochius apprime intellexit naturam esse substratum donorum supernaturalium, capacitatem seu potentiam habens obedientialem ad ea dona, quæ nedum sint opposita naturæ aut cum ea disparata, vere complent ac perficiunt naturam (1). Igitur, dum in libro *Samuël* (2) explicationem aggrediens triplicis unionis animæ contemplativæ Deum amantis cum Deo, scilicet « cum medio, et etiam sine medio, et tertio sine differentia seu distinctione, » hoc breve assertum promit:

(1) Eod. opusc., c. XXXIX, quoque dicit expresse: « Neque gratia, neque gloria repellit lumen naturale, sed [hoc] illustratur amplius. »

(2) Cap. II (III).

« Et hoc comperio in natura, et in gratia, et quoque in gloria, » nequaquam intelligenda est illa triplex unio « in natura, » excludendo vel objective præscindendo a gratia, sed solummodo abstrahendo formaliter a gratia, et ita ut referatur natura suo modo, nempe potentialiter, ad gratiam, sicuti gratia quoque, ast modo diverso, refertur ad gloriam. Re quidem vera agit Rusbrochius in concreto de amatore Dei contemplativo, in quo considerat tum naturam, substratum gratiæ, tum gratiam et gloriam; et dum heic ex professo triplicem unionem cum Deo hujusmodi hominis in gratia explicat, de unione in natura ne verbulum quidem ulterius addit.

Porro ex aliis locis, et ex analogia cum triplici unione in gratia definiri potest qualem unionem in natura comperiat Rusbrochius, ut mox infra ostendemus.

Accedamus jam ad describendum regressum nostrum ad Deum in ordine præsenti, historico, scilicet in quo natura est supernaturaliter exaltata, per peccatum lapsa et a Christo reparata.

Igitur, posito naturam ordinemque naturæ supponi gratiæ ac donis supernaturalibus, ordinique supernaturali, quod et Rusbrochius ponit, ut vidimus; primus regressus noster ad Deum, in præsenti ordine naturæ lapsæ atque reparatæ per Christum, est conversio nostra supernaturalis ad Deum.

Hunc reditum describit Rusbrochius, interpretando: Dominus deduxit seu *reduxit* justum per vias rectas, etc. (1). Reducitur nempe homo lapsus ad Deum per sacramenta, quorum alia dant gratiam primam, ut baptismus, vel reddunt amissam, ut pœnitentia, alia augmentum gratiæ atque vitæ supernaturalis concedunt.

Alio in loco (2) totum processum enarrat conversionis hominis adulti ad Deum, ope gratiæ prævenientis seu

(1) Cit. opusc. *De regno Deum amantium*, c. II.
(2) *De ornatu spir. nupt.*, l. I, c. I.

præviæ, ut ait (1), quæ unumquemque hominem tum ab extra tum ab intra commovet multis modis, quæque nondum est gratia intrinsece supernaturalis seu supernaturale lumen altius. Hæc gratia supernaturalis incipit, quando homo fecit quod in se est suis viribus, et ab hac initium proprie sumit conversio supernaturalis, ducens ad justificationem, seu gratiam sanctificantem ac charitatem.

Hisce non insistimus, utpote in quibus non est difficultas nec principale nostrum intentum.

Jam ergo ponamus hominem bonum seu justum, gratia sanctificante ornatum, hujusque ulteriorem regressum seu progressum ad Deum consideremus, ad mentem Rusbrochii.

Heic attingimus objectum princeps hujus tractationis, quod est de triplici unione justi cum Deo, scilicet *cum medio, sine medio* et *sine differentia,* ut loquitur idem Rusbrochius, quamque ex professo explicat in opusculo *Samuël* seu *De altissima veritate*.

Nihil ergo opportunius nos facturos existimamus quam ut illam explicationem seu retractationem Auctoris sequamur, iis tamen ex ejusdem doctrina aliis in locis exposita suppletis seu hinc inde desumptis, quæ ad plenam rerum intelligentiam necessaria vel utilia videbuntur, heic vero omittuntur aut brevius attinguntur. Sic, inter alia, cum initio hujus libelli *Samuël* dicat se triplicem prædictam unionem reperire in natura, in gratia et in gloria, in sequentibus nihil de natura, vix aliquod verbulum de gloria loquitur, sed triplicem unionem in gratia fere solam considerat. Ipsummet jam audiamus:

(1) Attende diversam a nunc consueta terminologiam. Apud Rusbrochium hæc gratia præveniens *(voircomende, voregaende, voirlopende)* non intelligitur gratia intrinsece supernaturalis, quam nos solemus vocare gratiam (actualem) excitantem seu prævenientem; sed intelligitur gratia extrinseca prædicationis, exempli, etc. quæ hominem movet sive intus sive foris.

« Principio ita aio, bonos omnes cum Deo per medium unitos esse; quod quidem medium est divina gratia, et sanctæ Ecclesiæ sacramenta, et virtutes theologicæ, nempe fides, spes, charitas, et vita virtuosa » etc. (c. III).

De hac prima unione, in gratia, nempe per medium, non est difficultas, ideoque huic non immoramur, aliquibus tamen observationibus adjectis.

Primo quidem, hanc unionem cum Deo mediatam non esse mere subjectivam et solo affectu, sed et objectivam seu realem, tum ex parte Dei gratiam aliaque dona supernaturalia, realia infundentis, tum ex parte hominis justi eadem dona recipientis ac possidentis.

Secundo, « sine hac unione, *ut notat Rusbrochius ibid.*, nemo Deo placere, nec beatitudinem quisquam adipisci potest. » Qui vero in ea in finem usque vitæ perseveraverint, hi singuli pro meritis gloriam consequentur. Unde animadverti licet « unitos nos esse Deo per medium, idque tam hic in gratia, quam postmodum in gloria. Atque medii istius magna plane... tum vitæ, tum præmii differentia ac diversitas est. » Et hoc quidem medium, in gloria, est gloriæ lumen, quod nos divinæ visionis capaces efficit (1).

Igitur unio mediata varios multosque gradus habet, sicut et gratia atque virtutes meritumque in hac vita, et lumen gloriæ atque præmium in vita æterna plures gradus habent.

Tertio, analogice ad hanc unionem mediatam, in gratia, definiri quoque potest unio mediata, in natura: videlicet unimur Deo, in natura, mediate, per vires naturales inferiores et superiores, perque opera bona naturaliter exercita atque virtutes morales acquisitas iisdem viribus; quod et facile deduces ex doctrina initio hujus articuli exposita e Rusbrochio de via naturalis luminis.

(1) Cf. *Regnum Deum amantium*, c. XLI et XLII.

Quarto, recollige dicta, in præcedente nostro articulo, de triplici unitate quæ a natura homini inest, necnon de subjecto in quo inest gratia, de subjectis quibus insunt virtutes theologicæ donaque alia divina, juxta doctrinam Rusbrochii; et clare perspicies, juxta eamdem doctrinam, oportere ut nostra unio mediata cum Deo, in gratia, et pari modo in gloria, fiat in unitate supremarum virium, non essentialiter sed active considerata. Quod quidem in explicandis infra unione sine medio, et unione sine differentia, lumen haud modicum afferet.

Quinto, nota unionem cum medio, nedum excludat unionem immediatam, et sine differentia, e contrario simul stare cum his, vel et inseparabilem esse ab iisdem, atque ad eas conducere, ut suis locis indicabitur (1).

Exposita unione per medium, Rusbrochius describit (2) impios quosdam sui temporis pseudo-mysticos ac hæreticos; quam quidem descriptionem, brevitatis causa, omittimus, etsi forte ad eam appellaturi simus, cum ad oppositam veritatis doctrinam rite intelligendam utilis sit, ut notat ipse: « En mala simul cum bonis proposui, ut bona rectius possint intelligi, et mala devitari. »

« Jam ante, *sic pergit* (3), in superioribus dixi, sanctos et bonos omnes cum Deo per medium unitos esse; videamus nunc, ut etiam cum Deo sine medio uniti sint. Quamquam pauci sunt in hoc mundo, qui habiles ac idonei satisque illuminati sunt, id ut sentire possint ac intelligere. »

Qui tres has uniones, de quibus agimus, in se sentire ac experiri volet, « oportet ut vivendo egrediatur ad virtutes actitandas, et moriendo ingrediatur in Deum » scilicet « moriatur in Deo sibiipsi et cunctis actionibus

(1) Interim vid. *Nupt. spir.*, l. II, c. LXXII-LXXIII (LXXIII-LXXIV).
(2) Eod. lib. *Samuël*, c. IV.
(3) Ibid., c. V.

suis, ita ut cum omnibus viribus suis cedat et veritatis incomprehensibilis, quæ Deus est, patiatur transformationem (1). » « In quibus duobus [ita nempe vivendo et moriendo] vita ejus perfecta consistit, suntque in ipso simul conjuncta, quemadmodum materia et forma, corpus et anima. »

In sequentibus exponit quomodo amor seu charitas modis omnibus hujusmodi hominis potens fit, et per totum cap. VI describit motum utilissimum amoris, quem homo ille sentire valeat, quique est cœlica sanitas *(hemelsche ghesonde)* et languor tartareus *(helsche quale)* (2); utrumvis autem ei contingat, oportet æquali semper sit animo, se plene resignans in Deum, cogitansque non se suum esse sed Dei. Estque ejusmodi spiritus liber ac immotus jam aptus qui sentiat unionem immediatam cum Deo.

Cur autem boni omnes idem non sentiant explicat cap. VII : ratio nempe est « quod divino instinctui seu motioni cum sui abnegatione non respondeant..... quod magis externi ac multiplices, quam interni et simplices mancant » videlicet per internum affectum, puram intentionem, ferventem erga Deum amorem.

His præmissis, jam (cap. VIII) ipsam sine medio unionem explicat Rusbrochius, cujus propria verba paulo fusius recitanda sunt, e quibus postmodum doctrinam de eadem unione pressius definire conabimur.

Ubi talis vividus homo [qui nempe in omni languore sanitate perfruitur, ut supra] sese cum totalitate sui ipsius et universis viribus suis erigit, et ad Deum adjungit vivido activo amore, jam sentit amorem suum in suo fundo, ubi incipit et finit, fruitivum esse et sine fundo. Quod si velit, cum suo actuoso amore, ulterius penetrare in amorem frui-

(1) Hæc nota pro dicendis postea de transformatione amoris, apud S. Joannem a Cruce aliosque Mysticos.

(2) Hæc sunt quæ ab aliis Mysticis sæpe designantur nomine *unionis suavis*, et *unionis obscuræ*; et de hac quidem, ut jam supra vidimus, fusius agit S. Joannes a Cruce ubi de nocte obscura sensu multiplici.

tivum, ibi cedant oportet omnes animæ suæ vires, ferantque et patiantur penetrantem veritatem et bonitatem, qui ipse Deus est. Quemadmodum aër penetratur splendoribus et calore solis; et ferrum penetratur igne, ita ut ignis actionem efficiat, ardet nempe et lucet ut ignis..... nihilominus conservat unumquodque propriam suam naturam, nec enim ignis fit ferrum, nec ferrum ignis, sed unitio est immediata, siquidem ferrum intra ignem est et ignis in ferro..... Sic pariter Deus semper est in essentia animæ; et quando vires supremæ intro se recipiunt cum actuoso amore, jam uniuntur Deo sine medio, in simplici quadam notitia omnis veritatis, et essentiali quodam sensu ac gustu omnis boni. Hoc simplex scire ac sentire Dei possidetur in essentiali amore, exercetur vero ac retinetur activo amore. Et ideo viribus quidem accidentale est, per morientem introversionem in amorem, est vero in essentia essentialiter et semper intus manens; quapropter semper intro nos vertere debemus et renovari in amore, si amorem amando reperire velimus (1). Hocque docet nos S. Joannes, ubi dicit: « Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. » Quamvis autem ista unio amantem spiritum inter et Deum sit absque medio, ingens tamen est discrimen; creatura enim non fit Deus, nec Deus creatura, quemadmodum supra dixi de ferro et de aëre. Et, si res materiales, quas fecit Deus, ita uniri possunt sine medio, multo magis potest ipse se unire cum dilectis suis ubi vult, quando sese, mediante gratia, ad hoc accommodant ac præparant. Quapropter interno homini, quem Deus ornavit virtutibus, et supra hoc extulit in vitam contemplativam, in suprema sua introversione non est aliud medium inter se et Deum, nisi illuminata sua ratio et suus actuosus amor. Quibus duobus mediantibus adhæret Deo, quod est unum fieri cum Deo, ut loquitur S. Bernardus. Ast, supra rationem, et supra activum amorem, elevatus est in nudam

(1) Hæc sedulo attende postea interpretanda. Atque, collatis quæ supra (p. 298-300 et 303-305) dicta sunt de triplici unitate spiritus nostri cum Deo, diligenter adverte heic distinctionem amoris actuosi in supremis viribus seu in unitate active considerata, et amoris essentialis in unitate essentialiter considerata seu in essentiali existentia. Item attende introversionem virium amore actuoso, *secundum modum simplicitatis*, ut supra p. 306, nota (2) et p. 312, nota (1).

visionem quamdam, et sine actione in essentialem amorem. Ibique est unus spiritus unusque amor cum Deo... In hoc essentiali amore, superexcedit intellectum suum infinite, per unitatem quam essentialiter cum Deo habet; et hæc est communis vita contemplativorum hominum. In hac enim elevatione habilis est qui perspicere possit, si id Deus ei demonstrare velit, una visione cunctas creaturas... Sed infinitati Dei cedere debet, eamque essentialiter et infinite subsequi, utpote quam nulla creatura capere nec assequi potest, ne anima quidem D. N. J. Ch., quæ altissimam unitionem suscepit supra universas creaturas.

In seq. cap. IX complet hanc doctrinam, ostendendo quomodo hæc unio sine medio sit fœcunda in ordine ad divinæ charitatis omniumque virtutum exercitium: « Ecce æterna hæc charitas quæ vivit in spiritu (1), qui cum ea unitus est sine medio, infundit lumen suum et gratiam in omnes animæ vires, et hæc est causa virtutum omnium. » Deinde describit hunc influxum, manantem usque in vires inferiores ac corporales, et renovantem continuo amorem virtutumque exercitia. Unde in hujusmodi homine triplex, ait, oritur sentire (2): corporale; per quod transit in sentire quoddam spirituale, quod rationale est; et, hoc mediante, in sentire quoddam divinum, quod supra rationem est. « Per hoc autem sentire divinum a seipso deficit seu dilabitur in quoddam immotum beatum sentire, quod est superessentialis beatitudo nostra, consistens in fruitione Dei omniumque dilectorum suorum. Hæc beatitas caliginosum illud silentium est, semper otiosum: Deo essentialis est, cunctisque creaturis superessentialis. Et ibi accipiendum est, cedere divinas personas atque immergi ac absorberi in essentiali charitate, id est, fruitiva unitate; atque nihilominus semper consistere,

(1) Adverte sedulo et hæc de *æterna charitate*, tamquam subjecto quocum unitur sine medio spiritus creatus. De hac æterna charitate, adeoque substantiali, quæ ipse Deus est, infra sermo recurret.

(2) Aliud quadruplex sentire exponit in op. *De calculo*, c. X.

secundum personalem characterem, in actionibus Trinitatis. »

Sic transit ad sublimem doctrinam de SS. Trinitate, quam supra exposuimus, quomodo nempe natura divina æternum activa est secundum modum personarum, æternumque otiosa et modo expers secundum simplicitatem seu unitatem essentiæ suæ; quam quidem doctrinam fusius explicat per seq. cap. X, simul ostendens hujus tum activitatis divinæ, tum quietis participes esse animas vere internas ac contemplativas, utpote Deo unitas Trinitatemque ac Unitatem divinam in hac sua unione imitantes. Concludit autem idem cap. his verbis: « Ibi est Pater cum Filio et cunctis dilectis complexi ac comprehensi vinculo amoris, hoc est in unitate Spiritus sancti. Et hæc est eadem unitas quæ et fœcunda est secundum emanationem personarum, et in reflexione æternum vinculum est amoris, numquam dissolvendum. Quicumque autem hoc se noverunt devinctos... locupletes sunt virtutibus, et lucidi in contemplando, et simplices dum fruitive quiescunt. Nam in introversione sua manifestat se charitas Dei profluens cum omnibus bonis, et introrsum trahens in unitatem, et superessentialis ac modo expers in æterno otio. Et ideo uniti sunt Deo per medium, et sine medio, et etiam sine differentia (1). »

Jam, in cap. XI, ipsam vitam unionis cum Deo describit, tum per medium gratiæ, brevius; tum sine medio, fusius.

De hac, inter alia, hæc habet:

« Vident hi et sentiunt Patrem cum Filio, mediante Spiritu sancto, seipsos complexos esse omnesque electos, et æterna charitate reflexos esse in unitatem suæ naturæ. Hæc unitas est usque trahens introrsus seu intro invitans

(1) Attende hæc tria sibi invicem respondere: profluens.... per medium; introrsus trahens... sine medio; superessentialis, modonescia, quiescens.... sine differentia.

quidquid ex ea natum est sive naturaliter sive ex gratia. Et ideo illuminati homines sunt libera mente elevati supra rationes in nudam indepictam visionem. Illic vivit æterna introrsus invitatio unitatis Dei, atque imaginibus vacuo, nudo intellectu transeunt seu penetrant per omnem actionem cunctamque exercitationem, et rem omnem usque in supremum apicem sui spiritus. Ibi nudus intellectus eorum penetratur æterna claritate, quemadmodum aër lumine solis. Et nuda elevata voluntas superefformatur et penetratur amore sine fundo, sicut ferrum penetratur igne. Et nuda elevata memoria (seu mens) sentit se complexam et firmatam in quadam abyssali indepictione. Sicque creata imago supra rationem tripliciter unita est æternæ suæ imagini, quæ fons est sui esse suæque vitæ; hic autem fons conservatur et possidetur, essentialiter et perpetuo, simplici contemplatione, in vacuo imaginibus otio; sicque elevamur, supra rationem, tripliciter in unitatem et unice in trinitatem. Neque tamen creatura fit Deus: unitas enim est mediante gratia et amore reflexo in Deum; ideoque sentit creatura discrimen et alteritatem sese inter et Deum in intima sua visione, et, quamquam unitio est sine medio, multiplicia opera quæ Deus operatur in cœlo et in terra manent tamen spiritui abscondita. Etsi enim se Deus det sicuti est, perspicua cum distinctione, dat sese in essentia animæ, ubi animæ vires supra rationem simplificatæ sunt et patiuntur transformationem (overforminghen) Dei simplici modo. Illic plena sunt omnia et abundant: spiritus enim se sentit tamquam unam veritatem, et unam opulentiam, et unam unitatem cum Deo; attamen manet ibi essentialis quædam in anteriora propensio, hæcque est essentialis distinctio inter esse animæ et esse Dei, quæ quidem est altissima distinctio quæ sentiri possit. ».

Post hæc transit, cap. XII, ad explicandam unionem seu unitatem sine differentia. Sed heic sistimus, prius deducturi ex citatis verbis Rusbrochii ejusdem doctrinam de unione sine medio pressius definitam atque quam manifestissime poterimus explicatam.

Itaque, ex variis assertis Rusbrochii, tum heic tum superiore articulo citatis, habemus:

Primo, dum unio cum medio seu per gratiam et virtutes fit in substantia quidem animæ ceu unitate supremarum virium et in hisce viribus, atvero prout hæc unitas active, non essentialiter, sumitur, ut supra notavimus; contra, unio sine medio fit in eadem unitate essentialiter considerata, in essentiali existentia, et in ea supernaturaliter acquirit et possidet spiritus, quidquid unquam naturaliter in eadem accepit (1).

Inde *secundo*, quemadmodum unio per medium non fit solo affectu, ita nec unio sine medio, in qua vere acquirit et possidet spiritus supernaturaliter imaginem Dei, Deum ipsum inhabitantem, non solum quo modo natura omnibus, etiam malis, inest, sed quo solos bonos supra naturam sibi unit. « Hoc habent omnes boni, sed quomodo hoc sit, id remanet ipsis absconditum tota vita sua, si interni non fuerint ac vacui ab omnibus creaturis (2). »

Cæterum et aliis locis pluribus multiplicique modo hanc unionem sine medio se intelligere ostendit Rusbrochius de unione reali quadam et objectiva, non quæ solo subjectivo affectu contineatur. Sic v. g. in usitata a Patribus comparatione, modo citata, ferri igniti et aëris sole illuminati; ubi addit quod, si res materiales uniri possint sine medio, multo magis Deus possit ita sibi unire suos dilectos, dummodo se ad hoc præparent per gratiam. Pariter, cum aperte dicit unionem hanc esse viribus quidem accidentalem, in essentia vero essentialem et habitualem seu immanentem.

Nec obstat quod rationem, cur creatura sine medio unita Deo non fit Deus, hanc afferat, scilicet unionem fieri per gratiam et reflexum in Deum amorem. Nam intelligendum est non quod unio sine medio eadem sit ac unio per medium gratiæ, quasi sibi contradiceret

(1) Cf. omnino textum cit. superiore art., p. 306-307, ex *Ornatu spir. nupt.*, l. II, c. LIX (LXI); et heic supra, p. 426 cum nota (1).

(2) Eod. cit. c. LIX libri II *Nupt. spir.*

Rusbrochius, sed quod unio sine medio fit mediante gratia seu unione per medium gratiæ tamquam dispositione necessaria, et sic non natura fit homo unus cum Deo, quod esset Deus fieri; item, fieri unitionem sine medio per reflexum in Deum amorem, intellige non quasi in mero affectu amoris consistat ista unio, sed quod, sicuti non stat sine gratia, ita nec sine charitate a Deo infusa et ad Deum redeunte, seu in Deum reflexa. Scilicet, quemadmodum, ex parte Dei, nobis infundit Deus gratiam, virtutes aliaque dona, ut dispositionem ad unionem, et hanc unionem secum efficit; ita, ex parte nostra, oportet ut nos illi unioni respondeamus, tum active per exercitium virtutum ope gratiæ ac donorum, præprimis per charitatem seu amorem reflexum in Deum, tum etiam quasi passive seu essentiali modo, nempe quiescendo fruitive in Deo nobis unito, ut mox dicemus (1).

Ast, *tertio*, in quo proprie consistat unio sine medio, ex mente Rusbrochii, hæc princeps quæstio est, quam ut rite ac dilucide solvamus quædam ex ejusdem operibus, præprimis e textibus heic et superiore articulo nostro citatis, recolligenda sunt.

Itaque Deus, causa prima, sive ut auctor naturæ sive ut auctor gratiæ consideretur, idem unus et trinus Deus est; isque super ens et super unum etc. (ut ex Cajetano, I, q. 39, a. 1, vidimus), et super universam naturam creatam aut creabilem, hocque sensu totus supernaturalis est. Et « quamquam Deo naturale est quidquid ex amore et libera bonitate donat, nobis est accidentale et supernaturale ad nostrum modum, utpote qui antea alieni ac dissimiles eramus, atque postea similes fimus et unitatem cum Deo adipiscimur (2). »

Proin in unitate nostra in Deo, quæ a natura est (3),

(1) Lege omnino *Nupt. spir.*, l. II, c. II-III (III-IV ap. Surium).
(2) *Nupt. spir.*, l. II, c. LVIII (LX).
(3) Supra a nobis descripta, pag. 298-299, ex *Nupt. spir.*, l. II, c. II (III).

non debet concipi Deus ut alius ac est in unione supernaturali; sed discrimen in hoc est quod ad illam etiam unitatem, qualis ex natura est, regredi non valemus, contra ac quidam perversi mystici autumant (1), propriis viribus, sed egemus gratia Dei, qua fit ut non jam solam imaginem Dei naturaliter nobis impressam habemus, sed et similitudinem cum Deo adepti et sic Deo per medium gratiæ uniti, ad unionem sine medio supernaturalem cum Deo evehimur, seu unitatem in Deo, quæ ex natura est, supernaturaliter possidemus tum in vita activa, tum in vita interna cum activa conjuncta (2). « Ex ista unione, qua spiritus unitus est sine medio cum Deo, effluunt gratia cunctaque dona. Ex eadem unitate, in qua spiritus quiescit supra seipsum in Deo, sic loquitur Christus, æterna Veritas: Ecce, sponsus venit; exite obviam ei..... Hæc locutio Christi in nobis, aliud non est quam influxus ejus luminis et gratiæ. Hæc gratia recipitur a nobis in unitate supremarum virium et spiritus nostri, ex qua celsissimæ vires profluunt active in omnes virtutes, mediante virtute gratiæ, et rursum introvertuntur in ipsam vinculo amoris.

In hac unitate jacet potentia et initium et finis omnis operationis creaturalis, naturalis et supernaturalis... Deus dat gratiam ad operandum, et seipsum, supra omnem gratiam, ad fruendum et quiescendum... Gratia fluit ab intra, non ab extra, nam Deus nobis interior est quam ipsi nobis sumus; et interna ejus impulsio seu operatio in nobis, sive naturalis sive supernaturalis, nobis propior et intimior est quam ipsa nostra operatio: ideoque operatur Deus in nobis ab intra ad extra, omnes vero creaturæ ab extra ad intra. Qua-

(1) Lege *Speculum æternæ salutis*, c. XVII et sqq.; quæ ex heic a nobis expositis rite intelliges, secus obscura, ægre concilianda cum reliqua Rusbrochii doctrina et errori ansam facile præbitura.

(2) Vid. *Nupt. spir.*, l. II, c. II (III) in fine.

propter venit gratia omniaque dona divina et Dei instinctus ab intra in unitate spiritus nostri, non ab extra in phantasia cum sensibilibus imaginibus (1). »

Totam tandem doctrinam de supernaturali unione sine medio optime recolligit Rusbrochius in textu supra a nobis citato (2), quem breviter sic resumimus: Quando nos ad Deum tota voluntate convertimus, venit Deus ad nos et in nobis cum medio (gratiæ) et sine medio (supra gratiam). Videlicet imprimit imaginem et similitudinem in nos, id est, seipsum (jam supernaturaliter) et sua dona (supernaturalia). Et hic contingit unio quæ sine medio est et supernaturalis. Hæc fit in ipso essentiali captu (in essentiali existentia seu personaliter) (3). Et ex ea unitate fluunt omnia dona in unitatem supremarum virium, seu active consideratam. In eadem illa unitate concipimur a Spiritu sancto et suscipimus Spiritum sanctum, atque Patrem et Filium et divinam naturam pariter, nam Deus dividi nequit.

Hæc de unione cum Spiritu sancto sæpius repetit: ita dicit « vitam hanc æternam ac cœlestem (contemplationis) natam e Spiritu sancto » (4); item, « bonos omnes Christi fideles Dei filios esse: quandoquidem ex Dei Spiritu cuncti nascuntur, et Dei Spiritus vivit in eis » (5); rursum, « quisquis Deum amat, etiam Spiritum sanctum habet » (6). Pariter, cum scribit (7): « Æterna Charitas, quæ vivit in spiritu, qui cum ea unitus est sine medio, infundit lumen suum et gratiam in omnes animæ vires », per Charitatem æternam designat Spiritum sanctum, « Dei (enim) Charitas est Spiritus sanctus » (8). Et

(1) *Nupt. spir.*, l. II, c. III (IV).
(2) Pag. 306, e *Nupt. spir.*, l. II, c. LVIII-LIX (LX-LXI).
(3) Cf. supra nostram pag. 300, cum nota (1).
(4) *Speculum*, c. XVII.
(5) *De Calculo*, c. VIII.
(6) *De Fide et judicio.*
(7) *Samuël*, c. IX.
(8) *De Fide et judicio*, initio.

« ea quidem Charitas, quæ captum excedit tuum, Domini Spiritus est; et in eam sublevata eris, quiescesque et commoraberis supra rationalem intelligentiam tuam in unitate cum Deo. Charitas autem quæ in te est, Dei gratia est, etc. (1). »

Et alibi (2): « Cum his (virtutibus theologalibus) simul Spiritus sanctus animæ hominis illabitur, velut fons vitalis, septem dimanans rivulis, qui sunt septem dona divina ».

Atque alio in loco (3) præclare dicit: « In quolibet novo *nunc* nascitur Deus in nobis, et ex hac præcelsa generatione, fluit Spiritus sanctus cum omnibus donis suis. Atqui donis Dei occurremus (similitudine seu novis) similitudinibus, præcelsæ vero nativitati (unitate seu intimioribus semper) unitatibus ». Mox infra de gradibus unionis verbulum dicemus.

Igitur, his omnibus attentis, vix dubium esse potest, quamquam expresse et ex professo id non prosequatur, Rusbrochii mentem esse unionem supernaturalem sine medio justi hac in vita cum Deo esse unionem personalem cum persona Spiritus sancti, et in eo perque eum cum divina Trinitate animam justi inhabitante, qualem unionem in alio scripto vindicavimus.

Re quidem vera, ea quæ de unione justi cum Spiritu sancto olim scripsimus, plane ignari tunc doctrinæ Rusbrochii, tam accurate tamque exacte cum illa conveniunt, ut ex eadem mente processisse merito videantur.

Idem confirmatur eo quod, nisi hanc sententiam amplectamur, discrimen assignari haud posse videatur, tum absolute loquendo tum singulariter in doctrina Rusbrochii, inter unionem sine medio in natura, et unionem immediatam in gratia, ut reflectenti ad supe-

(1) *Speculum*, c. II.
(2) *Regnum Dei amantium*, c. XII.
(3) *Nupt. spir.*, l. II, c. LXI (LXIII).

rius dicta, et ad expositionem nostram de unione justorum cum Deo, facile patebit.

Quarto, — et hic novam confirmationem asserti nostri invenies, — jam definire possumus qualem unionem sine medio Rusbrochius comperit in natura, et in gloria. In natura quidem ea est unio sine medio, quam homo, secundum esse suum personale creatum, seu in essentiali existentia, habet cum Deo in ipso commorante per præsentiam, potentiam et essentiam suam, conformiter ad naturam ejus humanam, rationalem.

Et hanc unionem possidet homo supernaturaliter, tum præsentia ac providentia supernaturali, tum operatione supernaturali Dei, sed et secundum essentiam seu essentialiter, in essentiali existentia, possidendo nempe personam Spiritus sancti ut objectum fruitionis, quemadmodum fusius explicavimus tractando de unione justorum cum Deo.

In gloria vero, unio sine medio, de qua nihil dicit Rusbrochius in lib. *Samuël*, videtur, ex mente ejus aliis in locis exposita, consistere in unione cum Verbo incarnato, analogice ad unionem sine medio in gratia cum Spiritu sancto, et prout illam explicavimus olim agendo de unione justorum cum Deo in patria. Unum alterumve textum Rusbrochii recitabimus :

Divinitatis abyssus tamquam simplex quædam lux sese habet, quæ est essentia ipsa in personarum unitate, atque etiam in cujuslibet mentis introversæ, id est, cujusque creaturæ rationalis ad fruitionem in supremo mentis suæ apice adspirantis unitate coruscans. Et hæc lux incomprehensibilis mentis introversæ intellectum illustrat. Est enim ipsa æterna Sapientia, quæ in anima genita est. Atque in hac luce eam licet contemplari simplicitatem, unde ipsa progenita est, quæ est natura divina. Non enim nisi in hoc lumine incomprehensibilis Dei essentia potest fruitive videri. Istud namque lumen Christus est, et idem ipse est ostium, per quod nedum secundum humanitatem, sed etiam divinitatem transeundum est. Non enim admittitur quisquam in

æternæ fruitionis aulam, nisi vivat convenienter Christi humanitati, atque per ejusdem immensam claritatem contempletur et intro refluat (1). »

In eodem libro infra (2): « Atque ita a claritate transformabimur in claritatem, hoc est a claritate creata in increatam claritudinem, idque per æternum exemplar suum, quod est Sapientia Dei Patris, quæ est exemplar creaturarum omnium. »

In opusc. *De calculo*, c. IX, agens de altissima contemplatione et unione sine differentia, quæ quidem contemplatio suprema quædam prælibatio est divinæ visionis, dicit expresse : « Ibi agimur et superinformamur æterno Verbo, quod est imago Patris. »

Quinto, addimus quod supra quoque, agendo de unione cum medio, attigimus, videlicet hanc unionem mediatam per gratiam simul stare cum unione sine medio, atque ad hanc viam ac dispositionem necessariam esse; et utramque unionem varios gradus habere ac pariter perfici et crescere.

Hæc omnia breviter complectitur Rusbrochius, dicens :

« Deus venit sine intermissione in nos cum medio et sine medio, et exigit a nobis frui et operari, utque unum ab altero non impeditum maneat, sed semper magis firmetur. Idcirco possidet internus homo suam vitam in his duobus modis, id est, quiescere et operari. Et in singulis est totus et indivisus : totus in Deo, in quo fruitive quiescit; totus in seipso, ubi active amat. Atque singulis momentis exigitur ac monetur a Deo utrumque, quietem et actionem, renovare..... et sic renovatur in cunctis virtutibus, et profundius demergitur in fruitiva quiete (3). »

(1) Ex op. *Regnum Deum amantium*, c. XXIX ; ubi adverte Rusbrochium simul agere de altissima contemplatione in hac vita (in unione sine differentia) et de beatitudine æterna.

(2) Cap. XLIII.

(3) *Nupt. spir.*, l. II, c. LXXIII (LXXV).

Denique *sexto,* ne quis forte miretur Rusbrochium non magis perspicue neque ex professo unionem sine medio cum Spiritu sancto asserere atque exponere; hujus rei ratio haud ægre reddi potest. Videlicet, distinguantur hæc duo: 1/ ipsa unio secundum se et ex parte Dei potius considerata; 2/ unio eadem ex parte nostra imprimis inspecta, id est, ratio ac modus quibus nos unioni divinæ occurrere atque respondere possumus ac debemus.

Prior consideratio magis ad theoriam, posterior ad praxim magis pertinet. Jamvero, non tam studio humano ac scientifico processu, quamquam irradiante lumine gratiæ, quam potius experientia ipsoque vitæ internæ et contemplationis divinæ exercitio sancto Rusbrochius ad unionem divinam conductus est; et scriptis exponendo sua de re mystica sensa multo magis practicis quam theoreticis rationibus inhæsit. Inde factum est ut unionem sine medio fere sub solo respectu practico et ex parte nostra consideret; qui cæterum respectus longe præcipuus est, utpote qui ipsam vitam internam divinæ charitatis et unionis contemplativæ cum Deo propius respicit, adque hanc vitam sublimem alendam ac fovendam præprimis conducit. Itaque fusius et manifestius hanc vitam unionis in scriptis suis prosequitur Rusbrochius; ipsam vero theoreticam quasi rationem unionis cum Deo ex iisdem scriptis hinc inde desumere, et involutam, subintellectam atque positam magis quam expositam deducere oportet.

Hanc nostram declarationem unionis sine medio justi cum Deo, ad mentem Rusbrochii, sufficere autumamus ut, sine nimio labore et salutis cum fructu sane maximo, legi possint pleraque admirabilis istius Contemplatoris scripta. Vehementer autem optamus, ut ea volvant ac revolvant, pieque meditentur assidue præ cæteris dilecti sacerdotes nostri, in ordine ad vitam unionis amorosæ atque contemplativæ cum Deo instituendam. Meminerint vero initium sumere hanc vitam præcelsam, ut

sæpius diximus, a conscientia vivida, actuali, quantum fieri potest continua, ineffabilis istius unionis nostræ cum Spiritu sancto, inque eo et per eum cum tota divina Trinitate nos inhabitante.

Hisce dictis, transeamus ad altiora adhuc magisque abdita, ac plane divina, quæ divinitus eructavit idem Beatus Rusbrochius de unione cum Deo sine differentia seu distinctione.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Jac. II, 18-19, simul notando contextum in quo hæc pericopa occurrit.*

R. Ut in præcedenti responso (1) exposuimus, monet S. Jacobus lectores suos, ad hoc ut aliquando a Christo judice bonam sententiam obtineant, nequaquam sufficere quod *fidem* habeant, sed simul requiri ut fidem suam *operibus* exsequantur. Quare, I, 22 ponit monitionem suam generalem : Estote factores verbi, et non auditores tantum. — Hanc monitionem generalem in sequentibus probat et explicat :

1/ comparatione cum homine inspiciente se in speculo : talis actus seorsim sumptus nil boni et utilis præstat (vv. 23-25) ;

2/ proponendo quædam opera specialia quæ facere debent : refrænent linguam, exerceant caritatem, præsertim erga miseros, vitent acceptionem personarum (I, 26-II, 13) ;

3/ argumento generali : in judicio ultimo, nil proderit fides, nisi operibus perfecta (II, 14-26). — Hoc autem ultimum evolvit :

a/ comparando Christianum habentem quidem fidem, sed non exercentem opera, alicui qui pauperi cuidam optaret auxilium, nil autem daret (14-17) ;

b/ vv. 18-19 nunc explicandis ;

c/ duplici exemplo, Abrahæ et Rahab, ex vetere Testamento desumpto (20-26).

In vv. 18-19 inducitur *aliquis loquens : Sed dicet quis*. Sensus generalis eorum quæ dicit facile apparet :

---

(1) Supra, p. 360 sqq.

proponit enim eamdem doctrinam quam in contextu S. Jacobus evolvit : fides absque operibus non proderit, quum etiam dæmones credant, et tamen non inde beati sint, sed contremiscant.

Quisnam est ille qui hic inducitur loquens ? Ad hanc quæstionem sic videtur respondendum, juxta sensum quem jam supra (1) indicabamus :

a. Non est aliquis *objiciens contra doctrinam S. Jacobi* (2); etenim, ut statim diximus, loquens proponit *eamdem* doctrinam ac S. Jacobus ipse. — Si objectio fuisset contra S. Jacobum, dici debuisset : Sed dicet quis : Tu utique *opera* habes, sed ego fidem habeo... (3).

b. Non est aliquis *Christianus*. Etenim esset satis inutile quod induceretur simplex quidam christianus, imo qui nequidem nominatur, ad dicendum aliquid quod ipse Apostolus dicere poterat majori auctoritate. — Præterea obstat ipse textus : « *Ego opera habeo* », gloriatur loquens; hujusmodi autem gloriatio non congrue ponitur in ore alicujus christiani ; — « *Tu fidem* habes, et *ego opera* habeo ;... *ego ostendam tibi fidem meam* » ; ergo supponitur negata fuisse fides illius loquentis, ita ut debeat probare se vere fidem habere.

c. Nec est aliquis *paganus*. Etenim ille loquens proclamat se fidem habere : ostendam tibi fidem meam ; — et laudat fidem in unum Deum : Tu credis quoniam unus est Deus : Bene facis.

d. Unde est *Judæus*. Et sensus vv., ni fallimur, obvie intelligitur. Judæi jam ad Christianismum conversi gaudebant et gloriabantur de fide sua Christiana (4), et

---

(1) p. 363 s.

(2) Formula : *Sed dicet quis*, utique sæpe inducit objectionem, ut v. g. I Cor. XV, 35; Rom. IX, 19, ast non hic.

(3) Cæteroquin si verba : Tu fidem habes, et ego opera habeo, — fuissent objicientis contra doctrinam S. Jacobi, verba sequentia essent responsum Jacobi, et proinde exspectaremus Jacobum dicturum esse : Non fidem tantum, sed etiam *opera habeo ;* — jamvero omnino oppositum dicit : *Fidem habeo*, et ex operibus meis id tibi probo.

(4) Cfr. II, 1 : Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere. Cfr. I, 26 s , III, 1.

cæteris Judæis nondum conversis objiciebant quod illi non habebant fidem veram et vivam, sed tantum opera. — Et ecce quid ad illos, lectores suos, nunc loquitur Jacobus: « Fides vestra vobis non sufficiet; opera addite fidei vestræ. Secus, nonne Judæi, quos nunc reprehenditis eo quod fidem non habent, sed opera tantum, — nonne Judæi isti merito vobis respondere possent: « Tu, Christiane, jactas te fidem habere *(Tu fidem habes)*, et exprobras mihi me opera tantum habere *(ego opera habeo)*. Sed quæso, *ostende mihi fidem tuam, sine operibus,* seu: quomodo poteris ostendere te vere fidem habere, siquidem opera non habes; sed *ego,* contra, quem tu negas fidem habere, *ostendam tibi* ex operibus meis me vere *fidem* habere: opera mea id probant. Sane *tu credis quoniam unus est Deus;* et *bene facis* in hoc; sed ne putes hoc ad salutem sufficere: etenim *etiam dæmones credunt, et* tamen non inde beati, sed contra *contremiscunt.* »

Unde, si recte exposuimus sensum, versiculi 18-19 exponunt sub forma objectionis positæ in ore Judæi et directæ contra lectores, æstimationem quam modus agendi lectorum gloriantium de fide sua et operibus illam non exsequentium, debebat provocare apud Judæos (1).

A. VANDER HEEREN.

II

Q. *Breviter expone quomodo catholicæ doctrinæ opponatur Rationalistarum sententia quæ in Christi Redemptione non aliam quam* exempli *efficaciam agnoscit.*

R. I. Jam Petrus Abelardus (1079-1142) circa rationem Redemptionis a Christo peractæ docuerat non

(1) Maxime numerosas et varias interpretationes horum vv., cum earum crisi; vide apud BEYSCHLAG, *Der Brief des Jacobus,* (in *Kritisch-exegetischer Kommentar über das Neue Testament,* van MEYER), Göttingen. Interpretatio quam ipsi proposuimus in multis accedit ad sententiam ab hoc auctore adoptatam.

satisfactionem pro peccato et *expiationem* esse mortem Christi, sed tantum *exemplum* charitatis quo in nobis excitetur charitas (1) : hic error damnatus est ab Innocentio II, an. 1141 (2).

Hanc eamdem, quoad substantiam, doctrinam propugnavit Laelius Socinus († 1562) (3) ; propugnaverunt deinde, hisce temporibus, illi qui dicuntur Protestantes liberales seu Rationalistæ : inter quos, quoad nostram quæstionem, eminent Ritschl († 1889) (4) et A. Sabatier, qui inter alia hæc habet : « L'élément rédempteur se trouve, non dans la mort du Christ, mais dans la force et la lumière de sa conscience religieuse... Jésus souffre plus et mieux, mais il ne souffre pas autrement que Socrate, les martyrs, les sages, les bons, en un mot, engagés par la vie dans les drames que tissent ici-bas les crimes des méchants » (5).

Illi proinde auctores non aliam *efficaciam* inesse passioni ac morti Christi tenent quam efficaciam exempli ; secundum illos, Christus patiendo ac moriendo egregium ostendit ac proposuit exercitium patientiæ, fortitudinis, charitatis aliarumque virtutum, sic traxit homines ad imitandas illas virtutes et proinde ad acquirendam perfectionem moralem sibique conciliandam Dei benevolentiam.

---

(1) Cf. Portalié, ap. Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Abélard*, col. 47.

(2) Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion*, 1911, n. 368-387.

(3) En verba L. Socini : « Censeo ego et orthodoxam sententiam esse arbitror, Jesum Christum ideo servatorem nostrum esse, quod salutis æternæ viam nobis annuntiarit, confirmarit, et in sua ipsius persona tum vitæ exemplo tum ex mortuis resurgendo, manifeste ostenderit ; divinæ autem justitiæ, per quam nos peccatores damnari meremur, pro peccatis nostris neque illum satisfecisse, neque ut satisfaceret opus fuisse ». *De Christo Servatore*, c. 8. Cit. ap. Janssens, *De Deo-Homine*, P. II, Friburgi Br. 1902, p. 777 ; cf. Billuart, *De Incarnatione*, Dissert. XIX, a. 4.

(4) Cf. Rivière, *Le dogme de la Rédemption*, Paris, 1905, p. 18.

(5) *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 78, 87. Cit. ap. Laminne, *La Rédemption*, Bruxelles, 1911, p. 19, 16. Cf. Hugueny, *La Rédemption*, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1911, p. 299 ss.

II. Hæc autem sententia, quatenus *exclusive* efficaciam *exempli* in Christi passione et morte agnoscit contradicit doctrinæ catholicæ, quippe quæ, licet exempli a Christo dati influxum affirmet, præcipuam tamen *alterius ordinis efficaciam* passioni et morti Christi attribuit: hæc porro efficacia est *respectu Dei* et consistit in hoc quod mors Christi, quum sit *expiatio* pro peccatis hominum et loco hominum oblata Deo et verum *sacrificium,* constituat *satisfactionem* pro peccatis Deo oblata ac ab Ipso acceptata, necnon *meritum* cujus intuitu Deus iterum humano generi concedat gratiam, et habeat, tamquam sequelam, liberationem hominum a servitute diaboli inducta per peccatum.

Varias igitur rationes tenet doctrina catholica verificatas in passione et morte Christi (1); sed una sola sufficit, v. gr. *expiatio vicaria* et correlativa *satisfactio* ut falsa ostendatur Rationalistarum sententia quam exposuimus: etenim eo ipso quod mors Christi sit expiatio ac satisfactio, habet coram Deo efficaciam omnino diversam ab efficacia exempli exercita erga homines (2).

Ad fidem divinam, nempe ad veritates a Deo revelatas, pertinet mortem Christi esse *expiationem vicariam* et *sacrificium*, necnon Christum vere *satisfecisse* pro hominibus ac ipsis *meruisse* gratiam: licet de singulis non habeatur explicita et solemnis definitio, hæ tamen veritates continentur in universali Ecclesiæ prædicatione: cujus expressio invenitur in decretis conciliorum et præsertim Tridentini.

Quædam hic referemus ex Concilio Tridentino:

a) Christi mortem esse *expiationem vicariam* continetur his sententiis: « Si quis hoc Adæ peccatum... per aliud reme-

(1) Cf. S. THOMAS, 3, q. 49, a. 1.

(2) Ulteriorem explicationem de diversa ratione qua Christus causavit passione ac morte sua nostram salutem, v. in *Collat. Brug.*, t. XI, p. 157; cf. etiam HUGON, *Le mystère de la Rédemption,* Paris, 1910, p. 29 ss.

dium asserit tolli quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos *Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio*... A. S. (1). Quæ doctrina etiam clarius asseritur illis textibus quibus docetur

b) Christi mortem esse *verum sacrificium:* « Is igitur Deus [Jesus Christus] et Dominus noster, etsi semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur, quia tamen per mortem sacerdotium ejus exstinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile... relinqueret *sacrificium,* quo *cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur*... corpus suum et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit... » (2).

« Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta Synodus sacrificium istud vere propitiatorem esse... Una... eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa » (3). — Clare igitur docet Concilium mortem Christi fuisse sacrificium et idem esse, quoad substantiam, sacrificium missæ, quod ab altero non nisi accidentaliter, h. e. ratione modi offerendi, differt (4).

c) Christi mortem esse *satisfactionem* et *meritum* docetur his

(1) Sess. V, cap. 3, DENZINGER, *o. c.*, n. 790.

(2) Sess. XXII, cap. 1, DENZINGER, *o. c.*, n. 739.

(3) Sess. XXII, cap. 2, *o. c.*, n. 740. — Quapropter mirum est a D. RIVIÈRE, in *Revue pratique d'apologétique,* 1911. t. XIII, p. 25 ss., licet censeat dogma esse quod Christi mors est verum sacrificium, impugnari tamen rationem sacrificii in morte Christi eo quod vocabulum sacrificium non habeat satis determinatam significationem. Sed licet controversia esse possit circa essentiam metaphysicam sacrificii, indubium est notioni sacrificii aliquid reale respondere et hoc detegi posse ex ipsa doctrina S. Scripturæ et Traditionis Ecclesiæ de morte Christi considerata ut sacrificio. Opinionis prædictæ refutationem dedit P. HUGON, in *Revue Thomiste,* 1912, p. 94 ss.

(4) Cf. BARTMANN, *Lehrbuch der Dogmatik,* Freiburg, 1911, p. 351 ss., 729 ss. De controversia inter Catholicos circa essentiam sacrificii Missæ, cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 331 ss.; t. XII, p. 733 ss.; t. XIII, p. 8 ss.

verbis: « Hujus justificationis [causa] meritoria [est]: dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Jesus-Christus qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem *meruit* et pro nobis Deo *satisfecit* » (1).

Adnotatio. Argumenta quibus, tum ex S. Scriptura tum ex Traditione, demonstratur inesse passioni et morti Christi hanc efficaciam, quam suprà exposuimus (2), inveniuntur apud theologos qui de Christi redemptione vel de soteriologia agunt (3).

Notemus quod *ipse Christus* docuit se esse victimam sua morte offerendam in remissionem peccatorum: (4) hoc constat quia Christus a/ sibi applicuit prophetiam Isaïæ (5) in qua describitur Messias ut victima propitiatoria pro peccato; b/ dixit se venisse « ut daret animam redemptionem pro multis » (6); c/ docuit se dari sanguinem suum in remissionem peccatorum (7). Quapropter quorumdam Modernistarum opinionem proscripsit Pius X damnando hanc propositionem 38 in decreto « Lamentabili »: « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed paulina » (8).

---

(1) Sess. VI, cap. 7, DENZINGER, *o. c.*, n. 799. — Præparatum erat ut Patribus Concilii Vaticani examinandum traderetur schema sequens: « Si quis non confitetur ipsum Deum Verbum in assumpta carne patiendo et moriendo pro peccatis nostris potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, A. S. », ap. HUGON, *Le mystère de la Rédemption*, p. 62.

(2) Hanc efficaciam vocant quidam auctores *valorem objective soteriologicum*, vel valorem *objectivum*, in oppositione ad valorem *subjectivum* quo designatur influxus *exempli* Christi in agendi rationem hominum.

(3) Præter auctores jam citatos consuli possunt JUNGMANN, *De Verbo Incarnato*, P. II, c. 1; VAN NOORT, *De Deo Redemptore*, Amstelodami, 1904, n. 150 ss.; CARD. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, Ed. 3ª, Romæ, 1900, thes. 49-52; VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato*, Gandavi, 1909, p. 191 ss.; MANZONI, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, Augustæ Taurinorum, 1911, t. III, n. 166-198. BITTREMIEUX, *Het lijden en de dood van Christus*, Brugge, Geloofsonderricht, 1912, bl. 57.

(4) Hanc esse *ipsius Christi* doctrinam et non fuisse introductam a primitiva communitate Christianorum propugnavit cl. VAN CROMBRUGGHE, *De Soteriologiæ christianæ primis fontibus*, Lovanii, 1905.

(5) LIII, 4 ss.

(6) *Marc.* X, 45. Cf. *Matth.*, XX, 28.

(7) *Matth.* XXVI, 28.

(8) DENZINGER, *o. c.*, n. 2038.

Deinde S. Paulus etiam aperte docuit Christi mortem esse verum sacrificium, ipsique inesse specialem et objectivam coram Deo efficaciam qua redempti sunt homines (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Expone doctrinam Ecclesiæ Romanæ circa* ministrum *sacramenti Confirmationis, et indica quomodo hæc doctrina cum praxi Ecclesiæ Orientalis concilianda videatur?*

R. I. **Doctrina Ecclesiæ Romanæ** huc redit: *Solus Episcopus est minister ordinarius Confirmationis; minister autem extraordinarius est sacerdos.*

A. **Prior pars propositionis** totidem verbis docetur a *Concilio Tridentino,* Sess. VII, can. 3, *De Confirmatione,* (2), anathema dicente contra eum qui contenderit « Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem ». Jam idem docuerat EUGENIUS IV, in *Decreto pro Armenis* (apud DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 697).

Suffragatur etiam *Traditio antiqua* Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis. Ita S. CYPRIANUS provocat ad usum existentem ut illi qui a sacerdote vel diacono baptizati sunt « præpositis Ecclesiæ offerantur et per... orationem ac manus impositionem Spiritum S. consequantur et signaculo dominico consummentur » (3);

(1) Cf. TOBAC, *Le problème de la justification dans Saint Paul,* Louvain, 1908, p. 131 ss.; præsertim PRAT, *La théologie de Saint Paul,* IIe Partie, Paris, 1912, p. 266, 278.

(2) Cfr. *Concilium Tridentinum. — Actorum Pars altera* (Ehses), Friburgi Brisg., 1911: p. 844-868, referuntur disputationes minorum theologorum; p. 895-936, 959-972 et p. 984-996, exhibentur vota et censuræ Patrum in Congregationibus generalibus emissa.

(3) Epist. LXXIII, n. 9, ed. *Hartel,* III, 2, p. 785.

item FIRMILIANUS, in epistola ad S. Cyprianum, quæ inter epistolas S. Cypriani refertur numero 75° (1).

Auctor operis S. Cypriano adscripti, *De Rebaptismate*, c. 4 (*Hartel*, III, 3, p. 73 s.), refert neophytos non confirmari illicò post Baptisma, nisi ab Episcopo baptizentur, « ita ut in continenti etiam manus eis imponatur », et inde plures absque Confirmatione vita fungi; eamdem praxim, quatenus sinebant baptizatos mori sine Confirmatione, ubi Episcopus non erat præsto, testatur can. 77 *Concilii Eliberitani* (300) (2).

Recolantur etiam dicta suprà, p. 325, circa *Novatum*, qui teste *S. Cornelio*, fuit in infirmitate baptizatus, sed, absente Episcopo, non confirmatus, juxta morem passim usurpatum cum *clinicis*. Præ cæteris autem eminet statutum INNOCENTII I, suprà, p. 376, in nota, relatum. Huc spectat etiam testimonium desumptum ex *Constitutiones Apostolorum* (ed. *Funk*), II, 32, p. 115, ubi de Episcopo dicitur: « δὶ οὗ τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐν ὑμιν ὁ χύριος ἔδωκεν ἐν τῇ χειροθεσίᾳ »; necnon ex *Testamentum D. N. J. C.* ac *Canones Hyppolyti:* in priori documento, l. II, cap. 8 et 9 (ed. *Rahmani*, p. 127-131), et in altero (n. 116-140, apud DUCHESNE, *Origines du Culte chrétien*, 1902, p. 533 s.), ritè segregatur ministratio Baptismi per presbyterum a ministratione Confirmationis per Episcopum.

Confirmatur reservatio ministerii ordinarii Episcopo per ipsam narrationem *Actuum Apostolorum*, c. VIII et XIX, de qua suprà, p. 322 s. Ad hanc cæteroquin evangelicam relationem provocat S. CYPRIANUS, in epistola 73, modò adducta, ut vindicet suam doctrinam de ministratione Confirmationis Episcopo reservata; ad eam adhuc magis expresse provocant Eugenius IV, l. c., necnon Innocentius I (3).

(1) *Ibidem*, III, 3, p. 73 s.

(2) HARDUINUS, *Acta Conciliorum et Epistolæ Decretales*, Parisiis, 1715, I, col. 258.

(3) *Rationes congruentiæ* videsis apud S. THOMAM, P. III^a, qu. LXV, art. 3, ad 2^m, qu. LXVII, art. 2, ad 2^m et qu. LXXII, art. 11, in corpore.

B. **Altera pars propositionis** continetur in eodem laudato *Decreto Eugenii IV:* « Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis sacramentum ».

Innuitur etiam in tenore *canonis Tridentini*, quatenus docendo Episcopum esse ministrum *ordinarium*, censetur supponere existentiam ministri *extraordinarii:* Quod clarius adhuc innotescit ex discussionibus quæ locum habuerunt tam coram Patribus quam coram theologis minoribus (1).

Historicè etiam constat non semel agnitam fuisse et hodiedum agnosci simplici sacerdoti potestatem, positis ponendis, confirmandi. Ita notum est a *Gregorio Magno* (590-604) id concessum fuisse sacerdotibus Sardicensibus, ut, deficiente Episcopo, confirmarent (2); idem constat ex factis quorum fidem testatur BENEDICTUS XIV, *De Syn. diœc.*, l. VII, c. VII, n. 6 et 7; necnon ex variorum Conciliorum decretis et canonibus (3). Nostris pariter diebus facultate confirmandi gaudent, tanquam ministri extraordinarii, nonnulli Abbates, necnon missionarii in dissitis regionibus dispersi.

---

(1) Proposita fuerat damnanda propositio: « Confirmationis ministrum non esse solum Episcopum, sed simplicem sacerdotem »; sed per decursum disputationum, tam coram Patribus quam coram theologis minoribus, provocatum est ad facta historica attestantia partes habitas a simplici sacerdote in ministerio Confirmationis, et votum fuit emissum ut articulus reduceretur « ad formam Concilii Florentini, quod addidit: *ordinarium* ministrum » (l. c., p. 886 et 891); quod votum in definitiva redactione fuit admissum, postquam alia prævia formula fuerat proposita (l. c., p. 985): « si quis dixerit quemlibet sacerdotem esse ministrum Confirmationis, A. S. ».

(2) *Opera omnia*, ed. Maurinorum, II, 1705, col. 705.

(3) Ita Concilium *Toletanum* (400), can 20: « Statutum est diaconum non chrismare, sed presbyterum, absente Episcopo, præsente vero si ab ipso fuerit præceptum ». HARDUINUS, *o. c.*, I, col. 992. Item Conc. *Arausicanam I* (441), can. 1, *ibidem*, I, col. 1783. Conc. *Epaonense* (517), can. 16 (*ibidem*, II, col. 1049), statuit periclitantes posse confirmari a presbytero, sanos autem a solo Episcopo.

C. In doctrinam hucusque propositam conveniunt Doctores unanimiter, qui omnes ministerium ordinarium vindicant soli Episcopo, ministerium vero extraordinarium agnoscunt simplici sacerdoti.

Controversia incipit statim ac dictæ doctrinæ formulam generalem exuere velimus, eamque intimius perscrutari, inquirendo: quid postuletur ad hoc ut sacerdos legitime conferre possit Confirmationis sacramentum, an sufficiat defectus Episcopi, an requiratur delegatio Episcopi, an etiam delegatio S. Pontificis; utrum conditio, si qua opus sit, exigatur ad valorem sacramenti, an ad solam ministrationis liceitatem; utrum olim idem obtinuerit ac nunc.

Jamvero, salvo meliori judicio, dicendum videtur: 1° *Nunc*, in Ecclesia saltem Occidentali, requiri delegationem S. Pontificis, et quidem *pro valore;* 2° *olim* nullam conditionem necessariam fuisse ad *validam* Confirmationis ministrationem per sacerdotem, sed ad *solam liceitatem ejus*, atque ad hanc satis fuisse necessitatis casum vel consensum Episcopi.

Quod spectat *primum,* id suadetur ex Decreto Eugenii IV, suprà citato, ubi invocatur Apostolicæ Sedis dispensatio, necnon ex professione fidei, quam Clemens VI subscribendam proposuit Armenorum patriarchæ, a quo postulabatur utrum crederet « quod chrismati per quoscumque sacerdotes, qui non sunt Episcopi nec a R. Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam acceperunt, iterum per Episcopum... sint chrismandi » (1); confirmatur etiam auctoritate Synodi Herbipolensis (1330) (2), can. 2, ac BENEDICTI XIV, l. c., n. 3-7.

Alterum assertum eruitur ex tenore variorum decretorum huc spectantium: *Innocentius I,* l. c., docendo Confirmationis collationem Episcopo esse reservandam,

(1) BENEDICTUS XIV, *De Syn. diœc.*, l. VII, c. VIII, n. 7.
(2) *Concilia Germaniæ* (Schannat-Hartzheim), IV, p. 311.

dicit eam presbyteris *non licere; Gelasius I,* ep. 9ª, c. 6 (apud DÖLGER, *o. c.,* p. 121), munus confirmandi a presbyteris exercendum *prohibet; Synodus Hispalensis* (619), can. 7°, decernit *non licere* sacerdoti chrismare, sed soli Episcopo, « ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium... demonstretur » (1).

Res igitur fuisse videtur, in prioribus sæculis, *de sola liceitate*, supposito valore Confirmationis a presbytero collatæ, nec ad liceitatem exigebatur delegatio S. Pontificis, sed sufficiebat vel casus necessitatis, vel Episcopi concessio (2).

Nec tanta difficultas est hæc duo asserta inter se componere. Ita rem concipimus: Nimirum *ex una parte* sacerdos *de se et vi ordinationis suæ* habet potestatem *validè* confirmandi (3); juxta praxim tamen apostolorum (et forsan juxta ipsius Christi Domini ordinationem) non potest hanc potestatem *licitè* exercere *in communiter contingentibus;* ministerium *ordinarium* reservatur Episcopo, cujus officium proprium est confirmare. *Ex alia* autem *parte,* Ecclesia, quemadmodum, juxta dicta suprà, *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 631 ss., potest, infra limites ibidem assignatos, moderationes inducere in materia et forma sacramenti, easque pro valore urgere, pari ratione potest restrictiones afferre in ministerio sacramenti, ab eoque prohibere, sub pœna nullitatis, personas de se aliunde aptas, vel conditiones exigere pro valida ministratione verificandas.

Quo pacto nihil impedit quominus Ecclesia primitus intactam reliquerit sacerdoti nativam suam potestatem, agnita Confirmationis ab eo conferendæ validitate,

---

(1) HARDUINUS, *o. c.,* III, col. 560.

(2) Cf. suprà allata decreta ex Synodis *Toletana, Arausicana* et *Epaonensi.* Cf. etiam BENED. XIV, *De Syn. diœc.,* l. c., n. 7, ubi nullitatem Confirmationis, per sacerdotem absque apostolica auctoritate collatæ, ex eo deducit *quod S. Sedes id sibi reservaverit.*

(3) Inde intelligitur celebre dictum *S. Hieronymi:* « Quid enim, excepta ordinatione, facit Episcopus quod presbyter non faciat? ».

denegata tantùm liceitate ministrationis extra casum urgentem, vel citra Episcopi aut S. Pontificis delegationem; quodque postea ipsum validum ejusdem sacerdotis ministerium alligaverit ad existentiam delegationis episcopalis aut pontificiæ; non refert etiam quod mutatio successerit in illius conditionis determinatione.

II. **Praxis Ecclesiæ Orientalis.**

Jam diu ante schisma Photianum in usu erat, inter Orientales, ut Confirmatio a presbytero conferretur, immediate post Baptisma: qui usus etiamnum servatur.

Hanc praxim, ab ipsa traditione Orientali antiqua deflectentem, magna saltem ex parte explicandam supponit DÖLGER, o. c., p. 125 s., ex eo quod Orientales, juxta textum *pseudo-Dionysii* (1), exaggeratam efficaciam adscripserint *benedictioni chrismatis:* videntur nempe in hac chrismatis benedictione essentiale momentum potuisse sacramenti Confirmationis (2), adeo ut dispensatio chrismatis benedicti quid accidentale sit in sacramenti ministratione, ad analogiam dispensationis Sacramenti eucharistici, in consecratione essentialiter consistentis.

Validitatem Confirmationis a presbyteris Græcis collatæ agnoscit Ecclesia Romana, uti authentice constat ex declaratione C. S. O., 15 Jan. 1766, auctoritate Clementis XIII editæ, quam declarationem, citato tenore, refert Synodus Smyrnensis, anno 1869 celebrata (3) eamdem validitatem asseveranter vindicat BENED. XIV, *De Syn. diœc.*, l. VII, c. IX, n. 2 et 3.

Pro conciliatione descriptæ praxeos Græcæ, attenta ejusdem validitate, cum doctrina Ecclesiæ Romanæ,

---

(1) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. V, 1, § 5, *Opera Omnia* (ed. Corderii), Antverpiæ, 1633, I, p. 630.

(2) Ideo, in Oriente, reservatur chrismatis benedictio non modò Episcopis, sed Patriarchis et Metropolitis.

(3) COLLECTIO LACENSIS, *Acta et Decreta SS. Conciliorum recentiorum*, VI, col. 569 s.

passim recurrunt Auctores ad *tacitam delegationem Sedis Apostolicæ* (1).

Hæc autem conciliationis ratio, si admitti possit pro recentioribus sæculis, ægrius sustinenda videtur pro prioribus inde ab introducto usu Orientali sæculis, et signanter pro ævo schisma Photianum præcedente: ex variis enim documentis innotescit diu viguisse praxim Orientalem per presbyteros confirmandi, antequam ad S. Sedis notitiam devenerit; quo posito, non apparet in quo reponenda fuerit, pro illo tempore, tacita Sedis Apostolicæ approbatio et implicitè in ea contenta delegatio.

Aptior proinde solutio suppeditatur in principiis sub I, ad C, propositis: sacerdotes nempe, in Ecclesia Græca, servaverunt suam nativam potestatem *valide* confirmandi, quatenus ipsos non affecerit restrictio, a S. Sede pro Occidente allata (2), qua, sub pœna nullitatis, auferitur a simplici sacerdote potestatis exercitium, salva R. Pontificis delegatione.

IV

Q. *Indica dispositiones in subjecto requisitas ad* validam, fructuosam *et* licitam *susceptionem sacramenti Confirmationis.*

R. Dispositiones.

I. Ad susceptionem **validam**: supposito Baptismate, quod ad subjecti *capacitatem* requiritur, sufficit, in adulto ratione utente, *intentio habitualis* suscipiendi sacramentum.

Requiritur *intentio*, quia Deus, quemadmodum non vult homines salvare nolentes, sic etiam renuit ut ipsis

---

(1) Cf. Bened. XIV, *l. c.*

(2) Loquimur de Ecclesia Græca *generatim sumpta*, abstractione facta a quibusdam ecclesiis particularibus, ad quas peculiari statuto extensa fuerit disciplina Latina. Ita obtinet cum Italo-Græcis et cum Bulgaris, collato Benedicto XIV, *l. c.*, n. 4.

reluctantibus prosint adminicula salutis (1); sufficit autem intentio *habitualis*, nec opus est intentione virtuali, quia nullum influxum positivum exercere debet sive ad constituendum signum sacramentale, sive ad illud fructuosum reddendum: non postulatur intentio, uti diximus, nisi ut removeatur obex ad validam sacramenti susceptionem, reluctans nempe voluntas.

II. Ad susceptionem **fructuosam**:

1° Ad hoc ut sacramentum *fructuosum* sit *simpliciter*, requiritur et sufficit ut subjectum versetur in statu gratiæ, vel saltem, si in peccato sit, ut hujus conscientiam non habeat nec voluntarie adhæreat peccato mortali.

Nimirum sacramentum Confirmationis est sacramentum vivorum, quatenus ex ipsa indole sua destinetur ad infundendam gratiam secundam, præsupposito scil. statu gratiæ: deputatio namque ad sacra tuenda, ad militiam sacram agendam in vita supernaturali, in qua deputatione consistit res et sacramentum (2), sponte sua præsupponit, in milite deputando, vitam illam supernaturalem, cujus tutelam assumit, adeoque *per se* exigit infusionem gratiæ secundæ. Ex alia tamen parte communius admittitur *per accidens* posse infundi gratiam primam, nempe quando aliquis ad sacramentum accedit, reus quidem peccati mortalis, sed bona fide illius inconscius, et simul attritus de peccatis mortalibus (3).

2° Ad *fructuositatem perfectam et integram* sacramenti, nulla peculiaris dispositio requiritur: ad hoc ut gratiæ speciales, ad quas ordinem dicit gratia Confirmationis, tempore opportuno concedantur, satis est quod confirmatus non resistat motioni Spiritus sancti.

(1) Necessitatem dictæ intentionis urgere censetur C. S. O., in decreto 10 Aprilis 1861 (*Collectanea*², I, n. 1213), ad 1m, in quo prohibet Confirmationem (et Extremam Unctionem) conferri ipsis moribundis, « nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi Confirmationem ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 95 s.

(3) *Ibidem*, p. 96.

III. Ad susceptionem licitam:

1° *Ætas congrua.*

Ex una parte, est *regula generalis*, in *præsenti* Ecclesia *Latina* (1), ut non ministretur sacramentum Confirmationis pueris usum rationis nondum adeptis.

Ita statuit *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 18, ubi et addit rationem theologicam in favorem regulæ propositæ: « Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi et parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset; ad quod sane pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicarit ».

Dictum est: *regula generalis est*, quia non valet hæc agendi norma pro casu periculi mortis vel alterius necessitatis urgentis, puta quando diu absens fore prævidetur Episcopus: tunc, uti monet *Instructio* S. C. de P. F., 4 Maii 1774, « non solum prohibitum non est ante septennium S. Chrisma administrare, sed expedit ut id fiat ».

Propositam normam, salvis exceptionibus, sanxerunt Bened. XIV, *Eo quamvis*, 4 Maii 1745, § 6 (2); laudata Instructio S. C. de P. Fide (3), necnon C. S. O., 11 Dec. 1850, ad 12m (4). Cf. etiam *Bened. XIV*, *De Syn. diœc.*, l. VII, cap. X, n. 5 ss.

---

(1) Dicitur: in *præsenti* Ecclesia *Latina*. Nimirum, in Ecclesia *Orientali*, solet Confirmatio ipsis etiam infantibus et lactantibus conferri, immediate post Baptismum.

Idem usus viguit *olim* in Ecclesia Occidentali, quatenus, præsente Episcopo, Confirmatio immediate sequebatur, etiam pro infantibus, mersionem baptismalem, absente vero Episcopo, sequi debebat quamprimum. Hæc praxis deinceps non est servata, sed non fuit ubique eodem tempore abrogata; vestigia adhuc reperiuntur, in nonnullis locis, usque ad finem sæculi XIII, uti liquet ex variis statutis disciplinaribus relatis a Dölger, *o. c.*, p. 151 s., necnon a Villien, apud *Rev. du cl. fr.*, t. LXV, p. 170 et 185; pristinam etiam illam praxim spectat ordinatio quæ legitur in Pontificali Romano: « infantes per patrinos... teneantur in brachiis dextris ».

(2) *Parvum Bullarium*, III, p. 132.

(3) *Rit. Rom.*, in Appendice; item in *Collectanea*², I, n. 503.

(4) *Collectanea*², I, n. 1054.

Ex alia parte, non est diutiùs differenda Confirmationis susceptio, sed, in quantum, attentis omnibus loci et temporis adjunctis, fieri licet, tardior ætas est prævenienda. « Insunt namque, sic arguit Leo XIII, in Breve 22 Junii 1897 ad Episc. Massiliensem (1), puerorum animis elementa cupidinum, quæ, nisi maturrime eradantur, invalescunt sensim, imperitos rerum pelliciunt atque in præceps trahunt; quamobrem opus habent fideles, vel a teneris, indui virtute ex alto, quam sacramentum Confirmationis gignere natum est ».

Magis autem determinando, sibi in votis esse ostendit Ecclesia atque ordini inter sacramenta servando conformius, ut Confirmatio præcedat accessum ad SS. Eucharistiam. Et sane de mente Ecclesiæ testes existunt præfatæ Litteræ Leonis XIII, in quibus laudat Episcopi Massiliensis propositum, Confirmationem primæ Communioni præmittendi. Quod vero spectat nativum ordinem inter sacramenta servandum: « manifestum est, ait S. THOMAS, P. III, qu. LXV, art. 2, quod Baptismus, qui est spiritualis generatio, est prius; et deinde Confirmatio, quæ ordinatur ad formalem perfectionem virtutis; et postmodum Eucharistia, quæ ordinatur ad perfectionem finis »; et EUGENIUS IV, in *Decreto pro Armenis:* « Per Baptismum, inquit, spiritualiter renascimur; per Confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati, nutrimur divina Eucharistiæ alimonia ». Accedit et praxis primitivæ Ecclesiæ, utpote quæ solebat indicato ordine ministrare, etiam infantibus, tria sacramenta initiationis christianæ, uti jam notavimus suprà (2).

2° *Instructio debita.*

En verba jam laudatæ *Instructionis* S. C. de P. F.: « Sacro chrismate liniendi, ante diligenter erudiendi

(1) Tenorem refert *N. R. th.*, t. XXIX, p. 644 s.

(2) Etiamnum, juxta *Rit. Rom.*, quando *adulti* baptizantur et Episcopus adest, neophyti sunt successive confirmandi et S. Communione reficiendi.

sunt, juxta doctrinas Catech. Romani, de natura, dignitate, effectibus ac dispositionibus ad digne sacramentum hujusmodi recipiendum prærequisitis. Item oportet ut instruantur circa fidei rudimenta, decalogi et Ecclesiæ præcepta, actus virtutum theologalium, ac orationem dominicam et Apostolorum symbolum memoria teneant ».

3° Circa *confessionem sacramentalem*, monet eadem *Instructio* quod « *conveniens* valde est ut illius (sacramenti) susceptioni præmittant sacramentalem confessionem »; nullum vero datur, uti notum est, strictum præceptum nequidem consciis peccati lethalis, cum hisce sufficiat conteri, uti notat ipse tenor Pontificalis Romani (1).

4° Quod attinet *jejunium naturale* servandum : « juxta veterem Ecclesiæ usum (2), confirmandi deberent esse jejuni ; *optandumque esset* ut idipsum in præsenti etiam servetur » (3); hæc autem consuetudo prorsus a moribus recessit, licet optime posset custodiri, quando Confirmationem mane conferri contingit, quemadmodum illam in dictis adjunctis servandam monet *Pastorale Brugense*, p. 43.

V

Q. *Propone varias juris dispositiones circa adhibendos* patrinum et matrinam *in Confirmatione.*

R. I. **Præceptum** habetur in jure de adhibendo patrino vel matrina, uti explicitè urget notissima *Instructio*

---

(1) « Adulti deberent prius peccata confiteri...; vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conterantur ».

(2) Cf. cap. 6 et 7, Dist. V, *De Consecratione*, in Decreto Gratiani. Alterum cap. jejunii obligationem imponit etiam Episcopo confirmanti. Præceptum confirmanti et confirmandis adhuc inculcatum reperitur in decreto Synodi Arelatensis (1260), exceptione facta pro « parvulis qui, sugentes ubera, tempus et horam lactendi non servant ».

(3) *Instr.* S. C. de P. F., l. c.; collatis *Catech. Conc. Trid.*, l. c., n. 19, et *Pontificali Romano*, ubi idem monitum occurrit.

S. C. de P. F.: « Quanquam de necessitate hujus sacramenti non sit, ut in eo recipiendo patrinus vel matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadet (1), sacrique canones *præscribunt* » (2).

II. Connectitur ad patrini munus **effectus juridicus**, quatenus, non secus ac in Baptismate, inducitur *cognatio spiritualis,* « impediens matrimonium contrahendum et dirimens jam contractum; quæ cognatio confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egreditur » (3).

III. **Modus** exercendi officium patrini describitur in *Pontificali Romano:* « *Infantes* per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris; *adulti* vero, vel alii majores, ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui ».

Hic modus apud nos non est in usu, sed mos est ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dextrum confirmandi (4): quæ praxis expressis verbis fuit probata a S. C. R., die 20 Sept. 1749, ad 6m (5).

IV. Quod spectat **personas** ad dictum officium assu-

---

(1) Circa originem et antiquitatem muneris illius, cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 26 s. et 31 s.; VILLIEN, apud *Rev. du cl. fr.*, t. LXV, p. 181 s.

(2) Cf. cap. 101, Dist. IV, *De Consecratione; Folium* in Causa *Fesulana*, die 14 Junii 1823 proposita, et die 12 Julii soluta, apud *Thesaurum Resolutionum S. C. C.*, tom. 83, p. 163 s. Cf etiam *Concilii Plenarii Baltimorensis Decreta* (1866), p. 136, ubi stricta obligatio affirmatur in decreto, ex ipsius S. Sedis jussu inserto, uti notatur ibidem.

Exceptio memoratur in *Instr.* S. C. de P. F. pro missionibus, in quibus, si « nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini cæterorum esse poterunt ».

(3) Sunt verba *Pontificalis Romani,* ac, partim, ipsius Concilii Tridentini, Sess. XXIV, cap. 2, *De Ref. Matrim.* Circa originem et evolutionem hujus impedimenti matrimonialis, cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 33 ss.

(4) Quomodocumque exerceatur munus tenendi confirmandum, pro valore requiri censetur *tactus physicus,* non secus ac pro susceptione in Baptismo. Cf. FEYE, *De Impedimentis et Dispensationibus matrimonialibus,* n. 418.

(5) *Decreta Authentica Congr. S. R.*, II, Romæ, 1898, n 2404.

mendas vel removendas, variæ exstant in jure dispositiones, ut sequuntur:

A/ Quoad *qualitates* in illis requisitas:

Debent 1° esse *confirmati,* et quidem sub pœna nullitatis, adeo ut confirmandum tenentes, qui ipsi non sunt confirmati, cognationem spiritualem non contrahant (1).

Oportet 2° ut quatuordecim annorum ætatem compleverint (2): quæ tamen ætas non videtur pro valore requiri.

Nota designationem personæ in patrinum vel matrinam adhibendæ requiri pro *Baptismo*, idque ita ut, si, facta designatione, ultra designatos accedunt, invalidè suscipiant (*Collat. Brug.*, t. XI, p. 30 s.); hæc autem dispositio juris Tridentini non videtur spectare *Confirmationem*, adeo ut non tantùm non præcipiatur designatio facienda, sed etiam ut, si ultra designatos accedant, validè teneant confirmandum (3).

B/ Circa *numerum* patrinorum, quos adhibere licet, disponitur in jure ut *unus* tantum *vel una* assumatur, vir scil. *vel* mulier (4), non autem plures, adeo ut non possint adhiberi, quemadmodum in Baptismo, unus *et* una (5).

C/ Quod attinet personas *a munere removendas:*

Præter illos quibus qualitates suprà requisitæ deficiunt, removendi sunt:

1° *inepti* ad obligationes muneri adnexas exequendas,

---

(1) Cap. 102, Dist. IV, *De Consecr.; Pontificale Romanum,* l. c.; *Instr. S. C. de P. F.* Necessitatem Confirmationis pro valore urget declaratio S. C. C., 13 Junii 1614, quam refert GIRALDI, *Expositio Juris Pontificii,* P. I, sect. 710 (vol. II, p. 524).

(2) *Instr. S. C. de P. F.*

(3) DE SMET, *De Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 2ª, n. 316.

(4) Cap. 101, Dist. IV, *De Consecr.;* cap. 3, IV, 3, in VI°. Clausula autem non censetur irritativa.

(5) Dispositio Conc. Tridentini, l. c., concedens ut unus *et* una suscipiant in Baptismo, non spectat Confirmationem; pro qua integrum manet jus anterius. Ita etiam in *Instructione S. C. de P. F.*, necnon in *Pontificali Romano.* Cf. etiam *Folium* in Causa *Fesulana,* l. c., p. 164.

signanter obligationem curandi instructionem confirmandi: quo titulo arcentur hæretici et rudimenta fidei ignorantes.

2° *indigni*, nempe publicè excommunicati et interdicti, necnon peccatores infames, quales censentur concubinarii publici et alii de quibus cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 37. Illis in hac re æquiparantur a S. C. de P. F., in *Instructione*, qui solent præceptum paschale negligere.

3° aliàs *a jure prohibiti:*

Præter juris dispositionem quæ spectat numerum, ut nempe non plures quam unus vel una adhibeantur, ulterius statuitur:

a/ In patrinum ne assumantur parentes pro filiis, nec conjux pro conjuge (1): ne scil. inter maritum et uxorem exsurgat spiritualis cognatio.

b/ « Nec fœminis mares, nec maribus fœminæ patrini officium præstent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur » (2).

c/ « Nisi necessitas cogat, idem non sit sed diversus Confirmationis patrinus a patrino Baptismi » (3).

d/ « Nullus præsentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi ».

Præter normam igitur est ut unus et idem sit patrinus pro integra turma confirmandorum, et una eademque matrina pro omnibus puellis simul; a qua derogatione sola excusat necessitas, arbitrio Episcopi dijudicanda (4), uti non semel fuit a S. Sede inculcatum (5).

(1) Ita *Pontificale Romanum*.

(2) *Instr. S. C. de P. F.* Pariter *Pontificale Romanum*, ubi dicte prohibitionis motivum reponit in modo, supra descripto, munus patrini exercendi. Favet etiam hæc dispositio ut præcaveatur a matrimoniis ex capite cognationis spiritualis invalidis.

(3) *Instr. S. C. de P. F.* Eadem prohibitio jam occurrit in c. 100, Dist. IV, *De Consecratione*.

(4) Hujusmodi necessitatis casus facilius obtinere videtur in majoribus nostris diœcesibus, in quibus ingenti numero accedunt pueri una serie confirmandi: adeo ut moraliter impossibile foret omnibus et singulis, aut etiam binis ac binis, distinctum constituere patrinum vel matrinam.

(5) Ita S. C. C., interrogata circa praxim diœceseos *Fesulanæ*, unum

Ratio in qua nititur hæc proposita norma, est *duplex:* et quidem primò, quia secus, si unus constituitur pro pluribus patrinus, ægrius exequetur, ubi opus sit, contractam obligationem curandi educationem christianam pupilli; *secundò,* quia periculum est ne matrimonia ineantur ex capite cognationis spiritualis nulla: natum est enim fieri ut cognatio cum tanta multitudine personarum contracta, non satis determinatè attendatur (1).

Nota. Extant etiam quædam statuta particularia, signantur ex sæculo 16°, quibus interdicitur patrino et matrinæ dona ac munuscula præbendi confirmatis eorumve parentibus. Abusus enim in hac re irrepserant tum ex æmulatione patrinorum, qui cæteros donariorum pretio vincere certabant; tum ex cupiditate parentum, qui, munusculis illecti, pueros iterata vice confirmandos offerebant (2).

A. De Smet.

VI

Q. *A quibusnam, in quibus missis et quo loco seu ordine recitanda est* collecta imperata *ab Ordinario?*

R. *Oratio* seu *collecta imperata* est oratio quæ, licet nec per se ad missam spectet, nec ullam habeat ad officium dici relationem, nec ab ipsis rubricis præscribatur, tamen ceteris missæ orationibus est addenda quia ab

pro pluribus patrinum adhibendi, die 12 Julii 1823, respondit: usum illum « non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo judicandæ, ad formam Pontificalis Romani ». L. c., p. 167. Pariter in decreto Concilii Baltimorensis, jussu S. Sedis inserto, dicitur: « Confirmati vero habebunt patrinos, singuli singulos... quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris patrini, et duæ pro puellis matrinæ adhibeantur ».

(1) Ideo, in nostris regionibus, ubi, cogente necessitate, a norma deflectitur, eligantur personæ quæ a dicto periculo magis remotæ videantur.

(2) Cf. Villien, l. c., p. 183 s., ubi textus decretorum citantur.

Ordinario loci ex rationabili causa recitanda injungitur seu *imperatur*.

Sæpe nuncupatur sola voce *collectæ* vel *imperatæ*.

Ut ex definitione patet, est oratio quædam *votiva* (quia extra ordinem missæ et officii) non tamen stricto sed *lato sensu* (quia non pendet a voto seu lubitu celebrantis sed mandato Ordinarii loci præscripta est (1).

I. **A quibusnam recitanda?** Orationem imperatam præscribere:

1/ Non possunt Prælati regulares pro subditis suis sine licentia Episcopi (n. 2514, 6);

2/ Potest Romanus Pontifex in omni loco, pro omnibus sacerdotibus;

3/ Potest Episcopus pro sua diœcesi.

Hæc collecta ab Episcopo imperata dicenda est, « per modum præcepti et obligationis » (n. 2198, 2), ab omnibus sacerdotibus qui celebrant intra limites diœceseos, non solum a sacerdotibus Episcopo loci subditis, sed et a regularibus exemptis (n. 2613, 1), et ab extraneis ibidem celebrantibus (n. 3985). Extranei autem in casu omittere debent collectam a proprio suo Ordinario forte imperatam.

Pari modo dicenda est quando et *quamdiu* ab Episcopo præscribitur (n. 2613, 2). Quodsi Ordinarius terminum non præcise definierit, ut occurrere solet pro imperata ad petendam pluviam aut serenitatem, rectoris ecclesiæ est judicare quandonam ab ea recitanda in sua ecclesia cessandum sit.

Quamvis Episcopus non possit tot *numero* præscribere imperatas ut numerum orationum excedat septem (2) et novæ rubricæ (tit. XI) restringant campum imperatæ, quæ ceterum non est materia favorabilis in liturgia, non prohibetur quominus Episcopus duas injungit impera-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 254 ss.

(2) Decr. S. R. C., 19 Jan. 1906, ad I, in nova collectione authentica, n. 4177, ap. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 520.

tas, ut constat ex recenti responso 22 martii 1912, ad XI (suprà p. 346).

II. In quibus missis? *Regula* est ut collecta imperata consueta seu quæ non est « pro re gravi », dicenda sit in omnibus missis lectis, aut cantatis etiam cum assistentia diaconi et subdiaconi.

Excipiuntur tamen a rubricis quædam missæ, vel ob earum indolem, aut solemnitatem intrinsecam, vel ne nimium excrescat orationum numerus, vel quia obstat principium ne fiat bis de eodem, ut ex sequentibus patebit.

In specie, omittenda est imperata:

1/ In missis *Requiem*.

Si tamen imperata sit collecta pro defuncto aut defunctis, dicenda est, sed tantum in missis quotidianis quæ, utpote ritus simplicis, tres ad minus requirunt orationes, non vero in missis privilegiatis quæ unam dumtaxat orationem admittunt.

In missis autem quæ non sunt de *Requiem*, collecta pro defunctis præscribi aut admitti potest dumtaxat in missis quæ sunt ritus simplicis.

2/ In missis *votivis* solemnibus pro re gravi aut privilegiatis ad instar solemnium.

3/ In omnibus missis quorum ritus gaudet formaliter aut æquivalenter dignitate saltem secundæ classis:

Sunt nempe: a/ festa duplicia I aut II classis; b/ dominicæ I aut II classis, seu majores; c/ integræ octavæ privilegiatæ: Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Solemnitatis Corporis Domini, quæ excludunt festa duplicia saltem II classis. Octavis privilegiatis accensetur etiam octava Nativitatis Domini; d/ dies in quibus, licet officium non sit primæ vel secundæ classis, missa tamen gaudet privilegio unius orationis: dominica Palmarum (n. 2618, 2), Triduum sacrum, vigilia Nativitatis (n. 2461, 2; 2618, 2) et Pentecostes (1).

---

(1) *Novæ Rubricæ*, tit. XI.

4/ « Quandocumque in missa dicendæ sint plus quam tres orationes a Rubrica eo die præscriptæ » (1) Nomine « orationum a Rubrica eo die præscriptarum, » veniunt non tantum oratio propria missæ, et commemorationes speciales vel communes, sed etiam ceteræ votivæ late dictæ, non autem votivæ stricte dictæ, nec oratio pro defunctis de qua agunt Novæ Rubricæ tit. X, n. 5 (2).

5/ In missis in quibus vi rubricarum jam dicta est oratio de eodem objecto ac imperata. Quodsi dicta sit oratio eisdem verbis concepta sed de diverso objecto, imperata mutanda esset in aliam orationem congruentem, si suppeteret; sed quum hæc rarius inveniatur, solet omitti (n. 3164).

Ita imperata oratio pro Papa omittenda est in die anniversaria electionis aut coronationis Summi Pontificis (n. 3213, 1) aut consecrationis Episcopi, non vero in missis in quibus tertia oratio præscribitur « *Ecclesiæ* vel pro Papa »: oratio *Ecclesiæ* dicenda est vi Rubricarum pro tertia oratione, et pro Papa dicitur ex mandato Episcopi (n. 4070, 1); nec dicenda est imperata de Spiritu Sancto in missa votiva de Spiritu Sancto aut in missa de die infra octavam B. M. Virg. in qua recitanda est commemoratio communis de Spiritu Sancto (*Collat. Brug.*, t. XII, p. 596).

III. **Quo loco seu ordine?**

1/ Imperata communis semper dicenda est post orationem propriam missæ, post omnes commemorationes speciales aut communes, imo post alias votivas late dictas (de SS. Sacramento et de anniversario Papæ aut Episcopi), sed ante omnes orationes votivas stricte dictas (3).

---

(1) *Novæ Rubricæ*, tit. XI.

(2) Oratio enim illa pro defunctis certe non est « a rubrica præscripta ». Dicit enim textus tit. X, n. 5: « *Licebit*... prout *permittit* Rubrica Missalis ». Cf. suprà p. 207. Sed post declarationes extensivas factas de oratione tertia in missis in quibus commemoratur semiduplex, exspectanda erit nova declaratio de hac oratione pro defunctis.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 255 s.

2/ Si tamen injuncta sit oratio pro defuncto vel defunctis, servanda est regula juxta quam: a/ in missis *Requiem* oratio *Fidelium* semper debet esse ultima; b/ in aliis missis oratio pro defunctis (sive *Fidelium*, sive alia quædam) semper dicenda est « *penultimo loco* juxta Rubricas Generales Missalis Romani, tit. VII, n. 6 » (1).

3/ Si plures simul injungantur orationes imperatæ, recitandæ sunt non ordine temporis quo injunctæ fuerunt, sed secundum ordinem dignitatis et si sumantur ex orationibus diversis in fine Missalis, ordine quo ibidem prostant.

4/ Imperata communis nunquam dicenda est sub unica conclusione cum oratione propria Missæ.

5/ Imperata nunquam venire potest in locum et vicem alicujus orationis a rubricis præscriptæ, nec ideo compuri potest ad attingendum numerum trium orationum in missis ritus semiduplicis attingendum; sed in missis

---

(1) Quomodo nunc intelligenda sunt illa verba: **penultimo loco?** Olim plures auctores ea sic interpretabantur: penultimo loco *inter orationes a rubricis præscriptas*, nulla habita ratione sive collectæ imperatæ, sive orationum ad libitum celebrantis additarum (cf. *Collat. Brugen.*, t. II, p. 357 ss. et XIV, p. 495). Verum decreto 31 mart. 1909, ad VII (ap. *Collat. Brug.*, t, XIV, p. 493). S. Rit. Congregatio, licet non speciatim hac de re interrogata, sponte sua eadem verba ita declaravit: « penultimo loco *inter orationes omnes quæ eadem die tam ex rubricarum præcepto, quam ex Ordinarii mandato aut ad celebrantis placitum adjungantur*, juxta Rubricas Generales Missalis Romani tit. VII, nº 6 ». Res videbatur penitus et auctoritativo modo aliquata et hanc interpretationem authenticam notavimus et ad praxim deduximus (*Collat. Brugen.*, t. XIV. p. 495, t. XVI, p. 205. Cf. Calendar. liturgic. ab anno 1910, diebus quibus dicenda est oratio *Fidelium*). Sed ecce mense proxime elapso prodiit *Appendix* (vol. VI) *collectionis decretorum authenticorum S. Rit. Congr.* ab anno 1900, num. 4052 ad annum 1911, num. 4284, et ibi refertur sub n. 4235, ad V, responsum supra citatum diei 31 martii 1909, sed suppressis verbis quæ sublineavimus, ita ut dicatur tantum: « et quidem penultimo loco juxta Rub. Gen. Miss. Rom , t. VII, n. 6 ». Jamvero Pius X Decreta « authentica declaravit » « prouti in eodem volumine apponuntur et in indice explicantur ». Ex quibus concludendum videtur redeundum esse ad priorem communiorem sententiam: in missis quæ non sunt *Requiem*, oratio pro defunctis semper dicenda est *penultimo loco inter orationes a rubricis præscriptas*.

ritus simplicis computatur ad attingendum numerum quinarium vel septenarium qui requiritur si sacerdos velit orationem addere ex proprio libitu.

Scholion. In præcedentibus actum est unice de imperata prout communiter injungitur. Verum potest Romanus Pontifex aut etiam Episcopus extraordinariam præscribere collectam imperatam « pro re gravi » (n. 3365, 3), qualis a Pio IX præscripta fuit tempore Concilii Vaticani. Hujusmodi collecta non esset omittenda in missis sub nn. 2/, 3/ et 4/ exceptis. In festis duplicibus primæ classis dicenda est sub unica conclusione cum oratione festi (nisi facienda sit alia commemoratio: quia tunc ultimæ orationi præceptæ conjungitur); in festis vero duplicibus secundæ classis dicitur sub altera conclusione (nn. 3211; 3365, 3).

C. Callewaert.

CERCLES D'ÉTUDES

APOLOGÉTIQUES ET SOCIALES.

Il y a quelques mois, nous avons signalé, ici-même (1), la série de brochures *(Geloofs-Onderricht, Reeks C, Brugge)* éditées sous le bienveillant patronage et avec la haute approbation de Sa Grandeur Mgr l'Évêque, en vue de promouvoir les œuvres d'instruction et d'éducation religieuses et sociales de la jeunesse. — Parmi ces œuvres, une des plus importantes, sinon la principale de toutes, est sans conteste celle des *Cercles d'études.*

En face de la déchristianisation de la société toute entière, qui se poursuit d'après un plan systématique et malheureusement trop efficace, grâce aux armes et aux ressources de tout genre dont la franc-maçonnerie dispose, — quel est le prêtre qui ne sente la nécessité d'un travail plus intense, susceptible d'opposer une digue aux flots débordants de l'incrédulité et de l'immoralité ?

Loin de nous la pensée de prononcer ici le mot de négligence, (sauf peut-être de ci de là dans les graves devoirs à remplir en matière scolaire) alors que le monde catholique est témoin d'un admirable épanouissement d'œuvres religieuses et sociales, qui précisément concernent la jeunesse en tout premier lieu. Mais néanmoins, quel est le prêtre qui ne s'avoue parfois, en face de tout d'œuvres à instituer, à soutenir et à promouvoir, l'insuffisance de ses efforts isolés, fussent-ils même appuyés sur le levier de la plus tenace volonté ?

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 486.

En fait, ce qu'il faut de nos jours, outre l'enseignement assidu à l'église, à l'école, et dans toutes les réunions pieuses, c'est *former une élite* d'hommes d'œuvres, une équipe de chrétiens trempés, instruits et éduqués, un noyau de coopérateurs et d'apôtres du bien social et religieux qui soutiennent le prêtre dans ses travaux et décuplent le fruit deses efforts.

Or la formation de cette élite est essentiellement *l'œuvre des cercles d'études*. Ceux-ci en effet ont pour mission de « rechercher dans chaque paroisse et principalement parmi les jeunes gens, tant de la bourgeoisie que de la classe ouvrière, ceux qui, plus intelligents et plus sérieux que la masse, s'intéressent aux questions apologétiques et sociales; de les réunir pour étudier en commun ces questions; de faire d'eux, par l'apostolat de la parole et de l'exemple, des artisans du bien, intelligents et instruits, de solide vertu, de modeste mais réelle influence » (1).

Dans cet ordre d'idées, nos confrères nous sauront gré de leur signaler un ouvrage récent: *Cercles d'études apologétiques et sociales — Formation de l'élite* (2). — Voici ce qui a donné naissance à ce volume.

Intimement persuadé de la nécessité des cercles d'études, *le Sécrétariat général des œuvres apologétiques* (Section française) établi à Louvain, a pris l'an dernier l'heureuse initiative d'une Journée des cercles d'études apologétiques. Cette réunion s'est tenue à Louvain, le 19 Septembre 1911. Les organisateurs avaient pris soin de combiner les sujets des rapports de telle façon que la question des cercles fût traitée complètement, et ils avaient choisi pour rapporteurs des hommes qu'une longue et judicieuse pratique avait tout désignés pour cette tâche; c'est ainsi qu'ils nous offrent aujourd'hui, dans un volume de 376 pages, un manuel pratique du

(1) O. c. p. 28.
(2) Librairie de l'Action catholique, Bruxelles. — Prix 3,50 fr.

directeur des cercles d'études, manuel vraiment utile et parfaitement autorisé.

Force nous est — quel que soit notre désir d'en dire davantage — de nous borner à une simple nomenclature des rapports présentés à la journée de Louvain: La *nécessité* des cercles d'études; — son orientation *apologétique;* — son orientation *sociale;* — son *organisation technique;* — la formation *morale* au cercle d'études; — un *lien* doit-il unir les cercles d'études?

Qu'on lise ces pages judicieuses, et les objections courantes qui empêchent de ci de là l'érection ou paralysent la bonne marche des cercles s'en iront en fumée. Qu'on parcoure aussi l'exposé et la discussion des différentes méthodes préconisées pour inculquer aux membres l'instruction religieuse et sociale; ces méthodes, — croyons-nous — peuvent se combiner assez aisément, et leur application dépendra d'ailleurs des aptitudes et partant des préférences des Directeurs. Signalons en particulier la note du R. P. Dom Lambert Bauduin de l'abbaye du Mont-César à Louvain, sur l'*initiation liturgique* à donner aux membres des cercles d'études, initiation qui est de nature, non seulement à *instruire* dans la vérité chrétienne, mais encore à promouvoir parmi les membres la *pratique* et la *vie* chrétiennes, ce qui rentre évidemment dans le but des cercles (1).

Enfin relevons dans le volume qui nous occupe les pages si belles et si pleines de vérité qui mettent en lumière l'influence sacerdotale: la prédication du prêtre, — son exemple, — sa vie intérieure. « Le prêtre parlera, le prêtre prêchera d'exemple et se livrera sans réserve, mais surtout, le prêtre puisera la fécondité de son action dans la sainteté d'une vie vraiment sacerdotale » (2). De fait « il n'y a qu'un principe

(1) Nous espérons pouvoir donner bientôt, dans la série C des brochures de *Geloofs-onderricht*, à côté des schémas d'ordre dogmatique ou social, des schémas de conférences liturgiques.

(2) p. 192.

de vie et d'action, il n'y a qu'une source d'apostolat fécond : c'est la grâce de Dieu. Notre rôle à nous — et c'est à la fois notre gloire incomparable — est de mériter pour les autres, pour ceux-là qu'atteint notre apostolat, ces grâces qui convertissent et sanctifient. Il n'y a qu'une ressource pour les obtenir : une vie intérieure intense... Tout est là » (1). « *Soyons des Saints*. C'est le secret de toutes les œuvres, mais avant tout c'est le secret des œuvres d'éducation chrétienne, où il s'agit de faire des chrétiens » (2).

A. VANDER HEEREN.

---

(1) p. 203.

(2) On trouvera en annexe de l'ouvrage :

1. Un dizaine de monographies de cercles d'études, exposant la genèse de leur formation, les règlements qui les régissent, les résultats qu'ils ont donnés, etc.;

2. Quelques plans de travaux à titre de spécimens, pour cercles d'études, se rapportant à l'existence et à la nature de Dieu, à l'athéisme et au problème du mal ;

3. Quelques documents, et

4. Une bibliographie assez bien fournie d'ouvrages généraux concernant la religion, la liturgie, la sociologie, l'histoire, etc., où l'on pourra puiser la matière de l'enseignement à donner dans les cercles.

S. Congregatio Rituum

I

LITTERÆ CIRCULARES (1).

Ad Rev^mos locorum ordinarios quoad Propria officiorum diœcesana.

Ill^me et R^me Domine, uti Frater,

Quum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ X magnæ curæ sit, ut Breviarii Romani reformatio ad unguem perficiatur; operæ pretium erit, etiam lectiones historicas cuique diœcesi proprias ad trutinam revocare. Quamobrem gratissimum Summo Pontifici fecerit Amplitudo Tua, si pro virili curabit, ut in ista diœcesi Tibi commissa, viri periti eligantur qui, conlatis consiliis, historicas lectiones quas supra dixi, diligenter examinent easque cum vetustis codicibus, si præsto sint, aut cum probata traditione conferant. Quod, si reperierint eas historias contra fidem codicum et solidæ traditionis in aliam formam a nativa degenerasse, omni ope adlaborent ut vera narratio restituatur.

Omnia vero maturius expendenda sunt, ne quid desit ex ea diligentia, quæ collocanda est in reperiendis codicibus, in eorum variis lectionibus conferendis et in vera traditione observanda. Nec profecto opus est festinatione: putamus enim spatium ad minus triginta annorum necessarium, ut Breviarii reformatio feliciter absolvatur.

Interea cum opus in ista diœcesi perfectum fuerit; Amplitudo Tua ut illud ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem mittatur, pro sua pietate sataget: ita tamen, ut si quid in lectionibus historicis additum vel demptum aut mutatum fuerit, rationes quæ ad id impulerunt, brevi sed lucida oratione afferantur.

---

(1) Cf. *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 376.

Dum hæc, de speciali mandato Summi Pontificis, Amplitudini Tuæ significo, diuturnam ex animo felicitatem adprecor.

Romæ, die 15 maii 1912.

Amplitudinis Tuæ

Uti Frater addictissimus

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*

L. ✠ S. ✝ Petus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

Nota. Hisce similes litteræ missæ sunt ad Præpositos generales Ordinum seu Congregationum Religiosorum, quoad Propria Officiorum ipsis concessa.

II

SOCIETATIS MISSIONARIORUM SACRATISSIMI CORDIS JESU (1).

Dubia.

Hodiernus redactor calendarii Societatis Missionariorum sacratissimi Cordis Jesu de consensu sui R^mi^ Procuratoris generalis, a sacra Rituum Congregatione humillime petiit solutionem insequentium dubiorum, nimirum:

I. Lectiones II Nocturni in festo S. Agnetis V. M. suntne historicæ, ita ut legi possint et debeant tanquam IX lectio si idem festum ob occurrentiam festi superioris ritus vel dignitatis simplificetur?

II. In Completorio post II Vesperas Dominicæ Palmarum debentne dici preces, quando in Vesperis facta sit commemoratio duplicis die sequenti occurrentis, proindeque simplificati?

III. In locis in quibus festum Beati Gasparis del Bufalo, Confessoris, recolitur sub ritu duplici majori vel minori, dicendæne sunt lectiones I Nocturni propriæ, an potius de Scriptura occurrente?

IV. 1° Antiphonæ et psalmi ad Matutinum Commemorationis omnium SS. Romanorum Pontificum, e communi

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 419.

Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria ut recitari debeant etiam si ejusmodi festum celebretur sub ritu duplici majori vel minori; an potius, utpote de communi desumpta, cedere debent antiphonis et psalmis de feria?

2° Idemque estne dicendum de responsoriis I Nocturni, ita ut, omissis lectionibus de Scriptura occurrente, recitandæ sint lectiones « Laudemus viros » de communi?

V. Infra octavam Commemorationis solemnis sanctissimi Corporis D. N. J. C., si fiat commemoratio duplicis simplificati, debentne adjungi tertia oratio, an potius omitti?

VI. 1° In Missis de vigilia vel de feria propriam Præfationem non habente, dicendane est Præfatio propria festi vel octavæ cujus factum sit officium?

2° Itemque in eisdem Missis dicendumne est *Credo* ratione festi vel octavæ symbolum habentis?

VII. In Missis pro Sponsis, sicut in aliis Missis votivis ex privilegio celebratis, in duplicibus adjungendane est tertia oratio?

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative (1).

Ad II. Negative (2).

Ad III. Serventur propriæ, si fuerint concessæ, juxta novas Rubricas, tit. I, n. 4.

Ad IV. Quoad 1um affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — Quoad 2um affirmative.

Ad V. Omittatur tertia Oratio (3).

---

(1) Desumuntur enim ex pulcherrima oratione panegyrica quam S. Ambrosius Mediolani, circa annum 375, habuit in festo S. Agnetis, et in laudem ac honorem vergit Breviarii Romani quod, ad exponenda pauca quæ novimus de vita et martyrio S. Agnetis, elegerit hanc orationem potius quam excerpta quædam ex legendaria compilatione sæculi V, cui titulus *Gesta sanctæ Agnes*, ex qua deprompsit plura responsoria et antiphonas quæ nata sunt fovere pios admirationis sensus magis quam docere nos veram sanctæ virginis historiam.

(2) Indubium erat responsum quia Completorium sequitur regulas in Vesperis servandas quoad influxum duplicis commemorati (t. VII, 4). Cf. *Collat. Brug.*, suprà p. 202.

(3) Responsum ad V et ad VII est mera applicatio principii nunc

Ad VI. Quoad 1um affirmative (1). — Quoad 2um negative.
Ad VII. Negative.
Atque ita rescripsit ac declaravit, die 24 maii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

S. Congregatio de Sacramentis

DECRETUM (2).

Circa impedimentum ex adulterio cum attentatione matrimonii proveniens.

Non raro accidit, ut qui ab Apostolica Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato, vel documentum libertatis ob præsumptam mortem conjugis obtinuerunt, ad consulendum suæ animæ saluti, novum matrimonium in facie Ecclesiæ cum iis celebrare velint cum quibus, priore vinculo constante, connubium mere civile, adulterio commisso, contraxerunt.

Porro quum ab impedimento proveniente ex adulterio cum attentatione matrimonii, quod obstat in casu (3), peti ut plurimum haud soleat dispensatio, SSmus D. N. Pius Papa X, ne matrimonia periculo nullitatis exponantur, de consulto Emorum Patrum sacræ hujus Congregationis de disciplina Sacramentorum, statuit ut in posterum dispensatio a dicto

indubie in missa admissi de influxu duplicis in missa commemorati. Cf. tit. VII, 4; decr. 22 mart. 1912, ad V (suprà p. 345 et 347 s.); decr. 19 apr. 1912, ad VIII (suprà p. 410); decr. 12 maii 1905, ad II et III (suprà p. 410); decr. 10 nov. 1906 ad II (*Collat. Brug.*, t. XII, p. 220. coll. t. XIII, p. 384).

(1) Responsum ad VI, 1um jam indubie sequebatur ex pluribus responsis recentioribus de præfatione. Cf. suprà p. 410, nota 5.

(2) *Acta Apost. Sedis*, IV, p. 403.

(3) Hisce firmatur sententia communior Auctorum docentium criminis impedimentum oriri en adulterio conjuncto cum matrimonio civili, a. v. matrimonium sic dictum civile constituere in hac re attentationem matrimonii.

impedimento in casu concessa censeatur per datam a S. Sede sive dispensationem super matrimonio rato et non consummato, sive permissionem transitus ad alias nuptias.

Quoad præteritum vero eadem Sanctitas Sua matrimonia quæ forte ex hoc capite invalide inita fuerint, revalidare et sanare benigne dignata est.

Idque per præsens ejusdem sacræ Congregationis decretum promulgari jussit, quibuslibet in contrarium non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus ejusdem sacræ Congregationis, die 3 mensis junii, anno 1912.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Præfectus.*
Ph. Giustini, *Secretarius.*

S. Congregatio de Religiosis

I

Dubia circa Tertios Ordines Sæculares (1).

In plenario Eminentissimorum Patrum Cœtu habito ad Vaticanum die 24 Novembris 1911, sequentia dubia proposita fuerunt circa Tertium Ordinem Sæcularem S. Francisci Assisiensis:

I. Utrum *Congregationes* Tertii Ordinis S. Franc. Ass. ab una obedientia Primi Ordinis vel a Tertio Regulari Ordine erectæ, possint, inconsultis vel invitis Superioribus qui ipsas erexerunt, ad aliam obedientiam valide transire?

II. Utrum *eædem Congregationes* ab una Obedientia ut supra erectæ et a Fratribus alterius Obedientiæ in eadem Provincia vel Civitate commorantibus directæ, adhuc sint sub depen-

(1) Fraternitates locales Tertii Ordinis Sæcularis dependent seu sunt sub obedientia ipsius Ordinis Regularis a quo erectæ sunt: ita Congregationes Sæculares Tertii Ordinis S. Francisci dependent aliæ a FF. Minoribus Unionis, aliæ a Conventualibus, aliæ a Capucinis; Tertiarii Sæculares Ordinis Carmelitarum dependent sive a calceatis sive a discalceatis Carmelitis. Præsentibus decretis regulantur hæ relationes obedientiæ. Cfr. *Nouvelle Revue théologique*, 1912, p. 363 suiv.

dentia primæ Obedientiæ — *erigentis* — ita ut hæc possit *easdem Congregationes* visitare et ea omnia perficere quæ de jure requiruntur in legitima jurisdictione?

Et E^mi^ Patres, re mature perpensa, reposuerunt:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *In voto Consultoris,* seu: *Si directio Congregationis Tertiariæ ab una Familia Franciscali prius erectæ legitime commissa fuerit Fratribus alterius Familiæ,* Negative; *secus,* Affirmative.

Quas resolutiones SS^mus^ D. N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 6 Decembris 1911, approbare et confirmare dignatus est.

Jos. Cal. Card. Vives, *Præfectus.*
† Donatus Archiep. Ephesin., *Secretarius.*

II

Præpositus Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Huic S. Congregationi exponit sæpe accidere ut Tertiarii sæculares Carmelitarum Antiquæ Observantiæ et respective Carmelitarum Excalceatorum, cooptari exoptent Congregationi alterius Obedientiæ ratione mutati domicilii vel etiam ratione commoditatis. Relate ad Tertiarios Sæculares S. Francisci Assis. nullum dubium, cum extet Decretum S. Congr. Indulgentiarum diei 4 Martii 1903, quod statuit (1):

1° Ut novitii tertiarii sæculares S. Francisci professionem emittere valeant in Congregatione alterius obedientiæ, seu diversæ ab illa in qua ad novitiatum fuerant admissi, si melius eorum commoditati provideatur.

2° Ut professi eadem de causa transire possint ab una Congregatione ad aliam diversæ obedientiæ.

3° Ut Parochus, vel quilibet Sacerdos alicujus Congregationis Tertiariorum Moderator, si alio transferatur ubi alia Congregatio diversæ Obedientiæ reperiatur, eamdem regere possit quin indigeat nova approbatione; teneatur tamen hac de re certiorem facere Visitatorem Regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat.

(1) Vide hoc decretum adnotatum apud *Collat. Brug.*, t. VIII (1903) p. 447 ss.

Sed hujus Decreti occasione, nonnullis Ordinariis et Sacerdotibus ortum est dubium, quod Præpositus Generalis Ord. Carm. Excalc. solvendum proponit huic S. Cong.:

« An Decretum S. Congr. Indulgentiarum diei 4 Martii 1903 valeat quoque pro Tertiariis sæcularibus utriusque Obedientiæ Carmelitanæ? ».

SS^mus^ vero D^nus^ N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Præfecto, attenta identitate rationum, *affirmative* respondere dignatus est (1).

Die 16 Januarii 1912.

Jos. Cal. Card. Vives, *Præfectus*.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

I

Erectio piæ unionis pro communione prima puerorum ad S. Claudii de Urbe in primariam unionem, cum facultate aggregandi in universo terrarum orbe (2).

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Sublimem Divi Petri Cathedram Nobis divinitus obtinentibus in terris, ob singulare studium quo erga Sacramentum amoris ducimur, nihil antiquius est, quam ut pueri obsitum periculis vitæ iter suscipientes, puro corde ad Eucharisticas dapes se sistant, ac tempestive, antequam mundi sordes innocentiæ speculum obtegant, tanti mysterii gratia muniantur. Hac provida mente de ætate admittendorum ad primam communionem eucharisticam decretum edidimus, quod incipit verbis « Quam singulari », et non sine magna animi Nostri lætitia comperimus in hac Alma Urbe ad S. Claudii a Dilecto Filio Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus Generali canonice erectam fuisse piam Unionem cui titulus a Prima Communione Puerorum. Hæc enim Unio frugiferum ad finem intendit tum propagandi inter populos illius Decreti

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 143-144.
(2) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 49-50.

cognitionem et implementum, tum instituendi pueros ad normam superenunciati Decreti, ut rite instructi et apparati ad Sacram Synaxim prima vice accedant, ac durante pueritia Angelorum Pane se frequenter reficiant. Nunc autem cum hodiernus Procurator Generalis Congregationis a SSmo Sacramento Nos enixis precibus flagitet, ut ipsam piam Unionem ad Primariæ gradum pro universo Catholico Orbe evehere de benignitate Nostra dignemur; Nos tam frugiferæ Societatis cœptis ultro libenterque faventes, ut uberiora in dies incrementa capiat et in Catholici nominis bonum atque emolumentum eadem, favente Deo, magis magisque succrescat, optatis his annuendum propensa voluntate existimamus. Quare his Litteris, auctoritate Nostra, piam Unionem a prima Communione Puerorum hac in Alma Urbe ad S. Claudii canonice erectam in Primariam pro universo Catholico Orbe perpetuum in modum erigimus atque instituimus, illique privilegia omnia et prærogativas tribuimus, quæ Primariis Unionibus de jure competunt. Porro piæ Unionis ejusdem sic in Primariam per Nos erectæ Moderatori atque Officialibus præsentibus et futuris, Apostolica similiter Nostra Auctoritate, per præsentes concedimus, ut ipsi, servatis forma Constitutionis Clementis PP. VIII rec. me. Decessoris Nostri aliisque Apostolicis Constitutionibus atque ordinationibus desuper editis, alias omnes ejusdem tituli atque instituti pias Uniones canonice ubique terrarum, sive erectas in præsens sive erigendas in posterum, vel etiam ubique singillatim fideles, sibi aggregare queant; et cum illis indulgentias omnes ipsi Primariæ Unioni a Sede Apostolica concessas, quæ cum aliis communicari valeant, communicare licite etiam possint. Decernentes præsentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper extare ac fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, plenissime suffragari: sicque rite judicandum esse ac definiendum irritumque et inane fieri, si secus quidquam super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die IV Januarii MDCCCCXII, Pontificatus Nostri anno nono.

L. ✠ S.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

II

Conceduntur peculiaria privilegia piæ unioni pro communione puerorum in alma urbe erectæ (1).

Ad perpetuam rei memoriam. — Societates fidelium canonice institutas præcipue ad finem bonorum operum exercitationem provehendi, Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum vestigiis hærentes, cœlestium munerum largitione, quorum dispensationem Nobis divinitus commisit Altissimus, libenti quidem animo locupletare gaudemus. Hoc consilio, cum Procurator generalis Congregationis a Sanctissimo Sacramento Nos enixis precibus flagitet ut piæ Unioni pro Communione puerorum canonice erectæ in hac Alma Urbe ad S. Claudii, quam Nos per similes Apostolicas Litteras sub piscatoris annulo obsignatas die IV mensis Januarii vertentis anni ad Primariæ dignitatem eveximus, peculiares nonnullas gratias de Apostolica benignitate concedere dignemur, piis votis hujusmodi annuendum propensa voluntate existimavimus. Quæ cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Ejus auctoritate confisi, auditis etiam VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, omnibus et singulis fidelibus qui in Primariam eandem Unionem pro Communione puerorum in posterum ingredi constituerint, si die primo suæ in societatem ipsam inscriptionis, admissorum confessione rite expiati et cœlestibus epulis refecti, quamvis ecclesiam vel publicum oratorium visitent, ibique pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præterea tam inscriptis, quam pro tempore in posterum inscribendis super enunciata in Primaria Unione sociis qui quotannis, quo die festum Sanctissimi Corporis Christi Domini in Ecclesia agitur, ac festis diebus Sancti Tarsicii Martyris, Sancti Thomæ Aquinatis et Sancti Paschalis Baylon, nec non feria quinta hebdomadæ majoris, a meridie diei præcedentis ad solidum usque respectivæ festi-

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 361-362.

vitatis diem, similiter sacramentali admissorum confessione rite peracta, atque Angelorum epulis recreati, quamvis ad ecclesiam sive ad publicum oratorium effundentes, ut supra, preces, se sistant, quo die id peragant, plenariam quoque peccatorum indulgentiam largimur. Insuper sociis ipsis nunc et in posterum Primariam prædictam in Unionem sive adlectis sive adlegendis si, die quo ad sacram Communionem prima vice suscipiendam puerum aliquem ad altare ducant, ibi se etiam ipsos S. Eucharistia reficiant; pariterque si, die quo generalis habetur puerorum Communio, ad Sacram Synaxim accedant in ecclesia ubi hujusmodi supplicium celebratur, nec non rite, uti antea præscriptum fuit, orent, etiam plenariam, ut diximus, indulgentiam et peccatorum remissionem tribuimus. Tandem eisdem nunc et in posterum pariter existentibus hujus Primariæ Unionis sociis, quoties aliquid pietatis sive caritatis, opus secundum Sodalitii tabulas ac finem, contrito saltem corde, exerceant, toties de pœnalium dierum numero, in forma Ecclesiæ consueta centum expungimus. Fas denique sit ipsis sociis præsentibus et futuris plenariis his omnibus ac partialibus indulgentiis functorum vita labes pœnasque, si malint, expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuo valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MCMXII, Pontificatus Nostri anno nono.

L. ✠ S.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

Adnotatio. In ordine ad promovendam executionem præclari decreti « Quam singulari Christus amore, » Romæ canonice erecta fuit a Cardinali Vicario Urbis, « *Pia unio pro communione prima puerorum* », in ecclesia S. Claudii quæ est simul sedes consociationis « *Ligue sacerdotale eucharistique* ». Hanc piam unionem SS. Pater primo Brevi ad gradum Primariæ pro universo catholico orbe evehit cum facultate aggregandi, secundo vero Brevi peculiarium gratiarum largitione locupletat. En gallice translata statuta hujus Unionis (1).

(1) Vide textum italianum in *Il Monitore ecclesiastico*, 1912, p. 34 ss

ARTICLE I

Une association, portant le titre de *Pieuse Union pour la communion des enfants,* est établie à Rome dans l'église de Saint-Claude.

ARTICLE II

Le but de cette *Pieuse Union* est de contribuer à répandre la connaissance et l'exécution du décret de la Sacrée Congrégation des sacrements qui commence par les mots : *Quam singulari Christus amore*, du 8 août 1910.

ARTICLE III

Peuvent faire partie de cette *Pieuse Union* tous ceux qui veulent s'employer activement à ce que les enfants s'approchent le plus tôt possible de la sainte Table, et continuent à fréquenter la Table Eucharistique.

ARTICLE IV

Peuvent par conséquent, s'y faire inscrire non seulement les ecclésiastiques, mais encore les laïques (parents, éducateurs, catéchistes, etc.), qui se proposent d'exercer leur zèle à l'égard des enfants de leur famille ou de leur Institut, et aussi dans la mesure du possible à l'égard d'autres enfants, surtout ceux de leurs proches, de leurs amis ou connaissances.

ARTICLE V

Les associés exerceront principalement leur zèle à exciter les enfants à la Communion, à peine leur intelligence s'ouvrira à l'usage de la raison, à leur enseigner les choses qu'ils doivent connaître, à les amener à l'autel et à leur suggérer de brefs exercices pour la préparation et pour l'action de grâces.

ARTICLE VI

En outre, ils auront soin que les enfants, après la première communion, continuent conformément à l'art. VI du décret à s'approcher fréquemment de la Table sainte, si possible

---

Cfr. *Annales des Prêtres-Adorateurs,* 1912, p. 69 ss. Ibi quoque prostat decretum erectionis *Piæ unionis* in S. Claudio Romæ a Cardinali Vicario latum.

tous les jours mais au moins les jours de fête les y aidant convenablement, et qu'ils fréquentent le catéchisme.

Article VII

Pour atteindre le but de la Pieuse Union :

1° Chaque membre recevra une *Instruction pratique* ou *Commentaire Sommaire* du dispositif du décret.

2° Les associés réciteront chaque jour la prière spéciale ou bien un *Pater* et un *Ave* avec l'invocation : *Notre-Dame du Très Saint Sacrement, priez pour nous.*

3° En outre, chaque membre s'appliquera, dans la mesure qui lui sera possible, aux œuvres recommandées dans la brève instruction pratique mentionnée ci-dessus.

Article VIII

Le Directeur de la *Pieuse Union* est le même que celui de la *Ligue sacerdotale eucharistique* établie dans l'église Saint-Claude, et dont la nomination se fait par Son Eminence le Cardinal-Vicaire.

Article IX

L'organe de la *Pieuse Union* sera le périodique mensuel intitulé : « *L'Emmanuel, Messager du Très Saint Sacrement* », qui se publie en différentes langues.

Prière à réciter par les membres de la *Pieuse Union*.

Seigneur Jésus, qui avez dit : « Laissez venir à moi les petits enfants », et qui avez institué l'admirable Sacrement de l'Eucharistie pour vous donner à eux comme la sauvegarde de leur innocence : ayez pitié des petits enfants qui sont encore dans la sainteté de leur baptême, et daignez leur conserver ce trésor en venant dans leur cœur par la communion pour les défendre contre Satan ; conservez en eux la grâce, la pureté, la simplicité, la candeur de l'enfance ; préservez-les du péché et de ses châtiments : afin qu'il passent leur vie entière dans votre amitié et que vous puissiez, après avoir pris en eux vos délices sur la terre, leur accorder au ciel la béatitude que vous avez promise aux cœurs purs. — Ainsi soit-il.

Notre Dame du Très Saint Sacrement, priez pour nous.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

A. Vermeersch, S. J. *La tolérance*, (Bibliothèque de la Société d'études *morales et juridiques*. Fasc. 4.) Louvain, Uystpruyst; Paris, Beauchesne, 1912, in-12, XII-431 p. F. 4.

Le livre très actuel et très moderne du R. P. Vermeersch étudie le problème si ardu et si préoccupant de la tolérance considérée sous toutes ses formes, au point de vue privé et public, doctrinal et pratique, civil et religieux, dans le passé, le présent et le futur. D'aucuns rejetteront certaines opinions, signaleront des lacunes, critiqueront la marche un peu à l'aventure de l'exposé; tous reconnaîtront que cette monographie abonde en considérations profondes et originales, qu'elle contient des études fort remarquables, qu'elle aboutit à maintes conclusions définitives, qu'elle propose une doctrine consolante et pacifiante, qu'elle est à lire et à consulter par tous ceux qui s'occupent de sciences morales, sociales et juridiques.

Signalons quelques points particuliers.

On prendra connaissance avec un vif intérêt, de la dissertation sur *l'Église et le droit de glaive*, où l'auteur, s'écartant de la doctrine proposée par Bellarmin, Lugo, et d'autres plus récents etc., s'appuie sur des arguments d'autorité, de tradition et de raison pour en arriver à la conclusion suivante: Ni d'elle même, ni par concession de l'État, l'Église ne peut, comme telle, porter des sanctions temporelles *irréparables*; Elle possède de droit et a possédé en fait le pouvoir de décréter toutes les autres peines temporelles et d'invoquer pour leur application l'appui du bras séculier; mais, si nous voulons nous en rapporter au pouvoir originaire de l'Église, à celui qu'elle possède partout et toujours, nous estimons que sa puissance native se limite à ces peines, spirituelles et temporelles, qui trouvent leur sanction dernière dans la peine suprême de l'excommunication (p. 112 s.). — Le savant auteur traite longuement de l'*Inquisition* et, bien qu'il se défende de vouloir faire œuvre d'historien, il a réussi à donner une idée exacte de la nature, du fonctionnement, de la signification sociale de cette institution, replacée dans son milieu et dans ses circonstances Il tient compte également de toutes les objections principales que la répression organisée de l'hérésie a valu à l'Église. Il est notamment d'avis que lorsque les Souverains Pontifes insistent pour l'application des édits répressifs des princes, ils ne font que reconnaître et rappeler à l'État son droit et son devoir de réprimer un crime social, subversif de l'ordre public au moyen âge. — Combien suggestive est la comparaison entre l'intolérance doctrinale et pratique des protestants, calvinistes, jacobins et athées, et celle de l'Église. L'une, se réclamant du scepticisme, de l'absolutisme de l'État, du dogme de la libre-pensée

est toujours tyrannique et violente, et aboutit à la proscription et à l'élimination du catholicisme. L'autre, dans le domaine dogmatique est basée sur la nature de l'acte de foi, dans le domaine disciplinaire elle s'inspire des nécessités de la société civile et religieuse, elle tient compte des principes et des faits, de la thèse et de l'hypothèse, ne visant jamais à violenter les consciences et à obtenir des conversions forcées. — Citons aussi le chapitre très solide sur les prétendus conflits de la science et de la foi.

L'Église catholique, dit excellemment le R. P. Vermeersch, est une école de tolérance. Elle fait un devoir à ses enfants de pratiquer dans leurs relations privées avec les dissidents, l'humilité, la justice et la charité, une conduite également éloignée de la faiblesse et de l'intransigeance. Elle leur recommande, dans le domaine des relations sociales, le souci du bien commun, le respect de tous les droits, la fidélité à toutes les promesses. Elle travaille effectivement à rallier toutes les bonnes volontés dans une même entente sociale, fondée sur une convention de tolérance pratique, inspirée et soutenue par la charité. Hélas! que n'est la conduite des adversaires plus proche de ce programme!

L'auteur nous permettra de formuler en terminant quelques critiques. Il nous semble que le caractère et les besoins de la société religieuse ne sont pas suffisamment mis en relief, là où il est question du droit pénal de l'Église et de la répression de l'hérésie. L'auteur n'a pas recherché les opinions des évêques et des auteurs ecclésiastiques relativement à l'octroi de la liberté des cultes aux XVIe et au XIXe siècles (1). Certaines monographies sur l'Inquisition, par exemple celle de Schäfer (2) pour l'Espagne, la critique de l'œuvre de Lea par Baumgartner (3), l'ouvrage d'Émile Faguet (4), de Rothenbücher (5) etc, auraient pu être mentionnés. Enfin un mot sur les procès de sorcellerie n'aurait point été déplacé.

A. De Meester.

Leo Bittremieux, C. I. C. M. *De Geheime Sekte der Bakkimba's*. Leuven. Reekmans-Vanderwaeren, 1911, Gr. in-8°, 204 blz., 14 platen. F. 7.

Dit boek bevat een omstandige beschrijving van al wat onze geleerde landgenoot, E. P. Bittremieux, na jarenlange, geduldige en vernuftige nasporingen, is te wete gekomen nopens een geheim genootschap in zijne Missie van Mayombe bestaande. De *Khimba*, volgens de bepaling van

(1) Voir De Schrevel, *Notes et documents pour servir à la biographie de Remi Drieux* dans les *Annales de l'Émulation de Bruges*, 1901, t. LI, p. 145 ss.; du même, *Remi Drieux, évêque de Bruges et les troubles des Pays-Bas*, dans la *Revue d'histoire ecclésiastique*, 1902, t. III, p. 349 ss.

(2) *Beiträge zur Geschichte des spanischen Protestantismus und der Inquisition im 16. Jarhundert*, 3 vol. Gütersloh, 1902.

(3) *Theologische Revue*, 1907, t. VI, col. 394 ss., 505 ss., 538 ss.

(4) *Le libéralisme*, Paris, s. d.

(5) *Die trennung von Staat und Kirche*, München, 1908.

den schrijver zelf, is « eene bijgeloovige vereeniging ter eere van *Mbumba Luangu*, de Regenboogslang, onder de hooge bescherming van den aardgeest *Mbenza*, voor de opleiding, de beproeving en het vermaak der jonge mannen, in weerwil van de plagerij der betooveraars ». Niemand wordt in de sekte toegelaten, zonder den proeftijd doorstaan te hebben; bij een *oud-khimba* gebracht, hebben de jonge lieden allerlei zaken en voorschriften te leeren, onder meer eene nieuwe geheime taal. Zeer eigenaardig zijn de plechtigheden der inlijving: de schijndood met de daaropvolgende grappige verrijzenis. De leden der *Khimba* — de *Bakhimba's* — gaan heel hun leven fier op hun lidmaatschap, en wanneer ze elkaar ontmoeten, houden ze er aan een blijk te geven van hunne kennis der geheime taal.

Anderen hebben de monographie van E. P. Bittremieux geprezen — en met recht — in opzicht van taal- en volkenkunde; wij noemen het vooral een verheugend feit dat van katholieke zijde, en wel voornamelijk van wege onze missionnarissen zelf, de handel en wandel der Congoleezen zoo wetenschappelijk wordt nagegaan. Dit zal ons best behoeden van die gevaarlijke veralgemeeningen nopens de godsdienstige overtuigingen en gebruiken der zoogezegde natuurvolkeren.

R. De Schepper.

E. Genicot, S. J. *Theologiæ moralis Institutiones*. Editio septima, quam recognovit J. Salmans, S. J. Bruxellis, Dewit, 1912. In-8°, 2 vol., 616 et 716 p. Pretium : 12 fr.

Sexta editione infra temporis spatium tribus annis brevius exhausta, novam edendam curavit R. P. Salsmans, in Collegio Lovaniensi Soc. Jesu theologiæ moralis professor, optime meritus in eo quod egregium opus, olim a P. Genicot conscriptum, iterata vice recognoverit quam sedulò.

Pluribus visum est pristinum opus Patris Genicot hinc inde alienum non fuisse a defectu inter moralistas, præsertim epitomatores, non parum vigente, quatenus nempe minus scientificè procedant et in multis quæstionibus satis ducant controversiam exponere, sententiam affirmantem proponendo et sententiam negantem, et utrique — signanter benigniori — probabilitatem agnoscendo, statim ac præsto est quædam probabilitas extrinseca, absque sufficiente scrutatione veritatis objectivæ; unde fit ut controversiæ in æternum protrahantur, quarum non paucæ favore penitioris examinis dirimi possent, et semel pro semper extra litem poni.

Ideo utraque manu laudibus subscribimus quæ Doctissimo Editori obtigerunt, quatenus tractatus juventutem renovaverit illumque non tantùm recentiori Ecclesiæ disciplinæ, sed et modernæ scientiæ theologicæ placitis magis accomodaverit. Cæterum hasce præsentes *Institutiones* commendant præclares dotes quibus prima jam editio eminebat, dilucida scil expositio ac concinnitas sermonis (1).

(1) *Collat. Brug.*, II, p. 111.

Nonnullas novas recens exortas quæstiones tangit Ed., inter quas sufficiat memorare controversiam de liceitate *vasectomiæ*, quam inhæsitanter solvit in sensum negativum (II, n. 507); necnon applicationem privilegii, articulo VIII Decreti *Ne temere* concessi, in casu quo sacerdos anterioritatis lege prohibetur assistere matrimonio, quod privilegium ad dictum casum entendi posse asseveranter docet (n. 500). Dubium nonnunquam propositum, utrum mulier posset veneream excitationem, quam mariti seminatio imperfectam reliquerit, perficere etiam in casu congressus ex parte viri onanisticè habiti, quod dubium in sensum benigniorem solvere videbatur editio sexta, nunc meritò, in quantum sapimus, solvitur in partem severiorem, denegata probabilitate sententiæ liceitatem affirmanti (n. 546, in nota).

Cæterùm volumina pervolventi pleræque solutiones occurrentes placuerunt, puta circa obligationem suscipiendi Confirmationem, quam gravem per se dari negat (n. 164); circa originem præcepti de præmittenda confessione S. Communioni, quod ex jure ecclesiastico derivandum optime vindicat (n. 192); circa validitatem absolutionis moribundo dandæ a sacerdote non approbato, præsente et non impedito approbato (n. 332); circa impotentiam ad matrimonium, quam meritò censet non obtinere in muliere castrata (n. 506); circa malitiam intrinsecam pronuntiationis divortii quam admittere renuit (n. 561), quamque probabilius removendam esse judicat ab actione officialis civilis, civiliter conjungentis personas quæ matrimonium attentare præsumunt, stante priori vinculo canonice valido (n. 562).

Ex alia parte æquo benignior videtur Ed. in excusando a severa lege jejunii eucharistici, salvo periculo infamiæ, neomistam vel etiam puerum primam Communionem solemniter instituturum, qui ipso solemnitatis mane aliquid cibi vel potus sumpserit (n. 202); item quod spectat sententiam qua ab integritate confessionis eximendam ducit pœnitentem, qui peccatum exponendo non potest non infamare complicem apud confessarium cui complex notus habetur (n. 295); contrà, in exponendo privilegium anno 1906 concessum in gratiam infirmorum non periclitantium, in ordine ad communicandum non servato jejunio, limites potius excedit severitatis, quatenus exigit, pro usu laudati privilegii, conditionem in tenore non insertam, impossibilitatem nempe moralem pro infirmo servandi legem (n. 202). Utile etiam fuisset, in tractatu de Extrema Unctione, verbum addere de controversia nondum sopita circa formam breviorem, quam in necessitate adhibendam indulsit C. S. O. (25 Apr. 1906); utrum scil. E. Unctio, sub illa formula ministrata, pro certò valida sit habenda — quod nobis indubitatum apparet — adeo ut conditionatæ iterationi non maneat locus (n. 418).

Censet P. S. (n. 451) parochum proprium in ordine ad proclamationes bannorum, parochum esse menstruæ commorationis, in eo nitens quod quasi-domicilium, sub nova disciplina Piana, « *in jure matrimoniali* jam non attendatur »: cum, in tenore decreti S. C. C., de die 28 Martii 1908, ad 5m, potius dicatur jam non esse rationem habendam quasi-domicilii « *in ordine ad licitam matrimonii celebrationem* »; quod non est omninò æquivalens. Tandem solutionem, tom. I, n. 569, propositam, circa

obligationem pro juvene ducendi puellam, a qua sub seria promissione matrimonii copulam obtinuerit, quæ solutio apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 745, improbatur, immerito, ut videtur, quoad substantiam servandam censuit.

A. De Smet.

W. Van den Hengel. *Gedachten over theorie en practijk der Katechese.* In-8, 145 bl. Utrecht, Electrische drukkerij v. h. St.-Gregoriushuis, 1912.

Men voelt altijd tegenzin wanneer men een werk in handen neemt waaraan eene inhoudstafel ontbreekt. Gelukkig zoo die ongunstige stemming algauw bij 't lezen verdreven wordt. Dit is hier nu heelemaal 't geval. Aanstonds voelt men zich aangegrepen door de treffende voorstelling van het verheven *doel* der katechese: « Jesus Christus uit te werken in de harten der kinderen » bl. 11. Diepe zielkunde ligt besloten in 't beschrijven en beoordeelen der drie *methoden*, tekst-verklarende, zaak-verklarende en genetische, en in het aangeduide *leerplan* voor vier verschillende klassen van leerlingen vinden we de gezonde en alleszins proevenswaardige vrucht van schrijvers ondervinding. — Had schrijver niet kunnen eenige wenken geven over de naaste bereiding der kinderen tot de plechtige H. Kommunie, een soort geestelijke afzondering, volgens de voorschriften van Rome? Ware het ook niet overeenstemmend met bovengemeld doel der katechese reeds in de kleine katechismusklas eene les te geven over het bovennatuurlijk leven, en deze les in het leerplan voor de hoogere klassen meer op den voorrang te plaatsen?

Id. *De Evangeliën van de Zondagen en van de voornaamste Kerkelijke Feestdagen.* In-8, 377 bl. Utrecht, Electrische drukkerij v. h. St.-Gregoriushuis, 1911. Pr. 1 f. 50.

« Deze bewerking van het welbekende boekje van H. Stieglitz [Evangelien Erklärung für die kath. Volksschule, Kösel, München] is bedoeld als een handleiding bij het onderwijs in de bijbelsche geschiedenis als leiddraad ten behoeve van de leiders van patronaten en jongelingenvereenigingen, als een handboek voor al degenen, die aan kinderen na het plechtig aannemen godsdienstonderwijs geven. » (Voorwoord). Iedere les bevat eene korte voorbereiding, den tekst van het Evangelie, den uitleg en de toepassing, en wordt besloten met eene kernspreuk zooals: « Christus komt als Rechter: oordeel u zelf. » « Christus komt als Zaligmaker: ga tot Hem. » « Onze lichamen zijn ledematen van Christus en tempels des H. Geestes. » enz. Evenals de uiteenzetting der theorie in 't voorgaande werk verdient deze practijke toepassing warm aanbevolen te worden. Hier ook ontbreekt eene tafel.

R. P. H. Banckaert, C. SS. R. *Retraite pour jeunes enfants.* Anvers, Stokmans. In-8, 330 p. Fr. 2,50.

Ce livre rendra plus facile à maint prêtre la tâche ardue et délicate

de préparer prochainement les jeunes enfants à la S. Communion. — La doctrine qu'il expose est bien adaptée à l'auditoire en vue. Nous serions heureux de signaler une nouvelle série d'instructions présentant les mêmes qualités, où la vie surnaturelle serait l'idée fondamentale et directrice, et la conclusion logique, une exhortation à la communion fréquente et quotidienne des enfants.

La Paroisse (La parole catholique) T. I In-8, XIII-654 p. Paris, Bloud, 1911. Pr. 4 fr.

Trois séries de discours recueillis par le Chan. J. Vaudon: l'installation dans la paroisse, la prise de possession de la paroisse, pour les prêtres de la paroisse. Ces derniers surtout, dus a la plume du P. Delaporte, supérieur général des prêtres de la miséricorde, méritent de retenir notre attention: les devoirs et les écueils de la vie sacerdotale y sont exposés avec l'éloquence vigoureuse d'une âme apostolique.

R. P. Lejeune, C. SS. R., *Les dons du St-Esprit dans le Père Huchant*, Rédemptoriste (1815-1888). In-12, 250 p. Paris-Bruges, Desclée-De Brouwer et Cie. Pr. 1 f. 50.

Voici le contenu de cet ouvrage. Première partie (doctrinale), petit traité sur les dons du Saint-Esprit (1); deuxième partie (biographique), l'auteur montre les dons du Saint Esprit en œuvre dans la vie du P. Huchant; troisième partie (ascétique), moyens de développer les dons; quatrième partie (mystique), un chef-d'œuvre du Saint Esprit.

Contentons-nous de souligner ce conseil du mystique, principe fondamental de sa vie intérieure: « Faites le vide, faites le vide, le vide du passé, le vide du créé, le vide de tout le fini, pour vous appliquer à Dieu seul. » Nous devons savoir gré à l'auteur nous surtout prêtres, instruments et coopérateurs officiels du Saint-Esprit dans la sanctification des âmes, de nous avoir montré sur le vif l'action de l'Esprit Divin dans l'âme du juste et du saint, et de nous avoir proposé un véritable chef d'œuvre de ses Dons: exemple éminent de cette vie mixte qui doit être celle du prêtre séculier, où « l'action au dehors dérive de la plénitude et de l'abondance de la vie contemplative, qui la dirige par ses lumières et l'anime de son souffle d'amour » (2).

A. LEGRAND.

(1) Nous nous permettons de signaler à l'attention de l'auteur ces lignes, p. 16, où, parlant de la vertu *acquise* ou naturelle, et de la vertu *infuse* ou surnaturelle, il écrit: « L'une et l'autre ajoutent à la faculté où elles sont greffées la facilité d'opérer ». — Il faut dire: l'une, la vertu *acquise* donne la *facilité* d'opérer, l'autre, la vertu *infuse*, la *faculté* ou possibilité d'agir surnaturellement.

(2) V. ci-dessus p. 393.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Allo Bern. *La Paix dans la Vérité.* La personnalité de St Thomas d'Aquin. (Collect. Science et Religion, n. 614), in-14, 63 p. Paris, Bloud, 1911. Pr. 0,60 fr.

Anizan. *Qu'est-ce que le Sacré-Cœur,* in-16. LVI-126 p. (du 6e au 10e mille). Paris, Lethielleux.

Id. *Vers Lui.* Élévations au Sacré-Cœur, in-12, 452 p. Paris, Lethielleux. Pr. 350 fr. (du 20e au 25e mille).

Baudot. *Le Missel Romain.* Ses Origines, son Histoire (Collect. Science et Religion, n. 631-632). In-12, 128 p. Paris, Bloud, 1912. Pr. 1,20 fr.

Boedder, S. J. *Theologia naturalis.* Edit. 3a. Friburgi Br., Herder, 1911. In-16, XIV-414 p. Pr. 5,25 fr.

Brun. F. L'Abbé. *Cinq pièces brèves sur des thèmes grégoriens pour orgue ou harmonium.* (Anthologie des maîtres religieux contemporains.) Lyon, Janin Frères, 1912. Fr. 1,75.

Charpentier. *Jacques Cathelineau Le Saint de l'Anjou* (Science et Religion, n° 623) in-16, 63 p. Paris, Bloud, 1911, Pr. 0,60 fr.

Cristiani. *Prescience divine et liberté humaine.* (Science et Religion, n° 615) in-12, p. 72. Paris, Bloud, 1911. Pr. 0,60 fr.

de Kirwan. *Bible et Science. Terre et Ciel.* (Collect. Science et Religion, n. 612) in-16. Paris, Bloud, 1911. 64 p. Pr. 0,60 fr.

de la Tombelle F. *Dix pièces pour orgue sur thèmes grégoriens, populaires ou originaux.* (Anthologie des maîtres religieux contemporains.) Lyon, Janin Frères, 2 cahiers à 3 et 2 fr. Pédale.

De la Vaissière, S. J. *Philosophia naturalis.* Duo vol. Paris, Beauchesne, 1912.

de Poulpiquet, O. P. *L'objet intégral de l'Apologétique.* Paris, Bloud, 1912, in-16, 565 p. Pr. 4,00 fr.

De Smedt, S. J. *Notre vie surnaturelle.* 2e Édition, T. I. Bruxelles, Dewit, 1912, in-16, XVI-558 p.

Dessiaux. *Mémoires d'un Prêtre d'Hier,* in-12, X-355 p. Paris, Téqui, 1911. Pr. 3,00 fr.

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

Interpretare textum S. Jacobi, V, 13-15, ex eoque deducas existentiam et elementa Sacramenti Extremæ Unctionis.

II

An et cur idem formaliter significant *gratia sanctificans* et *justitia originalis?*

III

Græci schismatici, ad vindicandam suam doctrinam de communione *utriusque speciei* jure divino necessaria, provocant ad S. Scripturam (ev. S. Joh., cap. VI), et ad praxim primitivæ Ecclesiæ. — Illos confuta.

IV

Accusant etiam iidem Græci schismatici Ecclesiam Latinam quod, denegato usu calicis, fideles defraudet fructu sacramentali. Vindica ex hac parte usum Ecclesiæ Latinæ.

V

Faites connaitre l'origine et le caractère de la Congrégation des *Frères de la vie Commune,* fondée au XVe siècle.

VI

Quelles sont, en dehors des formalités administratives, les règles pratiques à observer dans l'achat du mobilier d'église?

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses,* 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVII, pag. 438).

—

X

Postquam dixit Rusbrochius (1) in unione sine medio manere essentialem quamdam in anteriora propensionem, hancque esse essentialem distinctionem inter esse animæ et esse Dei, quæ quidem est altissima quæ sentiri possit distinctio; jam pergit (2):

« Post hæc sequitur unitas sine differentia: nam Charitas Dei non solum respicienda est ut effluens cum omni bono, et introtrahens in unitatem, sed est, supra omnem distinctionem, essentialis fruitio secundum nudam divinitatis essentiam. Et idcirco in se experti sunt illuminati homines essentialem quamdam intuitionem supra rationem et sine ratione, et fruitivam quamdam propensionem pervolantem omnes modos omneque esse, a seipsis deficiendo mersi in modinesciam abyssum beatitatis sine fundo, ubi Trinitas divinarum personarum naturam suam possident in essentiali unitate. Ecce, ibi beatitas adeo simplex et modo expers est,

(1) *Samuël*, c. XI, in fine, supra cit. a nobis pag. 429.
(2) Ibid., cap. seq. XII.

ut in ea pereat omnis essentialis contemplatio, propensio et distinctio creaturarum. Omnes enim elevati spiritus colliquescunt et intereunt, mediante fruitione, in esse Dei, quod omnis essentiæ superessentia est. Ibi a seipsis dilabuntur in quamdam amissionem et nescientiam absque fundo; ibi omnis claritas reflectitur in caliginem, ubi tres personæ cedunt essentiali unitati, et sine distinctione fruuntur essentiali beatitudine. Hæc beatitudo Deo soli essentialis est, omnibusque spiritibus superessentialis; nullum enim ens creatum unum esse potest cum esse Dei et in seipso perire. Nam ita fieret creatura Deus, quod impossibile est; non enim potest esse Dei minui aut augeri, neque potest ei quidquam demi aut addi. Nihilominus omnes amantes spiritus una fruitio unaque beatitas sunt cum Deo sine differentia; nam illud beatum esse, quod Dei fruitio est omniumque dilectorum suorum, ita simpliciter simplex est, ut ibi nec Pater sit nec Filius nec Spiritus sanctus secundum personalem discretionem, nec ulla creatura..... Et hoc cupiebat Christus, dum orabat Patrem suum cœlestem, ut omnes dilecti sui consummarentur in unum, sicut ipse unum est cum Patre suo in fruitione per Spiritum sanctum (1)..... Et hæc mihi videtur oratio amabilissima, quam Christus unquam fecit ad nostram salutem. »

Cap. seq., XIII, triplicem orationem Christi exponit: primam, ut apud ipsum simus, ut videre possimus claritatem, quam ei dedit Pater. Hæc, ait, oratio respicit unionem cum medio gratiæ et gloriæ. Secunda est de unione sine medio, quando Christus orat ut ipse in nobis sit et nos in ipso. Tertia oratio altissima est quam modo explicavit de unione sine differentia.

In eodem capite et hoc observat, sedulo attendendum: quicumque se totos dedunt externis actionibus, aut sine

---

(1) Paulo infra, c. XIII, hanc explicationem addit: « Ut consummarentur in unum, sicut ipse unum est cum Patre: non sic unum, sicut unum est cum Patre, scilicet una unica divinitatis substantia, hoc enim impossibile est; sed sic unum et in eadem unitate, ubi ipse sine discretione una fruitio est unaque beatitudo cum Patre in essentiali amore. » Cf. *Regnum Deum amantium*, c. XXIX, in fine.

actione internæ otiositati (1), nequaquam intelligere posse quæ dicta sunt de unione sine differentia. Quamvis enim cedere debeat ratio et vita sensitiva fidei et intentæ contemplationi, manent tamen habitu nec perire possunt, sicut nec natura humana. Pariter, contemplatio et in Deum propensio cedere debent fruitioni in simplicitate, perseverant tamen habitu. Vita sensibilis adhæret spiritui, et spiritualis vita sine medio cohæret Deo, et sic spiritus fit Deo plenus et supereffluens, qua in abundantia a se deficiens demergitur in superessentiali unitate, ibique est unio sine differentia.

Vides quam accurate Rusbrochius, non destructionem seu amissionem naturæ ejusque virium in vita contemplativa, sed subordinationem asserit naturæ ad gratiam, hujusque diversarum manifestationum ad invicem.

Cum his omnino conveniunt, quæ alio in loco (2) animadvertit: « Si vitam habemus contemplativam, sentimus nos viventes in Deo, et ex hac vita, qua nos in Deo sentimus, elucet quædam claritas in internam nostram faciem, quæ rationem nostram illuminat et mediat nos inter et Deum. Et quando in hac claritate, illuminata ratione nostra sistimus in nobis ipsis, sentimus vitam nostram creatam usque essentialiter a seipsa deficiendo mergi in æterna vita sua. Sed si claritatem prosequimur supra rationem, simplici aspectu et voluntaria nostrî inclinatione, usque in vitam nostram supremam, ibi recipimus superinformationem Dei in totalitate nostrîmetipsorum; et sic sentimus nos integre complexos in Deo. »

In eodem libello *De calculo seu perfectione filiorum Dei,* hic illic nonnulla de unione sine differentia occurrunt cum utilitate legenda; sed præprimis liber III *De*

---

(1) Puta pseudo-mysticos, de quibus vid. supra apud nos pag. 419-420 art. præc.

(2) *De calculo,* c. X.

ōrnatu nupt. spir. ut heic insertus habeatur, lectu brevior, longior tamen quam ut eum exscribamus. Sane, non sine magno salutis fructu legetur : advertet autem facile lector Rusbrochium ibidem, sicut et in aliis locis supracitatis, sub respectu practico, et ex parte contemplantis, unionem sine differentia explicare, aliis verbis, rationem atque modum exponere quibus respondeamus seu occurramus divinæ unioni. Unde ad solutionem quæstionis nostræ de natura ac indole unionis secundum se minus necessaria est istius libri integra recitatio. Itaque sufficiant quæ jam citavimus ex libro *Samuël*, ad alia appellando, ubi opportunum videbitur.

Neque enimvero, inspecta universa integraque doctrina Rusbrochii, difficultas nobis videtur in determinanda propria indole unionis cum Deo quam vocat sine differentia. Re quidem vera, unio sine medio qualem, ex mente Rusbrochii, in se et magis ex parte Dei consideratam definivimus, eamque realem et objectivam, non solo affectu contentam, ea unio, docente Rusbrochio, ut sæpius vidimus, communis est omnibus bonis, id est, justis, qui omnes sunt filii Dei ; sed non omnes eam unionem sentiunt, non omnes eidem respondent seu occurrunt, et inter eos etiam qui occurrunt non omnes æqualiter id præstant. « Verum ob conversionis et exercitationis inæqualitatem ac diversitatem alios servos fideles, alios secretos ac familiares amicos, alios denique occultos filios appellare placuit : cum tamen omnes et servi, et amici et filii sint (1). » Jamvero, servi fideles sunt qui mandata servant adeoque et charitatem habent et exercent, sed communi seu ordinaria tantum perfectione, eaque omnino necessaria ut charitas servetur ; et qui externi manent. Hi, quamvis Deo uniti cum medio et quoque sine medio, hanc tamen unionem sine medio non sentiunt, nec ei respondent seu occur-

(1) *De calculo*, c. VIII.

runt, quod interna tantum exercitatione fieri potest. Id vero præstant secreti amici, qui vere interni sunt et illuminati homines, adeoque hi sentiunt unionem sine medio, eique occurrunt et respondent. Attamen alii aliis perfectius occurrunt eidem unioni sine medio. Scilicet qui non tantum interni sunt sed et supremo gradu contemplativi, seipsos omnino amittentes in Deo, hi sunt occulti filii et longe perfectius sentiunt eamdem unionem sine medio, nempe se unitos sentiunt Deo sine distinctione seu sine differentia (1).

Itaque objective et quasi ex parte Dei una eademque, licet gradu diversa, est unio tum cum medio gratiæ, tum sine medio, quam habent omnes justi, sive servi fideles, sive amici familiares, sive occulti filii. Sed primi non sentiunt, secundi sentiunt unionem sine medio, ita tamen ut percipiant discretionem seu differentiam se inter et Deum; soli tertii, alte contemplativi sentiunt eamdem unionem ita ut non percipiant distinctionem, nisi quando reflectunt seu ad rationem regrediuntur. Sunt igitur Deo uniti sine differentia, nec ullam distinctionem sentiunt, quamdiu supra rationem et sine ratione contemplantes, et, supra modum modonesciam fruitionem adepti, a seipsis deficiendo merguntur et quiescunt in abysso beatitatis divinæ, in essentiali unitate et beatitudine; cui cedunt et ipsæ personæ divinæ, et ubi omnes amantes spiritus una essentialis cum Deo beatitudo sunt.

Igitur objective et secundum se una est et eadem unio sine medio cum Deo in omnibus bonis, sed discrimen totum est ex parte occursus huic unioni; soli interni eidem occurrunt: alii quidem minus complete et minus perfecte; alii, scilicet vere contemplativi, complete et perfecte, ita ut fiat ipsis unio sine differentia.

Quodsi tamen alicui videatur discrimen quoddam a parte rei, juxta mentem Rusbrochii, reperiri unionem

---

(1) Lege omnino *De calculo*, c. VII-X.

sine medio inter et unionem sine differentia, dicemus discrimen in hoc esse quod supra unionem simpliciter sine medio addit unio sine differentia quemdam Dei illapsum accidentalem et transitorium, non habitualem et permanentem, quem vocare solent Mystici deosculationem seu amplexum unitivum Dei; quo producitur in anima donum aliquod extraordinarium gratis datum, eamdem capacem reddens, item transitorie (1), altissimæ contemplationis et fruitivæ unionis supremæ; imo, juxta Mysticos non paucos, potest istud donum esse ipsum lumen gloriæ, non quidem in modum habitus, sed in modum transeuntis virtutis infusum, ita ut contemplans ad claram et quidditativam visionem, indeque summam Dei fruitionem transeunter pertingat (2). Atvero contemplatio quæ non pertingit ad istos gradus suprêmos et jam ab homine vere interno exercetur, est quidem quoque infusa, agitur vero donis ordinariis Spiritus sancti, ut mox infra dicemus.

Illapsus ille actualis Dei est, ad mentem Rusbrochii, unio quædam transiens contemplativi cum Verbo divino, qualem exspectamus habitualem in vita æterna; quemadmodum supra (3) jam notavimus, et statim videbimus apud Rusbrochium citandum.

Existimamus autem lectorem attentum de eo nobiscum consensurum, quod ex integra Rusbrochii doctrina legitime consequitur hanc esse propriam indolem unionis sine differentia. Quæ proin unio, ut dicebamus initio horum Notandorum (4), suprema contemplativa unio

---

(1) De gratiis gratis datis, nominatim de dono prophetiæ quomodo non sit habituale, vid. S. Thomam, 2-2, q. 171, a. 2.

(2) Nec repugnare videtur huic asserto Rusbrochius, cum discrimen inter transeuntem comtemplationem altissimam in via, et habitualem æternam in patria, in diversitate status nostri et Sanctorum collocet; idem sol eademque claritas utrosque illuminat, sed status noster umbram facit. Attamen cum solis claritate unum effici possumus, puta unitate sine differentia. Lege omnino *De calculo*, c. XI.

(3) Art. præc. mensis Julii, pag. 435.

(4) Pag. 7 hujus tomi XVII *Collat. Brug.*

seu contemplatio unitiva est, eaque prælibatio aliqualis visionis intuitivæ ac beatificæ Dei; et fortassis, ut addebamus, nonnisi per donum gratis datum supernaturaliter infusa. Hoc quidem utrumque assertum apud Rusbrochium ipsum expressum habemus.

Quod prius assertum attinet, hæc præclara enuntiat (1): « Dum in amore excedimus omnem rem, et emorimur omni considerationi in nescentiam et caliginem, jam agimur et superinformamur æterno Verbo, quod imago Patris est. Et in otioso esse spiritus nostri, accipimus incomprehensibilem claritatem, quæ nos complectitur ac penetrat, quemadmodum aër penetratur claritate solis. Et hæc claritas aliud non est quam interminata intuitio ac contemplatio. Quod sumus, hoc intuemur; et quod intuemur, hoc sumus: mens enim nostra, vita nostra et esse nostrum simpliciter sublevata sunt et unita Veritati, quæ Deus est. Idcirco, in hac simplici intuitione, sumus una vita unusque spiritus cum Deo; et hoc voco vitam contemplativam. Dum amore Deo adhæremus, optimam partem (2) exercemus; sed dum sic superessentiam intuemur, ibi possidemus Deum totaliter. »

Quod posterius assertum spectat, haud minus aperte loquitur. Etenim, in limine libri III *Nupt. spir.*, in quo de altissima vita contemplativa agit tamquam fastigio et corona vitæ interioris, ponit, præter requisita ad vitam internam, *occultam revelationem Dei*, et internum Dei amatorem *quem Deus libere eligere et extollere velit ad superessentialem contemplationem in divino lumine*. Et

(1) *De calculo*, c. IX.

(2) Hæc alludunt ad superius dicta ab ipso de Martha et Maria: « Hoc unum, quod necessarium est omnibus hominibus, divina charitas est. Optima autem pars, est vita interior cum amorosa adhæsione Deo. » Prius elegit Martha, eliguntque servi fideles. Posterius elegit Maria, eliguntque secreti amici. (Vid. ejusdem opusc. *De calculo*, c. VII). Sed supra hos extolluntur occulti filii, nempe veri altique contemplatores, qui se cum Deo sentiunt unitos sine differentia.

pergit: « Huc nemo pervenire potest per artem seu scientiam vel subtilitatem, neque ulla exercitatione; sed quem Deus in suo spiritu unire vult, et seipso illustrare, hic poterit Deum contemplari, et præterea nemo. »

Unde videtur omnino Rusbrochius heic agere non de contemplatione infusa ac supernaturali quacumque, prout contradistinguitur ab acquisita, id est propria industria proprioque studio contemplantis, quamquam gratia supernaturali adjuti, fideque divina illustrati, exercita. Sed agit de specie quadam suprema contemplationis infusæ. Hæc enim non solum varios gradus habet, sed in duplicem quasi speciem dispescitur, prout nempe divinitus agitur contemplativus homo per dona Spiritus sancti, quæ in omni justo sunt, et via ordinaria contemplatio infunditur; vel prout principium altius donis Spiritus sancti intercedit per gratiam gratis datam. De hac loquitur Rusbrochius, ubi de unione sine differentia agit. Altera jam habetur in homine vere interno dum ad limen pervenit vitæ contemplationis altissimæ.

Antequam finem imponamus tractationi nostræ de doctrina mystica Rusbrochii, verbulum dicamus de asserto quodam ejusdem, quod primo saltem intuitu mirum videtur. Videlicet, pluries (1) affirmat occultos Dei filios seu contemplativos, unione summa cum Deo unitos, certos esse suæ salutis, certos se esse filios Dei electos; cum tamen doceat Ecclesia, signanter in Concilio Tridentino quod « nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum (2). » Et: « nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit (3). »

---

(1) V. *De calculo*, c. VIII et IX; *De vera contemplatione* seu *De duodecim Beghinis*, c. XVI, c. LXIX, c. LXXVII, c. LXXIX, c. LXXX; in opere dubio *De præcipuis quibusdam virtutibus*, c. VI.

(2) Sess. VI, *De Justif.*, c. 9.

(3) Ibid., c. 12, et cf. can. 16.

In hoc nullam difficultatem invenimus: neque enim suopte animo, neque expressa doctrina Rusbrochius cum stricta orthodoxia pugnat; siquidem omnino se hac in re submittit judicio Ecclesiæ expressis verbis (1), et ipsa proposita doctrina omnino orthodoxa apparet, dummodo advertamus assertum suum de seipso deque illis contemplativis intelligi, qui, ut modo dicebamus, posita occulta revelatione Dei, libere eliguntur et extolluntur a Deo ad superessentialem contemplationem in divino lumine. Cæterum hoc doctrinæ caput Rusbrochio commune est cum aliis, iisque probatis Mysticis (2).

Pariter in explicanda altissima contemplatione, tamquam prælibatione quadam beatificæ visionis, inque hac ipsa visione et fruitione Dei æterna exponenda, nihil putamus apud Rusbrochium inveniri quod doctrinæ Ecclesiæ, nominatim Decretali Benedicti XII, aut capiti *Damnamus* Concilii Lateranensis IV, oppositum sit vel quovis titulo carpendum. Quod quidem manifestum erit lectori, qui attente considerare voluerit quæ supra de mente et doctrina Rusbrochii disputavimus, collatis olim a nobis expositis, agendo de unione Beatorum cum Verbo Dei et de æterna beatitudine. Idcirco hæc denuo retractare inutile censemus, atque similiter supervacaneum iis occurrere quæ Gerson (3) et post ipsum Bossuet (4) Rusbrochio objiciunt; qui

---

(1) *De vera contempl.*, c. LXXX, in fine.

(2) Vid. Thomam a Jesu, *De div. or.*, l. IV, c. 18, 9a obj.; Philippum a SS. Trinit., *Summa theol. mystica*, Discursus proœm., art. 8, Quintum est.; S. Laur. Justinianum, *Tr. de casto connubio*, c. XIV, et c. XXV.

(3) In *Operum* parte I. *Epist. ad F. Bartholomæum Carthus.*: ubi reperitur et *Libellus* F. Joannis de Schoonhovia, in defensionem magistri sui Rusbrochii, cum replica Gersonis in epist. ad eumdem Bartholomæum Carthusiensem. — De hac controversia utiliter leges Dissertat. inauguralem A. Auger, *De doctrina et meritis Jo. van Ruysbroeck*, p. 115 et sqq.

(4) *Instruction sur les états d'oraison*, l. I; ubi lectori manifestum erit Bossuet non ipsum Rusbrochium, vel saltem non attente legisse. Indicio sit vel hoc solum, quod uti secundum exemplum affert e Rusbrochio in

eum non in originali scripto, sed in versione tantum, eaque, quod Gerson attinet, minus accurata, ut videtur, quam ea Surii, legisse, et partem tantum operum cognovisse, aut certo non integram ejus doctrinam nec satis attente perscrutatos esse videntur. Imo, nec excusationem, quam in favorem Rusbrochii affert Bossuet, admittendam existimamus, quasi melius senserit Rusbrochius quam dixerit, usus nempe locutionibus impropriis, non accuratis nec præcisis; quod alii immerito, nostra sententia, concedunt, cum solum agnoscendum sit alium atque alium esse modum loquendi pro diversitate scientiarum et objectorum, alium in re mystica, alium in theologia scholastica.

Unum tantum addimus supra citatis e Rusbrochio, ut pateat, contra id quod immerito carpunt Gerson et post ipsum Bossuet, quantopere discedat Rusbrochius a falso otiosis et passivis, quos cæterum insectatur sæpius, et quam dilucide agnoscat in beatitudine cognitionem et amorem, visionem et fruitionem. « Creaturæ, *ait* (1), habent suam propriam operationem, mediante virtute divina, in natura et in gratia et

---

eodem, ait, libro *de spir. nupt.* Nempe homini melius sapere quod permittat Deum secum agere quidquid volet in tempore et in æternitate, quam si æterno Deum diligere posset. Quæ quidem dicta fusius evolvit et exclamando carpit. Atqui, perperam legit textum Surii, qui habet: « Idque melius ei sapiet, quam si æterno deligere (non: diligere) posset, » vertens textum Rusbrochii: « Ende dat sal hem bet smaken, dan dat hi wenschen hadde inder ewicheit »! Errat præterea dum hunc textum inveniri putat in op. *Nupt. spir.* Est enim desumptus ex opusc. dubio *De præcipuis quibusdam virtutibus* (Van den XII Dogheden), c. II. Confundit quoque Jo. de Scoenhovia, discipulum Rusbrochii ejusque defensorem adversus Gerson, cum Bartholomæo Carthusiano, ad quem scripsit Gerson.

Certissime Bossuet minus novit Rusbrochium, quam ut judicium de eo proferret. Atque, uti nobis persuasum est, sibi non nocuisset Bossuet si, antequam conscriberet opus suum insigne *Élévations sur les mystères*, doctrinam Rusbrochii de SS. Trinitate, sub respectu dogmatico penitus inspexisset; doctrina autem ejus mystica ex integro et plene percepta vel et ipsum Bossuet in admirationem rapuisset.

(1) *De ornatu spir. nupt.*, l. II, cap. ult.

quoque in gloria; et quando actiones hic finem habent in gratia, perdurant æternum in gloria. Si autem possibile esset, quod fieri nequit, creaturam spiritualem in nihilum redigi quoad operationem suam, et sic otiosam fieri, sicut erat quando non existebat, id est, sic cum Deo unum fieri, omni modo sicut tunc erat [in idea divina]; sane mereri non posset, non magis quam tunc poterat. Neque magis sancta nec beata foret quam lapis aut lignum: nam sine propria operatione, amore et cognitione Dei, beati esse nequaquam possumus. »

Alio in loco (1) de suprema cum Deo unione agendo eadem fere ingeminat: « Dum ita cum Deo uniti sumus, inde in nobis manet vivida notitia et activus amor: nam sine cognitione nostra, Deum possidere non valemus, et sine exercitio amoris Deo uniri et uniti manere non possumus. Si enim beati esse possemus sine cognitione nostra, et lapis beatus esse posset, qui cognitionem non habet. »

Concludimus totam de doctrina Rusbrochii dissertationem nostram, profitendo hanc doctrinam, tum dogmaticam et moralem, tum mysticam, esse plane mirabilem, atque nos numquam sentiisse vividius nec vidisse clarius, quam in ea scrutanda, vere fastigium et coronam totius ædificii divinarum scientiarum theologiæ dogmaticæ et moralis esse scientiam mysticam, quæ tum lumen effundit in eas supra modum splendens, tum eas quam efficacissime in proprium finem dirigit sanctificationis animarum.

XI

Quemadmodum supra ostendimus Rusbrochium in re ascetica et mystica cum cæteris Mysticis, nominatim cum S. Joanne a Cruce, optime convenire; ita nunc, in complementum doctrinæ, eumdem consensum eviden-

(1) *De calculo*, c. IX.

tius patefacere conabimur in aliquibus singularibus punctis ad vitam internam et contemplativam pertinentibus, omissa jam vita activa seu ascesi ; ast brevissime et præprimis quidem apud S. Joannem a Cruce. Postea, Deo dante speramus fore ut lectori afferamus quædam opuscula satis rara de re ascetica et mystica tractantia, quæ cum operibus Rusbrochii conferemus, his valde affinia vel et mutuata ex eis. Et hæc quidem tum ulteriori interpretationi quorumdam assertorum Rusbrochii inservient, tum manifestando ejus in posteros influxui ; sed et absolute lectu utilia ac fructuosa erunt.

Igitur, S. Joannem a Cruce quod attinet, præ cæteris ejus scriptis præcipue consideranda sunt *Le cantique spirituel* et *La vive flamme d'amour*, in quibus de vita contemplativa ac unitiva altiori agit (1). Cum autem hæc vita sit cum intellectus, tum voluntatis, seu, tum contemplationem, tum amorem complectatur, S. Joannes, ut jam diximus (2), perfectionem hujus vitæ magis sub respectu unionis amorosæ cum Deo, quam sub respectu contemplationis hujusque objecti considerare mavult (3) ; quapropter et sub hoc respectu ejus doctri-

---

(1) Cf. supra pag. 233 hujus tomi. Ibi quoque, *nota (1)*, discrimen indicavimus quod S. Joannes inter utrumque opus assignat in Prologo ad op. *La vive flamme d'amour*.

(2) Supra ead. pag. 233.

(3) Idque, ut ipsemet explicat (*Le cantique spir.*, strophe XXXVIII) : « Pour un double motif. Le premier, c'est que l'amour est le but où elle [l'âme] tend partout et toujours ; or, cet amour réside dans la volonté, qui, en raison de sa nature, donne et ne reçoit pas. L'entendement, au contraire, qui est le sujet de la gloire essentielle [supra dixit essentiam beatitudinis esse visionem intuitivam, non amorem beatificum], a pour propriété intime de recevoir sans jamais donner. [Quod, ut patet, verificatur in altissima contemplatione, sicut in visione beatifica]. Il n'est donc pas étonnant que l'âme tout enivrée de l'amour divin, ne se préoccupe nullement de la gloire que Dieu doit lui donner, mais qu'elle se livre exclusivement à lui par un véritable amour, sans songer le moins du monde à ses propres intérêts. Le second motif, c'est qu'en sollicitant la perfection de l'amour, la demande de la vision intuitive s'y trouve nécessairement renfermée..... parce qu'il est impossible d'arriver au parfait amour de Dieu, sans jouir de sa vision intuitive. » Et pariter,

nam conferemus cum doctrina Rusbrochii de unione amorosa animæ cum Deo. Idque jure eo meliori facimus, quod sub altero respectu, scilicet contemplationis, supra (1) breviter utriusque Mystici dicta ad invicem contulimus.

Quemadmodum sæpius advertimus vitam unionis contemplativæ cum Deo initium sumere a vivida et actuali conscientia unionis nostræ cum Spiritu sancto, inque eo et per eum cum tota Trinitate sanctissima, intima animæ nostræ inhabitante; sic cum Rusbrochio, ut supra, aliisque Mysticis communiter, inculcat S. Joannes a Cruce, statim a limine *Cant. spir.* (Stropha I), regnum Dei intra nos esse, sponsumque animæ quærendum esse in ipso animæ centro, ibi cum esse absconditum et nonnisi ab illis inveniri qui se huc ab omnibus rebus exterioribus recipiunt, sed et ipsi ibidem absconduntur.

Dein, per totum opusculum utrumque citatum, idem thema nuptiarum spiritualium Rusbrochii evolvit, primo sponsalia, dein matrimonium spirituale cum sponso Christo describens.

Illorum autem doctrinam ex ordine ad invicem conferre non valemus, cum Rusbrochius quidem satis systematicus sit, S. Joannes vero minime, multoque etiam minus in hisce opusculis, de intima unione amorosa agentibus, quam in cæteris ejus operibus. Unde, aliud agere non possumus, nisi quædam specialia doctrinæ puncta et dicta S. Joannis a Cruce indigitare, quæ miro modo conveniunt cum Rusbrochii assertis, ordine servato quo apud priorem illum occurrunt.

Sic, quæ Rusbrochius effert de *pugna amoris,* deque *amoris impatientia,* descripta reperies apud S. Joannem, in *Cant. spir.* stropha IX, X, XIII atque passim in eod.

---

amor perfectus Dei his in terris non attingitur nisi simul habeatur altissima Dei contemplatio atque prælibatio æternæ visionis in cœlis.

(1) Ead. pag. 233.

opusc. et in *Viva Flamma amoris*. Pariter *languor tartareus* et *cœlica sanitas* (seu unio suavis) Rusbrochii enarrantur passim *Cant. spir.*, ille præsertim strophis XIII, XVI, XVII-XIX, hæc XX et XXI, XXIV.

Item, quæ habet Rusbrochius de *introversione et transformatione virium secundum modum simplicitatis*, confer cum *Cant. spir.*, stropha XVI (1), XXIX (2).

Unio cum Deo in natura omnibus communis, in gratia solis bonis, et intimior perfectorum indicatur expresse *Cant. spir.*, stropha XI (3). Et hæc quidem contingit per *transformationem amorosam* in Deum, de qua in eod. *Cant.*, stropha XII ; et stropha XXIX, ubi explicans primum versum, hæc præclara habet S. Joannes valde affinia dictis Rusbrochii et declarantia unionem summam cum Deo, quam is sine differentia vocat :

« L'aspiration du zéphyr » [1s versus strophæ] est une capacité nouvelle que Dieu doit donner à l'âme par l'effusion de l'Esprit-Saint. Par ce genre d'aspiration divin l'Esprit-Saint l'élève à une hauteur admirable ; il la remplit de lui-même, il la rend capable de produire en Dieu la même aspiration d'amour que le Père produit avec le Fils, et le Fils avec le Père, et qui n'est autre que l'Esprit-Saint lui-même. Par cette transformation, ce divin Esprit aspire l'âme dans le Père et dans le Fils, afin de se l'unir par la plus étroite union. Si l'âme, en effet, n'était pas transformée dans les trois personnes de la très sainte Trinité, à un degré clair et évident, sa transformation ne serait ni réelle, ni totale..... Il est impossible d'exprimer les effets de cette transformation, même lorsqu'elle s'accomplit en cette vie. L'aspiration que Dieu envoie à l'âme en lui-même, l'âme, lorsqu'elle est unie à Dieu et transformée en Dieu, la lui renvoie en lui.

Brevitatis causa citata hic interrumpimus, quamquam totus contextus sequens legi meretur, in quo, sicuti

(1) Pag. 187, edit. Paris, supra cit., tom. IV.
(2) P. 325 ibid.
(3) P. 107-108 ibid.

Rusbrochius, ad orationem Christi post cœnam alludit, ut cum Christo simus et unum simus cum ipso.

Ab hac eadem transformatione amoris incipit idem S. Joannes alterum opusc. *La vive flamme d'amour,* quam flammam interpretatur esse ipsum Spiritum sanctum, et addit: « Dirais-je une chose incroyable en affirmant que cette flamme de l'Esprit-Saint, dans laquelle l'âme reçoit la communication des trois adorables Personnes, lui fait goûter, imparfaitement il est vrai, parce que sa condition présente ne comporte rien de plus, comme une sorte de rejaillissement de la vie éternelle? » Et confer strop. II (1).

Quæ quidem nemo non videt quantopere conveniant cum his quæ supra ex Rusbrochio disputavimus de unione sine medio et sine differentia, tum in gratia tum in gloria.

Cæterum, plura adhuc habet S. Joannes a Cruce de eadem ista unione quæ miro modo referunt dicta Rusbrochii. Ita vocat Spiritum sanctum præcursorem Verbi qui præparet hujus mansionem (2). Item: « quand le mariage spirituel entre Dieu et l'âme est consommé, ce sont deux natures réunies dans un seul esprit et un même amour (3). » « Il s'établit alors une union si intime entre la nature divine et la nature hnmaine, une si parfaite communication de l'une à l'autre, que ces deux natures, tout en conservant leur être propre, semblent néanmoins se confondre l'une et l'autre en Dieu. Cet admirable effet ne peut, il est vrai, se produire en cette vie dans toute sa plénitude » (4). « Cette intimité (du mariage spirituel) ne se consommera que dans la

(1) In fine hujus strophæ (p. 508, tomi IV, edit. Par. 1910) observat attactum divinum in unione suprema amoris habere gustum vitæ æternæ, et quamdam analogiam habere cum mystico illo calculo albo *Apocalypsis,* II, 17; de quo integrum scripsit Rusbrochius opusculum *De calculo* (Den blickenden steen).

(2) *Cant. spir.,* stropha XVII (p. 195).

(3) Ibid., str. XXII (p. 241).

(4) Eod. loc. p. 243. Et cf. *La vive flamme d'amour,* str. II (p. 523).

lumière de gloire, quand, par son union avec la Sagesse qui est le Verbe lui-même, elle verra Dieu face à face (1). »

Tandem, non possumus non addere mirandum contactum utriusque Mystici, in eo quod Rusbrochius supra cit. (2) asserit contemplativum habilem esse, qui sub una visione, modo Deus id ei demonstrare velit, creaturas omnes vitamque earum possit perspicere. Sed ipsius Dei infinitati cedere cogitur. Joannes autem a Cruce idem fere enuntiat: « Non seulement toutes les créatures semblent alors se mouvoir, mais elles révèlent de plus les perfections de leur être, de leur force, de leurs beautés et de leurs grâces, et montrent que c'est en Dieu qu'elles trouvent le principe de leur durée et de leur vie. Dans cette clarté merveilleuse, l'âme saisit parfaitement comment les créatures, quelque degré qu'elles occupent dans l'échelle des êtres, ont en lui seul leur vie, leur vigueur et leur durée..... L'âme voit en pleine lumière et à n'en pouvoir douter, que toutes ces choses, en tant que simples créatures, sont parfaitement distinctes de Dieu; elles les connaît en lui avec ce qui constitue leur force et, pour ainsi parler, la racine de leur être. Mais en même temps elle voit que dans son essence, Dieu est toutes ces choses avec une suréminence infinie; elle les connaît beaucoup mieux dans leur principe divin qu'en elles-mêmes. Voilà pourquoi ce réveil de Dieu en elle est la source de délices inexprimables: il lui fait connaître les créatures par Dieu et non pas Dieu par les créatures. Ce ne sont pas les effets qui démontrent la cause; c'est la cause qui fait connaître les effets (3). »

---

(1) *Cant. spir.*, str. XXXVII (p. 398).

(2) E libro *Samuël*, c. VIII.

(3) *La vive flamme d'amour*, str. IV (p. 627-628). — In fine textus citati correximus errorem traductoris, qui scripserat: « Ce n'est pas la cause qui démontre les effets; ce sont les effets qui font connaître la cause. » Quodsi ipsi erramus, versioni tribuatur quæ in his et immediate sequentibus obscura nobis videtur.

His omnibus doctrinæ affinitatibus inspectis, quæret forte aliquis num S. Joannes a Cruce opera Rusbrochii noverit, et ex iis quædam hauserit; idque eo meliori jure quæritur, quod idem Sanctus, in prologo ad *Cant. spir.* declaret: « Je me propose de ne rien affirmer d'après mon expérience personnelle, ni d'après ce que j'ai pu connaître ou apprendre d'autres personnes spirituelles, bien que j'aie l'intention de mettre à profit ces deux sources de renseignements. » Ergo ex Scriptura et ex doctrina Sanctorum hauserit. Nosse quidem potuit opera Rusbrochii, saltem aliqua suo jam tempore in sermonem latinum versa; hanc vero quæstionem facti eruditis relinquimus solvendam.

Jam finem facientes dicendi de S. Joanne a Cruce, hoc adjicere utiliter possumus, scilicet ejus doctrinam, — ut natum est fieri, utpote qui sanctæ reformatrici Carmeli plurimum adstitit —, cum doctrina S. Theresiæ in multis consentire, ita tamen ut hujus expositio forte magis ad mentem et captum multorum, et speciatim religiosarum fœminarum sit adaptata.

Ast, nec ille nec ista tractatum scientificum, expositionem systematicam ac methodicam de re mystica efficere intenderunt ac fecerunt. Qui hujusmodi cursum completum theologiæ mysticæ percurrere cupit, alios Doctores mysticos adeat necesse est; inter quos, ut paucos nominemus, THOMAM A JESU, *De contemplatione divina;* JOANNEM A JESU MARIA, *Theologia mystica,* et præ cæteris completum, methodicum, ac perspicuum PHILIPPUM a SS. TRINITATE, *Summa theologiæ mysticæ.*

Nunc ad aliqua opuscula mystica examinanda divertimus, rara ut putamus eaque digna quæ oblivioni subtrahantur; initium facimus a quibusdam flandrica lingua conscriptis et quæ cum Rusbrochii operibus affinitatem præ se ferre videntur.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Interpretare* Jac. II, 1-9, *investigando præsertim quinam intelligantur* dives *et* pauper *de quibus in v. 2; inde accuratius determina adjuncta in quibus lectores degere supponuntur.*

R. I. Pro thesi sua generali: inanem esse *fidem,* nisi *opera* ipsi adjungantur, proponit S. Jacobus quædam opera specialia, præ cæteris sane lectoribus practica; inter hæc inculcat caritatem fraternam et misericordiam, et monet contra **acceptionem personarum** quæ huic caritati et misericordiæ omnino opponuntur: *Fratres mei, nolite in* (cum) *personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ,* fidem nempe in Christum qui ad gloriam suam rediit et a quo gloriam nostram exspectamus (1).

Hanc autem acceptionem personarum **exemplo** describit: In quodam conventu religioso (2) ubi lectores epistolæ supponuntur adesse, ingrediuntur simul *dives* et *pauper*. Dives annulum (vel annulos) aureum in digito gerit, et indutus est veste præclara (3); pauper autem

(1) Christus personas non respexerat, testantibus id ipsis inimicis suis (Mt. XXII, 15 ss.).

(2) Εἰς συναγωγὴν ὑμῶν. — Vox *synagoga* minime innuit agi de conventu Judaico: Obvie enim Christiani initio, conventus suos eodem nomine designaverint, eo magis quod vocabulum illud de se nil judaicum habebat: συναγωγή enim nil aliud quam locum conventus vel ipsum conventum designabat.

(3) Græce: λάμπρα, i. e. fulgida, splendida, — cujuscumque sit coloris; unde vulgata hic immerito vertit: *candida*. Idem nota pro Luc. XXIII, 11; Act. Ap. X, 30. Bene vertit in v. 3.

nullam rem pretiosam gerit, et indutus est habitu sordido et vili. — Et supponit Jacobus quod lectores, acceptioni personarum indulgentes, divitem optime, pauperem male recipiunt: divitem, qui indutus est veste præclara, cum admiratione inspiciunt (1), et ipsum alloquuntur locum assignantes: Tu sede hic bene, seu honorifice aut commode, sane in sedili; pauperem autem nequidem aspicere dicuntur, ipsumque alloquuntur contemptim. Tu *sta* illic, aut *sede humi* (2).

Hanc personarum acceptionem, quam sic typico quodam exemplo graphice descripsit, vehementer **vituperat** in sequentibus: Nonne judicastis (3) apud vosmetipsos, i. e.: nonne dubitastis, seu nonne dubium ascendit in mente vestra, circa rectitudinem hujus vestri modi agendi? — et nonne facti estis judices pravi, judices qui ducimini cogitationibus iniquis: fertis enim circa divitem illum et pauperem, judicium non conforme principiis rationis et fidei vestræ.

Quod statim **duplici argumento** evolvit:

1° Modus vester agendi non est conformis principiis Christianismi, seu **modo agendi ipsius Dei.** Etenim: *nonne* **Deus** gratuito *elegit pauperes in hoc mundo,* seu illos qui pauperes sunt quod attinet bona hujus mundi, ut *divites* essent *in fide,* in bonis divinis et supernaturalibus, et *heredes regni* futuri cœlestis, *quod promisit Deus diligentibus se?* (4). **Vos** autem exhonorastis pauperem, seu ipso honore debito privastis eum.

2° Modus vester agendi non est proportionatus **modo**

---

(1) Græce: ἐπιβλέψητε.

(2) Sub scabello, infra scabellum pedum meorum, adeoque: humi. — Nota oppositionem: *sede — sta aut sede;* sede *hic* — stá *illic;* sede *commode* vel honorifice — sede *humi.*

(3) Græce: διεκρίθητε, in præterito. — Quoad sensum hujus verbi διακρίνειν, cfr. I, 6. — Alii hic vertunt: Nonne *discrimen facitis* inter divitem et pauperem, nonne indulgetis acceptioni personarum? — Plures alias interpretationes hujus verbi, propositas a variis auctoribus, vide apud Beyschlag, *o. c.*

(4) Cfr. Mt. V, 3, Luc. VI, 20, XI, 25 s.; I Cor. I, 26 s.

agendi ipsorum divitum erga vos. Quid enim in divitibus illis est quod adeo vobis placet? *Nonne divites per potentiam opprimunt vos,* seu potentia sua contra vos utuntur (1), *et ipsi* vi *trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum* seu præclarum (καλὸν) *nomen quod invocatum est super vos:* nomen Christi a quo vos vocamini (2).

Utique, in fine prævidet et præcavet Jacobus **objectionem** quæ contra doctrinam suam fieri potuisset: « Sed, in divitibus honorandis, unice intendimus *perficere* seu implere *legem* illam *regalem* (3) *secundum Scripturas,* seu quæ a Scripturis inculcatur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* » — Et respondet: Utique, si hoc intenditis, *bene facitis; si autem personas accipitis,* si indulgetis acceptioni personarum, *peccatum operamini,* et merito accusabimini *a lege quasi trangressores ipsius.*

II. Quinam sunt **dives** ille et **pauper** qui conventum religiosum Christianorum ingredi supponuntur? — Ut videtur omnino: **Non sunt Christiani** (4). Et revera:

---

(1) Græce: καταδυναστεύουσιν, quod bene verteres: faire sentir leur supériorité sociale.

(2) *Præclarum nomen* juxta quod vocantur lectores, intelligi potest nomen Dei (cfr. Is. XLIII, 4; Jer. XIV, 9; XV, 16; Act. ap. XV, 17), aut potius nomen Christi: illi enim qui præclarum nomen blasphemant, *Judæi* sunt, qui sane non supponuntur blasphemare nomen *Dei.* Quanam forma hoc nomen ipsis applicari supponatur, dici nequit: An *discipuli Jesu* (Jo. V, 3; XVIII, 25; Act. Ap. IV, 13); — an *Nazaræi* (Act. Ap. XXIV, 5), — an *Christiani* (Act. Ap. XI, 26; XXVI, 28; I Pet. IV, 16). Cfr. ZAHN, *Einleitung in das Neue Testament,* I, p. 71.

(3) Regalis dicitur vel quia lata a Rege nostro, Deo (Levit. XIX, 18) vel Christo (Matt. XXII, 39); vel quia lata pro Christianis qui reges sunt et dicuntur in Scriptura, vel forte simpliciter quia lex præstantissima est.

(4) Quæstio utrum II, 1 ss. divites intelligantur Christiani, independens est a quæstione utrum divites de quibus I, 9 ss.; IV, 13-17; V, 1-6 Christiani sint necne. — Hic, II, 1 ss., de non-Christianis agi, defendunt BELSER, *Einleitung in das Neue Testament,* (Freiburg, i. B., 1905); ZAHN, *Einl. in das N. T.,* (Leipzig, 1900); BEYSCHLAG, *Der Brief des Jacobus* (Göttingen, 1898); WILBERS, *De Brief van den Apostel Jacobus* (Amsterdam, 1906); DRACH, *La Sainte Bible. Epitres catholiques* (Paris, 1873); in eumdem

a/ in toto textu et in contextu epistolæ, nil eos ut Christianos designat;

b/ si Christiani essent, non videtur quare ipsis, in conventu suo sacro, assignandus esset locus ubi stent vel sedeant;

c/ In specie *divites* illi non sunt Christiani: etenim Christianis opponuntur: Nonne *divites* opprimunt *vos;* nonne *ipsi* trahunt *vos* ad judicia; — imo *ipsi blasphemant* præclarum *nomen,* nomen *Christi,* quod invocatum est super *vos;* — cæteroquin si divites fuissent Christiani, nonne Jacobus vehementius vituperasset eorum modum agendi, dicendo: blasphemant bonum nomen quod invocatum est *super ipsos* (1); — tandem, si divites illi fuissent Christiani, quænam inesset vis argumento Jacobi in v. 5: Nonne Deus elegit pauperes ad fidem? — nimis enim obvia fuisset lectorum objectio: sed etiam divites elegit Deus ad fidem.

d/ Item, in specie, *pauper* ille non est Christianus: secus enim nonne obvie scripsisset Jacobus, ad augendam adhuc reprehensionem suam: Vos autem exhonorastis *fratrem* pauperem? — Cæteroquin, si dives est Christianus, Christianus erit quoque ipse pauper: præterquam enim quod Jacobus nullo verbo innuit hujusmodi momentosum discrimen inter utrumque, — nonne ad vituperandum modum agendi lectorum suorum, dixisset: Vos, *diviti* ethnico vel Judæo, diviti *extraneo,* postponitis *fratrem,* christianum *pauperem?* (2).

---

sententiam inclinat VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas* (Brugis, 1909). — Pro sententia, divitem et pauperem esse Christianos, inter multos citamus: LIAGRE, *Interpretatio epistolæ catholicæ S. Jacobi* (Lovanii, 1860). BEELEN, *Het Nieuw Testament* (Brugge, 1892); PLUMPTRE, *The general epistle of St. James* (Cambridge, 1901); CEULEMANS, *Commentarius in epistolas catholicas*, (Mechliniæ, 1904).

(1) Hinc quoque apparet *blasphemiam* de qua hoc loco agit Jacobus, non intelligi indirectam, quasi vita sua et conversatione indigna divites illi Christiani nomini Christi opprobrium inferrent. — Cæteroquin non obvie interpretaris *blasphemant* per: *Causa sunt cur blasphement alii.*

(2) Divitem non esse Christianum, pauperem vero Christianum esse olim propugnavit WEISS, in *Deutsche Zeitschrift für Christl. Wissenschaft*, 1854.

Ex dictis confirmatur sententia quam supra (pp. 316 ss.) exposuimus circa *adjuncta* et *tempus* quibus epistola S. Jacobi respondet : lectores, — id est moraliter omnes Christiani quotquot tunc temporis existebant, — generatim omnes *pauperes* esse supponuntur ; — præterea vivunt adhuc satis *permixti cum Judæis,* etiam in rebus religiosis : sicut Christiani initio adire pergebant synagogas judaicas, ita et ipsi in conventus suos proprios recipiunt Judæos (1) ; — attamen jam incipit *hostilitas et persecutio Judæorum* potissimum ditiorum adversus neo-conversos (2). — Quæ omnia optime intelliguntur si epistola ad tempus antiquius, puta ante annum 50 reponitur (3).

A. Vander Heeren.

II

Q. *Solvatur hæc difficultas :* Deus est infinite misericors ; atqui infinitæ misericordiæ repugnat proprie dicta satisfactio : quippe quæ exigitur a justitia quæ repugnat misericordiæ ; ergo mors Christi non fuit proprie dicta satisfactio (4).

R. Trans. *Maj.* (5).

---

(1) Nec mirum videatur nos supponere hujusmodi aditum Judæorum ad conventus Christianorum : ipse S. Paulus aperte supponit idem, I Cor. XIV, 23 s.: Si conveniat universa Ecclesia (i. e. cætus Christianorum) in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem *idiotæ* (Christiani nondum initiati vel catechumeni), aut *infideles* : nonne dicent quod insanitis?

(2) Circa hujusmodi hostilitates initio Ecclesiæ, potissimum a parte ditiorum, qui majori numero sectæ Sadducæorum erant adscripti, cfr. Act. Ap., IV, 1-6 ; V, 17 ; VIII, 1-4 ; IX, 1 s., XII, 1 ss.

(3) Vide supra, pp. 316 ss.; Van Steenkiste-Camerlynck. *o. c.*, pp. 26 ss.

(4) Cf. Billuart, *De Incarnatione,* Dissert. XX, a. 4.

(5) Dico *transeat*, quia animadvertendum est misericordiam non esse *proprie* in Deo, sed tantum *metaphorice* Illi attribui, quatenus a Deo producitur *effectus* similis effectui producto ab homine misericordi : operari ad depellendam miseriam alterius est proprius effectus miseri-

Dist. *min.* Infinitæ misericordiæ sensu *reduplicativo et causali* sumptæ repugnat proprie dicta satisfactio, *conc.;* infinitæ misericordiæ sensu *specificativo* sumptæ... *subdist.:* ille qui est infinite misericors nequit secundum idem exercere misericordiam et exigere satisfactionem, *conc.;* ille qui est infinite misericors nequit secundum unam rationem exercere misericordiam et secundum aliam exigere satisfactionem, *nego.*

Explico distinctiones.

Nomine infinitæ misericordiæ designatur divina benignitas quatenus creaturarum defectus aut miserias expellit. Inde quando agitur de peccato a creatura commisso, quod est maxima miseria, divinæ benignitati formaliter ut sic non convenit nec attribui potest exigere satisfactionem, sed veniam concedere seu condonare reatum culpæ (1).

Sed Deus, qui misericors, est etiam justus: justitiæ autem divinæ formaliter ut sic convenit exigere satisfactionem pro offensa illata. Inde idem Deus potest secundum quod benignus seu misericors est velle condonare reatum culpæ et secundum quod justus est exigere satisfactionem.

In proposita difficultate agitur de ereptione generis humani a statu peccati et miseriæ inducto per peccatum primi hominis: jamvero in hoc opere exercetur et elucet tum misericordia Dei, tum Ejus justitia: misericordia, quatenus Deus vult salvare humanum genus ex miserrimo statu a quo ipsum non poterat sese eripere; justitia, quatenus Deus vult ut a Filio suo præbeatur satisfactio pro offensis illatis ab hominibus. Si ad invicem comparantur hæc duo, decretum divinæ voluntatis,

---

cordiæ in homine et hic effectus habetur etiam a Deo. Sed in Ipso non habetur *tristitia* qua quis de alterius miseria afficitur ac si esset sua propria: hæc autem tristitia est proprie misericordia. Cf. S. THOMAS, 1, q. 21, a. 3.

(1) Eadem ratione divino intellectui formaliter ut sic non convenit velle, sed intelligere.

quo Deus decernit salvare humanum genus, est ratione *prius* et respicit ipsum *finem;* decretum, quo Deus decernit *hoc modo* salvare humanum genus, nempe per satisfactionem a Christo oblatam, est ratione *posterius* et respicit *medium.*

Præterea, in opere de quo agimus, aliud est *subjectum* circa quod exercetur Dei misericordia, aliud circa quod exercetur justitia: etenim *misericordia* exercetur erga *omnes meros homines*, qui propter delictum unius hominis constituti sunt peccatores; *justitia* vero erga Christum a quo, humanæ naturæ per incarnationem participe facto, exigitur, loco omnium hominum, adæquata satisfactio offerenda Deo (1).

Adnotatio.

Quum a quibusdam acatholicis asseratur doctrinam, supra expositam, originis relative recentis esse et a divina Revelatione prorsus alienam (2), duo indicabimus argumenta ex Revelationis fontibus desumpta, quibus edocemur in opere nostræ salutis exerceri Dei *misericordiam* et *justitiam.*

1. Ipse *Christus* utrumque docuit.

a) « Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam » (3). Dilectio igitur Dei, seu Ejus misericordia erga homines est principium a quo procedit missio Salvatoris Christi.

b) Ipse Christus ulterius determinat rationem suæ missionis seu modum quo illam complere debet: « Filius hominis... venit... ut daret animam suam redemptionem pro multis [λύτρον ἀντὶ πολλῶν] » (4): quod significat: Filius hominis venit ut vitam suam morte effunderet tamquam pretium quo homines redimerentur a statu captivitatis in quo jacebant. Illam autem hominum liberationem morte Christi peragen-

---

(1) De ipsa satisfactione a Christo peracta cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 27; t. VII, p. 562; t. XI, p. 84, 158.

(2) Objectionem expositam v. apud Van Crombrugghe, *De Verbo Incarnato,* Gandavi, 1909, p. 200 ss.

(3) *Jo.*, III, 16.

(4) *Marc.*, X, 45.

dam consistere in *remissione peccatorum* etiam docet Christus: « Hic est enim sanguis meus... qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum » (1). *Libere* autem se mortem accipere etiam docet Christus: « Nemo tollit eam [animam] a me sed ego pono eam a meipso » (2).

Christi mortis valor objectivus coram Deo clarius exhibetur in prophetia Isaiæ de Messia morituro (3): quippe qui exhibetur ut innocens ipse et tamen impositam sibi a Deo iniquitatem aliorum portans, ideoque vulneratus propter iniquitates nostras et attritus propter scelera nostra, ac propterea suo cruciatu nos liberans a peccatis et sanans seu salvans nos.

In hac igitur doctrina, qua asseritur Christum libere mortuum esse loco nostrum et præcise pro peccatis nostris ut illa expiaret, continetur *implicite*, et, ut videtur, *formaliter* implicite, doctrina de *satisfactione* a Christo oblata *justitiæ* divinæ.

2. *S. Paulus:*

a/ Charitati seu *misericordiæ* Dei erga nos attribuit nostram salvationem per Christi mortem peractam: « Commendat Deus charitatem suam in nobis [h. e. erga nos], quoniam cum adhuc peccatores essemus... Christus pro nobis mortuus est » (4). — « Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum... quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum » (5).

b/ Sed etiam *justitiæ* divinæ attribuit S. Paulus opus nostræ redemptionis: « Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem [ἱλαστήριον] (6) per fidem in sanguine

---

(1) *Matth.*, XXVI, 28.

(2) *Jo.*, X, 18.

(3) *Isai.*, LIII, 1-12. Servum Domini in hac oratione descriptum esse Messiam et proinde Jesum habes demonstratum a KNABENBAUER, *Commentarius in Isaiam*, Parisiis, 1884, p. 325 ss.; VAN CROMBRUGGHE, *De Soteriologia christiana primis fontibus*, Lovanii, 1905, p. 13 ss.

(4) *Rom.* V, 8-9.

(5) *2 Cor.*, V, 18-19. Cf. PRAT, *La théologie de S. Paul*, t I, Paris, 1908, p. 280 ss.

(6) « De quelque manière qu'on entende... Ἱλαστήριον de saint Paul.

ipsius, ad ostensionem [εἰς ἔνδειξιν = in demonstrationem] justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei; ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore: ut sit ipse justus et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi » (1).

Quorum verborum, intellectu satis difficilium, paraphrasim transcribimus, in qua vocabula sublineamus quæ ad nostram assertionem stabiliendam majoris sunt momenti. « Hanc [gratiam justificantem] mereri nequeunt, sed gratis, per solam Dei benevolentiam, obtinere debent, nempe per redemptionem, quæ peracta est in persona Jesu Christi. Hunc enim proposuit Deus tamquam victimam (2) ad expianda peccata mactatam, quæ expiatio obtinenda est per fidem : idque fecit ut, severa hac agendi ratione in Christum, ostenderet sese *justissimum* esse, pœnasque graves peccato reservatas (quod quidem ostendendum erat, propterea quod peccata ante commissa tamdiu punire neglexerat, nimirum ex magna sua longanimitate); ut, inquam, hoc demum tempore ostenderet suam *justitiam,* idque ut et ipse agnosceretur *justus*... » (3).

Igitur etiam secundum sanctum Paulum, salus nostra est effectus *misericordiæ* Dei, quatenus voluit Ipse nos liberare a miserrimo statu peccati, et est effectus *justitiæ* divinæ, quatenus Deus elegit, tamquam medium ad nos liberandos, expiationem seu satisfactionem pro peccato a Christo oblatam et in sua morte peractam (4).

J. Van der Meersch.

---

il s'en dégage invinciblement l'idée d'expiation et de propitiation, c'est-à-dire d'une action du Christ qui apaise la colère de Dieu et nous le rend propice et en même temps annule l'effet du péché ». Prat, *o. c.*, p. 283; cf. *ibid.*, p. 287.

(1) *Rom.*, III, 24-26.

(2) Bien que l'idée de sacrifice ne soit pas directement contenue dans le mot ἱλαστήριον, elle est renfermée dans l'incise ἐν τῷ αὐτοῦ αἱματι... Jésus Christ est donc bien représenté comme *victime d'expiation* ou *de propitiation* ». Prat, *o. c.*, p. 288.

(3) Van Steenkiste, *Commentarius in S. Pauli epistolas*, Brugis, 1889, p. 82.

(4) Quoad doctrinam Patrum de eadem re, cf. Rivière, *Le dogme de la rédemption*, Paris, 1905 et animadversiones P. Prat, *o. c.*, t. II, Paris, 1912, p. 309.

III-IV

Q. *Breviter contractam propone doctrinam Zwinglii, Calvini et Lutheri circa præsentiam realem eucharisticam. — Determina sensum definitionis Concilii Tridentini, Sess. XIII, can. 1.*

R. **Ad 1m.**

A. **Zwinglius** docet panem et vinum non esse nisi *signa et symbola Corporis et Sanguinis Christi Domini*, eaque signa *nuda*, Christum nullatenus continentia.

Efficaciam igitur SS. Eucharistiæ reducit ad communem efficaciam quam Protestantes adscribunt sacramentis (1): quemadmodum reliqua sacramenta, in specie Baptismus, ita et Eucharistia ad hoc unice ordinatur ut fidem seu fiduciam excitet in Christum, cujus signum et figuram exhibet (2). Dicuntur autem fideles manducare Corpus et Sanguinem Christi, « quatenus celebrando Cænam profitentur se credere in Christo et confidere in mortem Ejus » (3).

In hoc doctrinæ punctum conveniunt Zwingliani, licet inter se differant in modo interpretandi verba institutionis. Nimirum dum alii, cum ipso Zwinglio, voci « *est* » sensum tribuunt: « *significat* », alii cum Oecolampadio, relicto voci « est » nativo suo sensu, symbolice interpretantur ly « *corpus* », quasi poneretur pro « *figura corporis* ».

Porro quod formula institutionis æquivaleat propositioni: « hoc *significat* corpus meum », vel æquivaleat propositioni: « hoc est *figura corporis mei* », liquet diversa interpretationis via ad eamdem conclusionem pertingi, ad omnimodam scil. negationem omnis præsentiæ realis.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 577.

(2) Ideo Zwinglianæ doctrinæ sequaces vocantur *sacramentarii*, quia Eucharistiam reducunt ad rationem nudi signi seu sacramenti, ad mentem Protestantium.

(3) Van Noort, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, n. 271.

B. **Calvinus** *ex una parte* tenet et ipse panem ac vinum esse symbola Corporis et Sanguinis Christi, docens Christum ab Eucharistia eadem distantia separari qua distat cœlum a terra. *Ex alia* autem *parte* illa non habet ut nuda et vacua signa, quorum tota efficacia est excitandi fidem seu fiduciam: censet, *in ipsa symboli eucharistici sumptione, nobis credentibus communicari Christi Domini virtutem et vitam;* nobis in communione uniri Christum, adeoque et Corpus et Sanguinem Ejus, quatenus e carnis suæ substantia vitam in nobis spiret, imo propriam in nobis vitam diffundat, quamvis in nos non ingrediatur ipsa Christi caro (1).

Qua ratione admittit Calvinus, *pro momento communionis*, præsentiam aliquam realem Christi Domini, non quidem *corporalem ac substantialem,* sed præsentiam dumtaxat quamdam *dynamicam.*

C. **Luther** admisit, et usque in finem docuit (2), Christum esse in SS. Eucharistia *realiter* et *substantialiter præsentem* (3), salva tamen hac *duplici restrictione:* quatenus 1° rejecerit doctrinam catholicam de transsubstantiatione, ac potius admiserit *consubstantiationem,* i. e. præsentiam simultaneam panis cum Corpore (4);

---

(1) Ita Van Noort, l. c., n. 272 juxta ipsius hæresiarchi verba.

(2) Grisar, *Luther,* II, p. 793 ss., vindicat, contra quosdam contrarium opinantes, Lutherum, sub vitæ fine, suæ doctrinæ de præsentia reali non valedixisse.

(3) Notissima sunt verba Lutheri desumpta ex epistola ad Argentinenses missa: « Das bekenne ich, wo D. Carbstadt oder Iemand anders für fünff Jahren mich hätte mögen berichten, dass im Sakrament nichts denn Brot und Wein wäre, der hätte mir einen grossen Dienst gethan. Ich habe wohl so grosse Anfechtungen da gelitten, und mich gerungen und gewunden, dass ich gerne heraus gewesen wäre, weil ich wohl sahe dass ich damit dem Papstthumb hätte den grössten Puff können geben... Aber ich bin gefangen, kann nicht heraus; der Text ist zu gewaltig da, und will sich mit Worten nicht lassen aus dem Sinn reissen ». Ita apud Einig, *Institutiones Theologiæ Dogmaticæ*, Treviris, 1900, I, p. 116, in nota, ubi textus ampliores referuntur.

(4) Luther non docuit, ut videtur, stricte dictam *impanationem,* quasi Verbum Incarnatum hypostatice sibi uniret panem et vinum. Hæc doctrina potius tribuenda videtur Osiandro discipulo, quamvis sub

et 2° quatenus præsentiam eucharisticam restrinxerit *ad solum usum SS. Eucharistiæ*, exclusa præsentia reali extra usum sacramenti (1).

Pro explicatione multipræsentiæ Christi eucharistici recurrebat Luther ad *ubiquismum*, docendo humanitati Christi, vi unionis hypostaticæ, competere omnipræsentiam, quæ noscitur esse attributum divinum (2).

Nota. Doctrinam *Calvinianam* quoad substantiam sequuntur *Reformati Hollandici* (3). Est etiam doctrina maximè *Calviniana* quæ fuit consecrata in *The Book of Common Prayer* (1552) (4), necnon in famosis *Articulis XXXIX* (1563) (5), in quibus officiale quoddam ac

---

nomine Lutheri damnanda fuerit proposita in Concilio Tridentino. Articulus Luthero adscriptus (*Concilii Trid. Actorum Pars altera* (T. V), Friburgi Br., 1911, p. 869 s.) sic sonat: « In Eucharistia esse quidem Corpus et Sanguinem D. N. Jesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transsubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis et substantiæ panis et vini ».

Mentio hujus doctrinæ de impanatione stricte dicta etiam occurrit in prima confectione canonis (THEINER, *Acta Genuina Conc. Trid.*, I, p. 520), sed fuit in canone reformato expuncta (*ibidem*, p. 525).

(1) Concipit Luther Eucharistiam uti celebrationem cœnæ, ad imitationem Cœnæ Dominicæ, quæ tota quanta ordinetur ad communionem per modum convivii, et hoc sacro convivio unicè absolvatur, adeo ut ad hujusmodi cœnæ celebrationem et institutum convivium alligetur et restringatur Eucharistiæ sacramentum et præsentia realis. Unde processit reformator ad bellum implacabile indicendum contra missam privatam, absque fidelium assistentium communione celebratam, contra asservationem SS. Sacramenti (contra Deum in pyxide, ut aiebant), contra processiones et integrum cultum eucharisticum in catholica Ecclesia instauratum, quem uti idololatricum damnabat. Cf. BARTMANN, *Lehrbuch der Dogmatik*, Freiburg i. B., 1911, p. 697; coll. POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1906, III, p. 193 s.

(2) GRISAR, o. c., p. 793.

(3) Cf. VAN NOORT, o. c., n. 272, in nota, ubi referuntur citationes ex Auctoribus reformatis Hollandicis desumptæ.

(4) Circa præambula confectionis alterius hujus editionis anni 1552, et quomodo a textibus præsentiæ reali, ad mentem Lutheri, faventibus, quibus prior editio anni 1549 abundabat, fuerit expurgata et accomodata placitis Calvinianis, cf. CONSTANT, *La Transformation du Culte Anglican sous Edouard VI*, apud *Revue d'Histotre ecclésiastique*, 1911, p. 251-270, coll. p. 48-67.

(5) Art. XXVIII hæc habet: « The Body of Christ is given, taken, and

authenticum documentum exhibetur *ecclesiæ Anglicanæ;* inter hodiernos tamen Anglicanos tendentia observatur in favorem præsentiæ realis et substantialis, ad mentem Lutheri, vel et ad genuinam mentem Ecclesiæ Catholicæ (1).

Ad 2m.

Doctrina Concilii Tridentini, in Sessione XIII, capite 1° et canone 1°, proposita, præprimis fuit inducta *contra Zwinglium et sacramentarios,* uti liquet ex tenore articuli primi, examini theologorum minorum subjecti (2): « In Eucharistia non esse revera Corpus et Sanguinem D. N. Jesu-Christi; sed tantùm ut in signo, sicut vinum dicitur esse in circulo ante tabernam. — Hic error est Zwinglii, Oecolampadii et Sacramentariorum » (3).

Canon tamen, in tenore quo fuit a Patrum deputatis propositus et a Concilio adoptatus, dirigitur *etiam contra*

eaten, in the Supper, only after an heavenly and spiritual manner; and the mean whereby the Body of Christ is received and eaten in the Supper is Faith ».

(1) Cf. Cavrois, *La Présence réelle chez quelques Anglicans,* apud *Nouv. Revue théol.*, 1908, p. 257-276, 336-351 et 401-414; coll. *Revue Augustinienne,* t. XIII (1908), p. 205 ss.

(2) Mos erat, in Synodo Tridentina, articulos, ex hæreticis libris excerptos, examinandos et discutiendos submittere collegio theologorum qui, utpote non prælati, minores vocabantur; horum autem officium erat dijudicare utrum et quousque hæreseos censura digni viderentur illi articuli. Qui tunc articuli, unà cum observationibus, necnon alii articuli, quos theologi minores forte judicaverint, præter illos, a Concilio opportunè reprobandos, proponebantur coram Cœtu generali conciliari, seu coram plena Synodo, ad vota Patrum excipienda; juxta hæc autem vota conficiebantur canones, industria Patrum ad hoc deputatorum, judicio etiam interdum invocato, pro negotiis difficilioribus, Congregationis Prælatorum theologorum; quorum tandem canonum tenor deinceps erat successive moderandus ac aptandus juxta novas Patrum observationes, donec, in definitivam formam redactus, unanimem vel quasi unanimem sensum obtinuerit.

(3) Theiner, o. c., I, p. 406, coll. p. 488. In eadem articulorum serie contra Zwinglium dirigitur articulus 2s: « Exhiberi in Eucharistia Christum; sed spiritualiter tantùm manducandum per fidem ». Hic articulus, post multas disputationes et observationes, locum dedit canoni 8°: « Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, et non etiam sacramentaliter ac realiter, A. S. ».

errorem Calvini; utrumque autem errorem damnat S. Synodus, utrique nitidè in contrarium opposita doctrina catholica tenenda (1).

Nimirum sub anathemate docet totum Christum in SS. Eucharistia contineri: a/ *verè*, i. e. non tantummodò *ut in signo,* seu *significative* dumtaxat, juxta interpretationem Zwinglii; b/ *realiter*, i. e. non tantùm *in figura*, ad mentem Oecolampadii; c/ *substantialiter*, i. e. non solum *in virtute,* juxta placitum Calvini, solam admittentis præsentiam dynamicam, exclusa præsentia substantiali, corporali.

A. De Smet.

V

Q. *Racontez brièvement l'origine et les premiers développements de la réforme cistercienne.*

R. Nous nous proposons de faire connaître brièvement en deux réponses successives les origines et le caractère de l'ordre de Cîteaux; réservant pour une réponse prochaine l'étude de la règle et de l'organisation, nous nous bornons ici à un exposé et à une explication très brève de la naissance et du rapide développement du nouvel ordre (2). Remarquons

---

(1) Textus integer est sequens: « Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento, contineri *verè, realiter* et *substantialiter* Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate D. N. Jesu-Christi, ac proinde totum Christum (hucusque doctrina catholica tenenda); sed dixerit (sequitur hæreticalis sententia reprobanda) tantummodò esse in eo *ut in signo*, vel *figura*, aut *virtute*, A. S. ».

(2) Voir une bibliographie très abondante des sources et des travaux dans L. Janauscheck, *Originum cisterciensium tomus I*, Vienne, 1877, ainsique dans U. Chevalier, *Répertoire, Topo-bibliographie*, art. *Cisterciens*, col. 718-721. Nous avons surtout consulté les travaux récents: E. Vacandard, *Vie de Saint Bernard*, 2e éd., Paris, 1897; M. E[nglish], *De Cistercienzer hervorming* dans la revue *Biekorf*, t. XXII, 1911, p. 186-191, 241-247, 257-265, 289-294, 305-315, 324-329; U. Berlière, O. S. B., *Les origines de l'ordre de Cîteaux et l'ordre bénédictin au XIIe Siècle* dans la *Rev. d'Hist. Eccl.*, t. I (1900) p. 448-471, t. II (1901) p. 253-290. Cette dernière étude a été résumée en partie au chap. VI de l'excellent ouvrage que le même auteur vient de publier sous le titre: *L'ordre*

d'abord, pour rattacher ces réponses aux précédentes, que la réforme cistercienne est une des plus belles manifestations de cette renaissance générale de l'esprit chrétien, qui caractérise la 2de période du moyen âge. Elle ouvre en effet la série des nouvelles fondations religieuses et surpasse la plupart de celles-ci par la rapidité de son extension ainsi que par le nombre et la ferveur de ses adhérents.

I. **Origines : de saint Robert à saint Bernard.**

Le berceau du nouvel ordre fut l'abbaye de Cîteaux *(Cistercium)*, fondée par saint Robert en 1098. Saint Robert, né vers 1027, entra à l'âge de quinze ans dans le monastère bénédictin de Moutier-la-Celle ; tourmenté du besoin de la perfection évangélique, il essaya vainement de la trouver en plusieurs couvents de Champagne et de Bourgogne : à Moutier d'abord, puis à Tonnère et à Saint-Ayoul de Provins. Étant abbé de Tonnère, il entra en relation avec les ermites du bois voisin de Colan, qu'il réussit à gagner à ses vues de réforme. Son idéal était la pratique, aussi littérale que possible, de la règle de saint Benoît, dont ses contemporains lui paraissaient avoir perdu la tradition et l'esprit.

En 1074 il obtint de son abbé la permission de se retirer chez les ermites de Colan, qui avaient sollicité sa direction ; déjà l'année suivante, en 1075, il fonda pour eux, ainsi que pour les nouveaux postulants, le monastère de Molesme. Au début les moines de Molesme firent preuve d'une ferveur extraordinaire, ils y menaient une vie absolument conforme aux prescriptions de la règle bénédictine, sans aucune des mitigations que la tradition avait introduites, tâchant notamment de gagner par le travail manuel le pain de chaque jour. Mais les nombreuses donations, les relations assez fréquentes avec le monde féodal modifièrent rapidement

---

monastique des origines au XIIe Siècle, Maredsous, 1912. Voir aussi les articles de J. Besse dans le *Dictionnaire de Théol. Cath.* et de S.-M. Deutsch dans la *Real-Encyclopädie*, vo *Cisterciens*.

la mentalité de la majeure partie des religieux et les austérites des premières années firent place à des adoucissements reçus dans les autres monastères bénédictins par rapport au travail et à la nourriture. Certains moines cependant déplorèrent l'introduction de ces mitigations, et notamment l'abbé Robert partagea cette manière de voir, tout en s'ingéniant à apaiser les dissensions qui éclatèrent bientôt entre les partisans de tendances si opposées. Il n'y réussit pas, prit finalement le parti de résigner sa charge abbatiale, et avec le consentement du légat du pape, Hugues archevêque de Lyon, il alla se fixer, le 21 mars 1098, avec vingt de ses moines dans la solitude de Citeaux en Bourgogne.

A Citeaux les moines reprirent l'ancienne l'observance et ils comptèrent bien cette fois la conserver, malgré le départ, volontaire ou forcé, de l'abbé Robert. Celui-ci en effet ne resta qu'une année à Citeaux ; sur l'ordre du pape Urbain II, il fut obligé, à ce qu'il paraît, de reprendre la direction de Molesme (1). Mais la nouvelle fondation de Citeaux trouva en son second abbé, saint Albéric (1099-1109), un ferme soutien. C'est à lui que remontent les premiers règlements cisterciens qui regardent la nourriture et le vêtement. On lui doit en particulier le choix de la couleur blanche ou plutôt grise, qui devait distinguer la branche cistercienne de tous les autres membres de la grande famille bénédictine. Pour mettre ses frères à l'abri de la jalousie des monastères du voisinage, il avait également pris soin, dès le début de son ministère, de placer son abbaye sous le patronage officiel du Saint-Siège. On peut considérer la bulle par laquelle le pape Pascal II prend la nouvelle fondation sous sa protection (19 nov. 1100) comme le premier pas vers la séparation et l'organisation indépendante.

(1) On a attribué à des motifs moins nobles le départ de saint Robert. Voir M. English, *a. c.*, p. 189.

C'est cependant à son troisième abbé, à l'anglais saint Étienne Harding (1109-1134), que la nouvelle institution doit son cachet définitif et sa puissante organisation. Homme de science autant que d'administration, il s'occupa d'abord à ramener le cérémonial en usage chez les bénédictins à une plus grande simplicité et à reviser les livres liturgiques ; il prit également des mesures énergiques pour maintenir l'esprit et la pratique de la pauvreté. Mais tant de sévérité effraya d'abord les postulants et Cîteaux, décimée en plus par une maladie contagieuse, périclita un instant faute de sujets. Heureusement l'entrée de saint Bernard et de ses trente compagnons vint sauver la situation (avril ? 1112) ; les novices affluèrent à tel point qu'on fut forcé de fonder plusieurs nouveaux monastères et que bientôt s'imposa la nécessité de promulguer une constitution. C'est ce que fit Étienne Harding avec le conseil des abbés des monastères récemment fondés et de quelques frères discrets, dans le chapitre général de 1119, en publiant la *Charta Charitatis*. Par ce statut fondamental, approuvé par Calixte II, le 23 décembre 1119, la famille cistercienne apparaît définitivement au sein de la grande famille monastique comme un véritable ordre, comme un ordre distinct des « *ordines* » ou groupements antérieurs et par son idéal, et par son habit, et surtout par sa constitution (1).

II. **Premier développement de l'ordre cistercien.**

L'entrée de saint Bernard au noviciat de Cîteaux fut le point de départ d'un développement extraordinaire. La fondation de La Ferté (1113), Pontigny (1114),

(1) Les débuts de l'ordre cistercien nous sont racontés dans deux récits très anciens : a/ *Exordium ord. cist.* dit l'*Exordium parvum* écrit probablement par Saint Étienne Harding, publié dans MIGNE, *P. L.*, t. CLXVI, col. 1501, ainsi que dans MIRŒUS, *Chron. Cist. Ord.*, Colon. 1614 ; b/ *Exordium Magnum*... composé par Conrad de Clairvaux entre 1186-1221, publié plusieurs fois, notamment dans MIGNE, *P. L.*, t. CLXXXV, col. 995-1198.

Clairvaux et Morimond (1115) ne se fit guère attendre. Ces maisons reçurent dans la suite le nom de *premières filles de Citeaux* et leurs abbés obtinrent certains droits dans le gouvernement général de l'ordre. Sous la poussée des vocations de plus en plus nombreuses et sur l'invitation des papes, des évêques, des rois et des seigneurs, les premières filles de Citeaux durent essaimer à leur tour; elles le firent avec un succès tel, qu'en 1134, date finale de l'époque que les historiens de l'ordre appellent l'époque de la plantation, existaient déjà soixante-dix-sept abbayes. L'âge d'or de l'ordre dura de 1134 à 1242; en cette dernière année, il comptait 707 abbayes, répandues dans tous les pays de la chrétienté, jusque dans les pays Scandinaves et en Palestine. Une vingtaine d'abbayes vinrent encore s'ajouter à ce nombre dans la suite: en tout il y en eut 721, sans compter les granges et les prieurés, sans compter surtout le grand nombre d'abbayes de religieuses, dont le chiffre s'éleva à neuf cents à l'époque la plus florissante (1).

La diffusion de la famille cistercienne se fit surtout par voie de fondation directe. Il y eut cependant des affiliations de monastères établis antérieurement: c'est ainsi que l'affiliation de la congrégation de Savigny, accomplie en 1147, valut à Cîteaux un accroissement de vingt-huit monastères (2).

Tout en tenant compte de l'action de la Providence, on peut assigner au rapide développement de l'ordre

---

(1) Ce sont les chiffres donnés par le R. P. Albers dans son *Handboek der Algemeene Kerkgeschiedenis*; t. II, p. 101. S. M. Deutsch dans la *Real Encycl.*, art. *Cistercienzer*, cite, d'après Janauscheck, 738 abbayes et fait remarquer que la *Linea Claravallis* en comptait à elle seul 353. Nos abbayes flamandes des Dunes, de Clairmarais, de ter Doest, de Baudeloo etc. appartenaient à la génération de Clairvaux.

Remarquons encore la grande population des monastères cistercens: d'après la Chronique de De Budt, il y avait aux Dunes, du temps de l'Abbé Nicolas de Bailleul (1232-53) 102 moines et 248 convers. Clr. *Cronica et Cartularium de Dunis*, Bruges, 1864, p. 9.

(2) V. Berlière, *Les origines*... p. 452.

de Cîteaux diverses causes, qui tiennent à l'époque qui le vit naître, au but qu'il se proposait, à la constitution même de son organisme.

On ne peut nier qu'au commencement du XIIe siècle, il y eut dans l'ordre bénédictin des germes de décadence provenant surtout de ses grandes richesses et de la situation importante que les monastères occupaient au sein de la société féodale. L'ordre le plus célèbre de l'époque précédente, la congrégation de Cluny avait subi une profonde atteinte dans sa discipline et par suite dans sa réputation sous la vicieuse direction d'un abbé Ponce, qui mourut en 1122.

Or Cîteaux se présentait comme une réaction contre cette décadence : ce fut là sa grande force. « En revenant à la lettre de la Règle, dit D. U. Berliere (1), en donnant aux recrues de la vie monastique l'assurance de pouvoir mettre en pratique dans toute leur intégrité les préceptes de saint Benoît, Cîteaux offrait à tous ceux qui aspiraient à l'idéal de leur état un attrait puissant, que justifiait la vie de prière de travail et de pénitence qu'on y menait. La conviction d'être les ouvriers d'une grande œuvre, d'être les interprètes authentiques de la pensée de saint Benoît, communiqua aux premières générations sorties de Cîteaux une générosité, un enthousiasme dont les ardeurs se faisaient sentir bien au de-là des murs de leurs cloîtres. Une vie spirituelle intense, nourrie et développée par la pratique de vertus héroïques, circulait dans ces nouvelles fondations et le parfum qui s'en exhalait, attirait vers elles les âmes qui cherchaient véritablement Dieu ». Cette contagion de grands exemples, mais surtout le prestige dont la personnalité de saint Bernard, l'oracle de son siècle, entoura l'ordre naissant, contribuèrent largement à sa popularité et à son extension (2).

---

(1) *Ibid.*, p. 458. et *L'Ordre monastique*, p. 234 et ss.

(2) Saint Bernard a marqué les origines de Cîteaux de l'empreinte de

Cîteaux ne jouit pas uniquement du respect des foules, il avait encore les faveurs des papes et la sympathie des évêques. Ces derniers voyaient de bon œil que les Cisterciens ne cherchaient pas à se soustraire à la juridiction de l'Ordinaire et les papes n'oubliaient pas ce qu'ils devaient à l'activité surprenante de saint Bernard. C'est grâce à saint Bernard qu'Innocent II fut reconnu ; en 1145 le trône pontifical était occupé par un moine cistercien, Eugène III.

Un autre élément de progrès fut l'organisation de la famille cistercienne. La *Charta Charitatis*, comme nous aurons l'occasion de le montrer dans une réponse prochaine, trouva le juste milieu entre l'isolement dangereux des monastères et les excès d'une centralisation absolue. Elle laissa à chaque maison son initiative et par suite sa force naturelle d'expansion, mais elle plaça aussi tout l'ordre sous le contrôle d'une autorité stable et puissante, maintenant ainsi l'unité, la cohésion et l'affection de tous pour les intérêts communs (1).

Longtemps l'ordre de Cîteaux tint la tête parmi les autres familles religieuses. Sa gloire ne fut éclipsée dans le XIIIe siècle que par les grands ordres mendiants.

R. De Schepper.

VI

Q. *L'arrêté royal du 16 août 1824 est-il applicable aux travaux d'ameublement et de décoration des églises ?*

R. I. La jurisprudence administrative (2), suivie

---

sa forte personnalité ; c'est lui qui imposa et fit triompher l'idéal cistercien ; il fonda à lui seul 68 abbayes. Aussi bien les cisterciens se réclament-ils de lui comme d'un père : ils aiment à s'appeler les *filii sancti Bernardi*, et de fait dans certains pays le nom de Bernardins a prévalu contre celui de Cisterciens. D'après une décision du chapitre général de 1238, saint Bernard fut mis dans la liturgie sur le même pied que saint Benoît.

(1) Voir pour toute cette partie la conférence de D. U. Berlière dans *L'ordre monastique...*

(2) Très peu de juristes se prononcent en faveur de la pratique admi-

sous tous les ministères de gauche et de droite, soumet à l'autorisation préalable du Roi et à l'avis de la Commission royale des monuments le placement dans les églises d'objets mobiliers de tout genre et l'exécution des entreprises d'embellissement et de décoration. Depuis 1878 jusqu'à nos jours, une série de circulaires ont accentué de plus en plus la rigueur de cette pratique (1). Les prescriptions de l'arrêté de Guillaume Ier furent étendues à toute espèce d'ouvrages, artistiques ou ordinaires, destinés à des églises monumentales ou à des édifices dénués de toute valeur architecturale, payés par les fabriques ou par des particuliers, avec ou sans les subsides des administrations publiques. Il suffit de consulter le *Moniteur* ou le *Bulletin des Commissions royales d'art et d'archéologie* pour se convaincre des exigences toujours croissantes de l'Administration supérieure et de la Commission royale des monuments, autorisant et approuvant de travaux qui ne dépassent pas la compétence d'un ouvrier de village, mettant en branle toutes les complications des rouages administratifs pour des mesquineries (2).

---

nistrative. V. Brixhe et Lion, *Dictionnaire des fabriques*, 2 éd., v° embellissement. Liége, 1873 ; *les Pandectes*, v° Église, n° 166, déduisent des documents de jurisprudence qu'*aucun* meuble ne peut être placé dans les églises sans autorisation royale.

(1) V. pour la période antérieure à Bara, la *Revue catholique*, 1852-1853, t. X, p. 611 ss.; 1853-1854, t. XI, p. 363-367. — Circ. min. 9 nov. 1878, Jacobs, *De bewaring van de kunstgebouwen*, enz. bl. 91, Antwerpen, 1905; circ. min. 3 déc. 1878, *ibid.*, p. 92 s.; circ. min. 12 sept. 1881, *ibid.*, p. 121 s.; cir. min. 15 mai 1885, Standaert, *Manuel de l'administration des fabriques*, p. 243; circ. min. 31 mars 1894, Jacobs, *o. c.*, p. 107; lettre de la Commission royale des monuments 28 mars 1896, *ibid.*, p. 123; circ. minist., 15 avril 1896, *ibid.*, p. 123; dép. min. 13 mai 1896, De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*. ed. 7, n° 1087, p. 389 (nous n'en avons pas retrouvé le texte); cir. min. 5 sept. 1903, *Revue cath. de droit*, 1904-1905, t. VII, p. 260-261 ; instructions de la Com. roy. des mon. 11 janv. 1905, Jacobs, *o. c.*, p. 125 ; Circ. des gouverneurs des provinces, août 1909 et lettre de la Com. roy. des mon , 5 août 1909, *Revue ecclésiastique de Liége*, 1909-1910, t. V, p. 194-195.

(2) V. *Collat. Brug.*, t. II, p. 573, III, p. 289 ss.; V, p. 199. — Quelques

Le seul argument qu'on invoque à l'appui de cette thèse sont les articles 2 et 3 de l'arrêté royal du 16 août 1824 (1), interprétés dans le sens le plus restrictif. En vertu de ces dispositions, les fabriques ne pourraient librement ordonner que les seules réparations d'entretien nécessaires à la conservation des églises et des édifices du culte ; elles auraient besoin de l'autorisation royale pour effectuer tous autres ouvrages, notamment les travaux d'ameublement et de décoration.

Il est à noter que, d'après la jurisprudence tant administrative que judiciaire, les infractions à cette réglementation engagent la responsabilité civile et pénale des fabriciens (2).

Cette limitation de la compétence des fabriques ne peut se soutenir.

II. A. *L'arrêté de 1824 doit être interprété strictement.* Pris à une époque où le gouvernement hollandais méditait des mesures vexatoires contre la religion catholique et visait a restreindre l'exercice de son culte et la multiplication des paroisses et des communautés ec-

---

exemples : A. R. 22 oct. 1904, autorise le placement d'un *piédestal* dans l'église d'Ittre, *Moniteur*, p. 5510; A. R. 27 mai 1907, *armoire* dans la *sacristie* de l'église de St-Servais à Schaerbeek, *Moniteur*, 2801; A. R. 20 oct. 1907, *crédence, armoire* et deux *bénitiers* dans l'église de Wamont, *Moniteur*, 5977; A. R. 26 fév. 1906, *porte* dans la *chapelle* de Moulin-à-Vent, *Moniteur*, 1480; A. R. 27 juin 1911, *appareils d'éclairage électrique*, *Moniteur*, 3934; A. R. 21 juillet 1911, *troncs*, *Moniteur*, 4539; A. R. 23 août 1911, *confessional* et *armoire* dans la *sacristie* de l'église de Lapscheure, *Moniteur*, 5354; A. R. 28 août 1911, *candélabres* dans l'église de Desnié, *Moniteur*, 5732; A. R. 3 déc. 1911, *cadres de chemin de croix* dans la chapelle de Graethem, *Moniteur*, 7725; *Grille de clôture autour de divers presbytères*, A. R. 18 fév. 1911, *Moniteur*, 1387 et *Bullet. des Commissions royales d'art et d'archéologie*, 1911, p. 422, etc.

(1) Texte français dans Bon, *Législation des paroisses*, p. 200, Bruxelles, 1841; texte complet avec le préambule dans la *Pasinomie*, 2 sér., t VIII, p. 89 s.; texte néerlandais dans Jacobs, *o. c.*, p. 58 s.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1086, p. 386; *Collat. Brug.*, V, 198 ss.; XVI, 54 ss., 67, 297; Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9 éd., p. 475, Louvain, 1899; *les Pandectes*, *l. c.*, n° 167.

clésiastiques (1), il contient incontestablement plusieurs dispositions abolies par notre charte fondamentale (2). Considéré même dans son ensemble, il peut à bon droit être attaqué pour vice d'inconstitutionnalité, parce qu'il empiète sur le domaine législatif, violant tout à la fois les articles 1, 12, 37, 42, 48 du décret-loi de 1809. Pour le moins, les limitations qu'il apporte aux attributions des fabriques, ainsi que les sanctions qu'il entraîne établissent qu'il faut y voir une mesure de stricte interprétation.

B. *L'arrêté du 16 mai 1824 ne réglemente pas le placement dans les églises d'objets de décoration et d'ameublement.*

1° La plupart des auteurs (3), s'en tenant au principe d'interprétation étroite et mettant l'arrêté de Guillaume en regard du décret de 1809, soutiennent qu'en dehors des travaux de construction, de reconstruction et de ceux qui seraient de nature à changer l'ordonnance de l'édifice, tous autres ouvrages, spécialement les entreprises d'ameublement et de décoration de l'église (comprises (4) dans les termes impropres ou incomplets de travaux d'entretien), peuvent être effectués par les fabriques, sans autorisation royale, dans les limites du budget.

2° Quoiqu'il en soit du bien-fondé de cette preuve, on peut soutenir avec plus de probabilité que l'arreté du roi Guillaume est complètement étranger aux travaux d'ameublement et de décoration (5).

a/ Ni son préambule, ni ses dispositions ne font

---

(1) Le texte néerlandais porte: Kerkelijke gemeenten. Bon traduit cette expression par églises; *la Pasinomie*, par communions religieuses.

(2) V. le préambule, les articles 1er et 4e.

(3) V. Deltour dans la *Revue catholique*, 1853-1854, t. XI, p. 366; Lauwers, *Code de droit civil-ecclésiastique*, p. 285, Bruges, 1859; Moulart, *o. c.*, p. 474; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, p. 389, n° 1087.

(4) Cf. Lauwers, *l. c.; Collat. Brug.*, III, 290 s.

(5) V. Moulart, *l. c.*, p. 474.

mention de ces travaux. Il s'y agit de construire, reconstruire, réparer, démolir les *édifices du culte*, de faire des travaux destinés à remédier aux dégradations ou nécessaires à la conservation des *bâtiments*, d'ouvrages de nature à changer l'ordonnance des églises (1), c'est-à-dire leur plan, leur style, les motifs de leur architecture, la disposition de leurs parties (2). Pas un mot qui doive s'entendre du placement d'objets mobiliers ou de décors, travaux généralement nettement distincts de ceux qui se rapportent à la construction de l'édifice.

M. de Corswarem (3) requiert l'autorisation royale pour le placement de vitraux peints, de chemins de croix encastrés dans les murs, de grands meubles, tels qu'une chaire de vérité, un confessionnal, parce que ces travaux peuvent exercer une grande influence sur l'ordonnance de l'église. Nous ne nions pas que beaucoup de travaux de décoration ou d'ameublement sont en rapport avec l'ordonnance du bâtiment et doivent s'adapter à son style et à ses lignes architecturales; mais toute la question est de savoir s'ils constituent en eux-mêmes des modifications profondes apportées au plan, à la disposition, aux proportions de l'édifice.

b/ Une circulaire des Gouverneurs des provinces, envoyée par ordre du Gouvernement en 1826-1827 (4),

---

(1) *En néerlandais:* nochte de reeds bestaande (kerken of gebouwen tot de oefening van den openbaren eeredienst bestemd) te herbouwen of aan dezelve *eene veranderde inrichting* te geven.

(2) Par exemple: le déplacement des marches du chœur, l'abaissement du sol, la suppression des nefs, portes, fenêtres. V. arrêt de la Cour de Liége, 28 déc. 1882, *Pasicrisie*, 1883, II, 161; DE CORSWAREM, *De l'administration des fabriques*, n° 103, p. 187, Hasselt, 1904.

(3) *O. c.*, n° 108, p. 108. V. également une phrase analogue dans un discours de M. Thonissen aux Chambres. *Annales parlementaires, Chambre des Représentants*, 1869-1870, p. 298.

(4) Celle du Gouverneur de la province d'Anvers est datée du 30 déc. 1826. V. JACOBS, *o. c.*, p. 74-77. Celle du Gouverneur de la Flandre Occidentale est du 11 avril 1827. V. *Verzameling der akten van algemeen*

et interprétative de l'article 2 de l'arrêté de 1824 est entièrement rédigée en ce sens. Il n'y est fait aucune mention de travaux d'ameublement et de décoration; mais de ces entreprises qui modifient le plan, la forme de l'ensemble ou d'une partie de l'édifice (1), de celles notamment qui consisteraient à murer les fenêtres, à faire disparaître les ornements gothiques des murs, à abaisser ou surélever le niveau du chœur. Ces changements, ajoute le gouverneur, apportés à des parties d'églises, brisent fréquemment le plan ou l'harmonie de l'ensemble et causent ainsi un dommage réel à tout l'édifice (2).

c/ L'arrêté royal du 7 janvier 1835 (3) confirme pleinement notre interprétation. Il est institué une Commission royale des monuments à l'effet de donner son avis, art. 1, § 2: « sur les *plans* relatifs aux *constructions et réparations* des *édifices* mentionnés dans l'arrêté du 16 août 1824 et d'autres édifices publics ».

d/ Aussi, en l'absence de textes juridiques appuyant les prétentions d'un gouvernement tracassier, M. Bara, dans les circulaires de 1878 et 1882, a ajouté aux dispositions de l'arrêté de 1824 les mots : travaux d'embellissement et de décoration (4).

Quand on rapproche des dispositions primitives les

---

bestuur der Provincie West-Vlaanderen 1827, t. 18, p. 209-212. Elle est intitulée: *Besluit houdende maatregelen tegen het veranderen van de inrichting der Kerkgebouwen zonder autorisatie.* Nous la publierons prochainement dans les *Collationes*.

(1) « Terwijl voor alle werken zonder uitzondering waardoor de gebouwen of eenig gedeelte derzelve van gedaante, in minderen of meerderen graad, zouden veranderen, vooraf de autorisatie des Konings moet zijn verkregen ».

(2) Zoo als het toemetselen der vensters; het afkappen van gothische cieraden der muren; het verlagen of verhoogen van de koren, of dergelijke, door welke veranderingen aan gedeeltens der kerken de zamenstel of de bouworde van het geheel gebouw zou verbroken en alzoo wezenlijke schade aan dat geheel toegebracht worden.

(3) Bon, *o. c.*, p. 233.

(4) Moulart, *o. c.*, p. 475.

errements du Ministère de la Justice et de la Commission royale des monuments, on s'étonne à juste titre de l'arbitraire de la jurisprudence et de la pratique actuelle, qui par voie administrative consacrent de véritables illégalités. Ce qui plus est, c'est que les arguments qu'on fait valoir peuvent justifier bien d'autres empiétements. A quand la nécessité de reporter l'autorisation royale et l'avis de la Commission des monuments, préalablement à l'achat de vases sacrés, ornements sacerdotaux, bannières, chandeliers, chaises d'églises, matériel des pompes funèbres (1) etc.!

Et qu'on n'objecte pas le mauvais goût qui encombrerait les édifices du culte d'objets religieux de bas art! Ce souci de l'esthétique de nos églises n'est pas un motif pour faire dire à la loi ce qu'elle ne contient pas; et puis, les formalités de l'approbation du budget (2) et les mesures prises par l'autorité religieuse (3) sont des sauvegardes suffisantes pour maintenir la décence et la beauté dans nos temples. On se contente de ces garanties en Allemagne, dans les pays soumis au régime de 1809 (4); on s'en est contenté en France avant la loi de Séparation. S'il y a des lacunes dans notre législation, rien n'empêche que le Gouvernement s'entende avec les Évêques (5) pour faire voter un loi qui établirait

---

(1) On objecte que les fabriques adressent fréquemment à l'administration des demandes futiles d'autorisation. Les fabriques n'agissent ainsi que pour s'éviter des désagréments que l'on sait être considérables. et souvent sur le conseil de fonctionnaires qui veulent faire du zèle. Puis, si la demande n'est pas justifiée, le Gouvernement a le devoir de ne pas y répondre.

(2) Cf. *Revue catholique*, 1853-1854, t. XI, p. 36 ss.

(3) V. Statuta diœcesis Brugensis, p. 182.

(4) V. *la Revue ecclésiastique de Metz*, 1906, t. XVII, p. 282 s.

(5) Nous ne résistons pas au plaisir de citer un texte du R. P. Vermeersch (*Le Belge et la personne civile*, p. 46, Bruxelles, 1908) répondant à ceux qui invoquent l'impossibilité — ou l'inopportunité — d'un accord entre l'Église et l'État: « Eh quoi? Ne vote-t-on pas des traitements à ses évêques et à ses ministres? La Constitution, à son article 16, ne mentionne-t-elle pas les supérieurs ecclésiastiques pour garantir la libre publication de leurs

une intervention raisonnable de l'État en matière de décoration ou d'ameublement, lorsqu'il s'agit d'édifices classés, ou lorsqu'il est fait appel aux subsides des administrations publiques.

Nous avons exposé précédemment (1) les grandes lignes de divers projets destinés à remplacer l'arrêté royal du 16 août 1624 et les dispositions connexes. Ni le projet de la Commission royale des monuments, élaboré en 1887 (2), ni celui dû à l'initiative de M. Behault de Dornon (3) ne déterminent les formalités auxquelles seront soumis le placement d'objets mobiliers et les travaux de décoration à effectuer dans les églises et édifices du culte, classés ou non classés. C'est une lacune à combler. Un projet de la Commission (4) *sur la protection des sites* vient d'être sanctionné par arrêté royal du 29 mai 1912 (5). Bien que son article 1er remplace et complète l'article 1er de l'arrêté royal du 7 janvier 1835, il ne comporte pour le point qui nous occupe aucune modification.

A. De Meester.

---

actes? Ne voyons-nous pas le Gouvernement interroger des particuliers, des groupes, des associations non reconnues, s'inspirer de leurs vœux, de leurs plaintes, de leurs projets de loi? Et tandis qu'on peut s'entendre avec les bouchers, les tailleurs, même avec les grévistes, il sera impossible de traiter avec l'autorité religieuse, à laquelle obéit la majorité de la Nation? Oh! les fictions juridiques ».

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 68 ss.

(2) *Bulletin des Commissions royales d'art et d'archéologie*, 1909, p. 177-181.

(3) *Collat. Brug.*, *l. c.*, p. 68 note (1).

(4) *Bulletin cité*, 1911, p. 185 (6).

(5) *Moniteur*, p. 3668; *Revue de l'administration*, 1912, t. LIX, p. 322-325.

DE VASECTOMIA

Quæstio de vasectomia ejusque liceitate hisce ultimis temporibus tantopere sollicitos habuit theologos, medicos, jurisperitos et legislatores, in America præsertim Septentrionali, ut opportunum visum fuerit controversiam breviter exponere et, in quantum hucusque nota id facere sinunt, solutionem proponere (1).

Ansam præbuit huic controversiæ lex recenter in-

(1) Huc spectant articuli de hac re scripti sequentes :

DONOVAN (professor in collegio Franciscano Universitati Washingtonensi adnexo), *Circa liceitatem cujusdam operationis chirurgicæ*, apud *Ecclesiastical Review*, tom. XLII (1910), p. 271 ss., collatis *ibidem*, p. 599 ss., necnon tom. XLIV, p. 571 ss., ac tom. XLV, p. 313 ss.; LABOURÉ (professor Seminarii in San Antonio), *De Vasectomia*, *ibidem*, tom. XLIII, p. 80 ss., collatis, p. 320 ss. et 552 ss., necnon tom. XLIV, p. 574 ss. et tom. XLV, p. 355 ss.; RIGBY (professor in collegio Dominicanorum, Romæ), *De liceitate vasectomiæ*, *ibidem*, p. 70 ss.; SCHMITT, *Vasectomia, eine neue Operation und ihre Erlaubtheit*, apud *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1911, p. 66 ss. et 759 ss.; coll. *Ecclesiastical Review*, tom. XLIV, p. 679 ss. et tom. XLV, p. 86 ss.; FERRERES, *De Vasectomia duplici noviter inventa*, apud *Razon y Fe*, t. XXVII, p. 374 ss., tom. XXVIII, p. 224 ss., tom. XXXI, p. 495 ss. et tom. XXXII, p. 222 ss., coll. *Eccles. Rev.*, tom. XLVI (1912), p. 207 ss.; GEMELLI (Dr medicus et professor theol. pastoralis), *De liceitate Vasectomiæ*, apud *La Scuola Cattolica*, tom. XXI (1911), p. 396 ss.; STUCCHI, *ibidem*, p. 417 ss.; ESCHBACH, *ibidem*, tom. XXII, p. 243 ss.; CAPELLO, *ibidem*, p. 246 ss.; DE BECKER, *The casus « de liceitate Vasectomiæ »*, apud *Eccles. Review*, tom. XLII, p. 474 s. et tom. XLIII, p. 356 ss.; Dr medicus O'MALLEY, *Vasectomy in Defectives*, apud *Eccles. Review*, tom. XLIV, p. 684 ss., coll., tom. XLVI, p. 219 ss.; IDEM, *Inseminatio ad validum matrimonium requisita*, *ibidem*, tom. XLVI, p. 322 ss.; RODERER, apud *Eccles. Review*, tom. XLIV, p. 742 s.; WOUTERS, *De Vasectomia*, apud *Nederl. kath. Stemmen*, 1911, p. 10 ss ; *Nouv. Rev. théol.*, 1910, p. 417 ss.; *Revue eccl. de Liége*, VI, p 203 ss. Addi possunt quædam dissertationes seu adnotationes huc spectantes anonymicè aut pseudonymice vulgatæ in *Eccles. Review*: tom. XLII, p. 346 ss ; tom. XLIII, p. 310 ss. (sub pseudonomine *Neo-Scholasticus*); tom. XLIV, p. 562 ss.; tom. XLV, p. 71 ss. et p. 599 ss. (sub pseudonomine *Philokanon*); accedit tandem Consultatio theologica RR. PP. VERMEERSCH, DE VILLERS et SALSMANS, in *Eccles. Review*, tom. XLII, p 475.

ducta in variis Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis, signanter in Indiana, California, Utah et Connecticut, tenore cujus legis vasectomia imponitur peragenda in variis viris degeneribus, defectivis, alcoholicis et aliis hujusmodi, ex quibus procreanda timetur adulterata ac degener progenies (1).

Successive exponemus 1/ in quo consistat sic dicta Vasectomia, 2/ quinam sint ejusdem effectus et 3/ quousque licitè peragi valeat tam publica quam privata auctoritate.

I. In quo consistat Vasectomia.

Apud virum, consistit in sectione transversa peracta in utroque canali (vase deferente nuncupato), quod viam sternit a testiculis ad vesiculas seminales: incisione nempe facta per scrotum, forcipe prehenditur funiculus spermaticus, atque ex denudato vase deferente parvum fragmentum exsecatur, sedulò servatis nervis, venis et arteriis, quæ vas deferens circumcingunt et simul cum ipso funiculum spermaticum constituunt (2).

Apud fœminam, consistit in simili resectione utriusque oviducti, i. e. canalis ab ovariis ad matricem ducentis et ova matura deferentis. Vocatur hæc operatio speciali nomine *oophorectomia* seu *fallectomia*, denominatione vasectomiæ peculiariter reservata operationi peractæ in viro.

Vasectomia viri brevem ac omni periculo expertem importat operationem chirurgicam, sola provocata anesthesia locali, quin opus sit chloroformio aliove medicamento somnifero; oophorectomia vero gravem et sat periculosam exigit laparotomiam.

---

(1) In *Indiana*, ut testatur Dr O'Malley, apud *Eccles. Review*, tom. XLIV, p. 684, peracta fuit vasectomia, inde ab anno 1907 ad finem anni 1910, in 800 circiter viris. Cf. etiam *Eccles. Review*, tom. XLII, p. 347 s.

(2) Intimiorem operationis descriptionem videsis apud Drem O'Malley, *Eccles. Review*, tom. XLIV, p. 687 ss. et apud Gemelli, *La Scuola cattolica*, tom. XXI, p. 403 ss.

II. Effectus.

A. Inducitur apud virum et mulierem **sterilitas**. Via enim præcluditur omnimodè elemento fœcundanti virili ac respective elemento fœmineo fœcundando, adeo ut omnis fœcundatio sit physicè impossibilis, tam in congressu viri vasectomiaci quam in copula habita cum muliere oophorectomiam passa.

Quod autem spectat sterilitatis *perpetuitatem:* equidem physica præsto est possibilitas fœcundandi potentiam restituendi, extremitates resuendo oviducti vel canalis resecti (1); non desunt etiam experientiæ quæ, testibus medicis, felicem in hunc sensum exitum sint nactæ (2); sed non est negandum, attenta exiguitate luminis seu interioris diametri canalis deferentis (3), difficilem esse hujusmodi restaurationem, etiam in viro, eamque non modò expertam exquirere manum, sed et rarò succedere, signanter quando vasectomia non fuerit recentius peracta (4).

B. Vehemens exsurgit controversia utrum oophorectomia et præsertim vasectomia importet, ultra sterilitatem, etiam **impotentiam**, eamque **perpetuam**, matrimonium dirimentem.

Ad cujus controversiæ solutionem hæc duo præmittenda volumus:

a/ Litem coarctamus ad *solam vasectomiam viri* (5). Mulierem fallectomiam passam facilè concedimus non reddi impotentem, siquidem manet, non secus ac mulier

---

(1) Dr Malley, *Eccles. Rev.*, XLV, p. 720, suadet potius connectendam esse superiorem partem resecti canalis cum epididymide.

(2) Cf. *Eccles. Review*, tom. XLV, p. 720 s.; *La Scuola Cattolica*, t. XXI, p. 415.

(3) Non excedit dimidium millimetri; cf. *Razon y Fe*, tom. XXVIII, p. 230.

(4) Cf. *Eccles. Review*, t. XLIV, p. 690, et t. XLV, p. 720 s.; *La Scuola Cattolica*, t. XXI, p. 413 ss.; *Razon y Fe*, t. XXVIII. p. 230 s. et t. XXXII, p. 225 s.

(5) In sequentibus de hac sola erit quæstio.

excisa, apta ad habendam copulam *ex parte actus* ad generationem de se idoneam, juxta notionem datam apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 695-705 (1).

b/ Sedulò notandum vasectomiam non sequi testiculorum inertiam et atrophiam: horum quidem activitas minuitur, sed non abrumpitur seminalis secretio, sicut etiam activitas servatur in aliis glandulis ad seminis elaborationem cooperantibus, et manet membrorum genitalium perfecta erectibilitas. Salvis namque remanentibus nervis et sanguineis vasculis funiculi spermatici, integra servatur nutritio testiculorum ac integra manet nervorum consociatio inter varias glandulas sexualis organismi. In hoc erraverunt non pauci falso nitentes conceptu vasectomiæ, quasi consisteret in resectione integri funiculi spermatici (2).

Quibus prænotatis:

1° Inhæsitanter contendimus vasectomia induci **impotentiam**, eamque non relativam, uti patet, sed absolutam, impotentiam intelligendo ad normam juris canonici.

Revera impotens est vir qui non est capax exercendi copulam *ad generationem per se idoneam;* sufficit autem ut apta sit copula *ex parte ipsius actus*, abstractione facta a reliquis organis, præter copulæ actum, ad fœcundationem requisitis; sufficit etiam, uti in notione dicitur, ut copula sit *per se* apta, quin nempe attendantur illa quæ possent, in ipsis copulæ elementis, procreationem impedire *per accidens*, i. e. prouti sunt in tali vel tali individuo (3).

Jamvero ad illam copulæ aptitudinem ex parte actus requiritur et sufficit ut elementa præsto sint quæ *in ipso coeundi actu* ad generationem postulantur: penetratio

(1) Cf. etiam *Tractatum de Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2ª, n. 276 ss.

(2) Cf. SCHMITT, ll. cc.; FERRERES, *Razon y Fe*, tom. XXIII, p. 224; RIGBY, l. c., p. 70 s.

(3) « Rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quæ per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quæ totam speciem consequuntur ». S. THOMAS, *C. Gentes*, l. III, cap. 122.

scil. vaginæ cum emissione seminis *natura sua et per se fœcundi,* i. e. non liquoris cujuscumque, sed veri seminis ad fœcundandum per se idonei.

Quid autem est semen a vasectomiaco emissum nisi semen *natura sua et per se prorsus infœcundum?* Solum et unicum elementum fœcundans est in spermatozoidis, et hæc præcisè physico et ineluctabili impedimento prohibentur quominus seminationi misceantur, cum via totaliter occludatur ipsis.

Neque invocetur *paritas cum senibus* qui censentur canonice potentes (1).

Et sane, si sustineretur paritas, non dubitaremus ipsos senes declarare impotentes. Ast neganda est undecumque paritas. Nimirum senes, quos supponimus aliunde erectionis capaces et organis sexualibus instructos, habent semen *per se fœcundum;* et si contingat illud esse infœcundum, hoc est *per accidens.* Semen namque dici debet per se fœcundum, quod derivatur a glandulis ad semen fœcundum secernendum natura sua destinatis, quod, attenta provenientia sua, natum est fœcundationis principium secum ferre.

Ulterius, siquidem non omnibus placet distinctio inter ea quæ sunt per se et quæ sunt per accidens (2), alio modo arguere liceat. Esto scil. plurimos senes non jam habere spermatozoida, aut ea habere adeo inertia ut fœcundationi videantur inepta (3), non est negandum plures etiam dari quibus præsto sit fœcundum sperma, cum non desint exempla senum qui, ætate provecta, prolem procreaverint (4). Porro quodnam, quæso, erit

(1) Hæc paritas potissimum invocatur a GEMELLI, l. c., p. 412 s., necnon a Dr O'MALLEY, *Eccles. Review,* t. XLVI (1912), p. 332 ss., ubi referens doctrinam apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 695 ss. propositam, nos inconsequentiæ arguit quod ex una parte senes uti potentes habeamus, et ex alia parte vasectomiacos ut impotentes.

(2) Cf. Dr O'MALLEY, *Eccl. Rev.*, t. XLVI, p. 336 s.

(3) Cf. FERRERES, apud *Eccles. Review,* t. XLVI, p. 210 ss., et *Razon y Fe,* t XXXI, p. 498 s.

(4) Cf. facta relata apud BROUARDEL, *Le Mariage,* Paris, 1900, p. 131 ss.;

criterium quo secernantur senes fœcundi ab aliis? Aliud criterium quæri nequit nisi analysis microscopica; quod sane criterium admitti nequit: requiritur norma observationi de se pervia eo vel magis quod impotentia, positis ponendis, constituat impedimentum matrimonii, de cujus præsentia vel absentia obviè constare debeat (1). Hujusmodi criterium de se obvium et naturale est præsentia membrorum quæ ad semen fœcundum elaborandum requiruntur et sufficiunt, non autem præsentia spermatozoidorum aut horum energia, quæ variis in adjunctis individuis deficere potest ac regulariter sola microscopica inspectione observari potest.

Ideo potentes censentur viri omnes, quantumvis senescentes, qui obvie innotescunt erectionis capaces ac organis instructi quæ noscuntur ad semen fœcundum secernendum et ejaculandum necessaria et de se sufficientia; impotentes autem reputantur quibus deficit omnis erectibilitas, vel qui organis carere apparent quibus ineluctabiliter indiget vir ad seminis fœcundi elaborationem vel ejaculationem. Vasectomiaci proinde inter impotentes sunt adnumerandi, cum ex peracta operatione chirurgica obviè constet ipsos organo destitui ad seminis fœcundi, non quidem secretionem, sed ejaculationem insupplebiliter necessario, canali scil. deferente *pervio*.

Neque dicatur: ad hoc ut quis aptus existat ad validum matrimonium, sufficere ut matrimonium possit ipsi esse *in remedium concupiscentiæ* (2).

Topai, *De Necessitate uteri in generatione et in Matrimonio*, Pustet, 1903, p. 75 s., collato tamen Dre O'Malley, *Eccles. Rev.*, t. XLVI, p. 221 s.

(1) Ipse Dr O'Malley, *Eccles. Rev.*, t. XLVI, p. 324, scribit: « Nequaquam opus est recursum habere ad observationes microscopicas vel chimicas ut norma stabiliatur ».

(2) « Ratio fundamentalis cur matrimonium... viri vasectomiam passi validum dicendum sit, quærenda est neque in iis quæ sunt per se, neque in iis quæ per accidens contingunt, sed in hoc quod potentia sexuali gaudet *perfectè apta* ad remedium concupiscentiæ habendum ». Ita Dr O'Malley, *Eccl. Rev.*, t. XLVI, p. 336.

Profectò si hujus finis consecutio sola esset attendenda, sufficeret ad validum conjugium potentia, in nuptu-rientibus, copulam exercendi cum seminatione qualicumque, etiam per se infœcunda, adeoque vasectomiaci, etiamsi abruptæ communicationis restitutio esset in perpetuum impossibilis (de quo mox infrà), essent habendi uti potentes et ad matrimonium contrahendum idonei. Ast illud suppositum falso nititur fundamento, quasi sedatio concupiscentiæ esset *finis operis proprius et independens* matrimonii, quod falsum esse ostendimus in Tractatu *de Sponsalibus et matrimonio*, 2ª edit., sub n. 54: *unicus* finis proprius operis, cui finis medendi concupiscentiæ est obnoxius et subordinatus, dicendus est *generatio prolis;* ac proinde nullum matrimonium, quantumvis concupiscentiæ sedativum, potest validè iniri, nisi salva ordinatione ad illum finem, supposita scil., in utroque contrahente, aptitudine ad copulam de se idoneam generationi.

Cæterum si in matrimonio ejusque usu sola attendenda esset concupiscentiæ sedatio, absque ordine ad finem procreationis, legitimari posset et pro valido haberi matrimonium ab eunucho contrahendum, in casu nonnunquam, esto infrequenter, obtinente, quo in illo eunucho salvatur erectibilitas et seminalis liquoris emittendi potentia.

Ex ipsa igitur *inspecta natura impotentiæ* eruendum est eam vasectomia induci.

Quod *confirmatur* obvia analysi textus in hac re classici, Constitutionis nempe Sixti V *Cum frequenter*, de die 27 Junii 1587, in qua eunuchi authentice declarantur impotentes (1).

---

(1) « Cum frequenter in istis regionibus eunuchi quidam et spadones, qui utroque teste carent, et ideo certum ac manifestum est eos verum semen emittere non posse; quia impura carnis tentigine atque immundis complexibus cum mulieribus se commiscent, et humorem forsan quemdam similem semini, licet ad generationem et ad matrimonii causam minimè aptum, effundunt, matrimonia... contrahere præsumant... man-

Nimirum non arguimus ex eo quod vasectomiaci æquiparandi sint eunuchis, spadonibus seu castratis: in prænotandis namque vidimus per vasectomiam rite peractam testiculos non reddi inertes nec atrophiam pati; manent vasectomiaci ad erectionem et fœminei vasis penetrationem perapti, necnon idonei ad seminalem liquorem emittendum, a prostata, vesiculis seminalibus et glandulis Cowperianis elaboratum, dum eunuchi *plerique*, ut videtur, etiam illi qui in adulta ætate fuerunt evirati, amiserunt, saltem post aliquod temporis spatium, potentiam copulam qualemcumque exercendi, deficiente erectibilitate vel etiam seminalis liquoris secretione (1).

Unicè nitimur in principio a Sixto V posito, vi cujus principii impotentes declarantur eunuchi: quod idem principium vasectomiacis applicando, ad eamdem conclusionem admittendam urgemur. Et sane eunuchi non declarantur impotentes quia incapaces sunt vas fœmineum penetrandi aut seminalem liquorem emittendi (S. Pontifex hypothetice supponit quod id facere valeant); sed ideo quia « certum ac manifestum est eos *verum semen* emittere non posse », i. e., quemadmodum ex oppositione ad alium seminalem humorem liquet, « *ad generationem et ad matrimonii causam minimè aptum* ». Sunt igitur impotentes *quia* semen de se *fœcundum* emittere non valent.

Ulterius autem progrediendo: undenam inepti sunt ad semen fœcundum emittendum?

Manifestè docet Sixtus V id ex eo provenire *quod*

---

damus ut conjugia per dictos et alios quoscumque eunuchos et spadones utroque teste carentes... contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia quocumque modo contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares... et matrimonia ipsa sic de facto contracta nulla, irrita et invalida esse decernas ».

(1) Cf. Dr O'Malley, *Eccles. Review*, t. XLIV, p. 695; t. XLV, p. 719; t. XLVI, p. 334 s. et p. 222 s., quo ultimo loco arguit contra Ferreres (*Eccles. Rev.*, t. XLVI, p. 217 s.).

utroque teste carent, siquidem explicite dicuntur *ideo* præcise verum seu fœcundum semen emittere non posse. Jamvero, *in ordine ad seminis fœcunditatem*, idem prorsus est quod testiculi desint, et quod omnis inter ipsos et ejaculationis organon abrumpitur communicatio.

Cæterùm conclusionem nostram circa effectum vasectomiæ impotentiam inducendi, tuentur plerique canonistæ et theologi qui partes habuerunt in præsenti controversia (1).

2° Si nobis indubium videtur impotentem esse virum vasectomiam passum, non adeo liquet utrum hujusmodi impotentia sit dicenda **perpetua**, adeoque utrum vel non impedimentum inducat matrimonii dirimens. Id pendet a possibilitate restaurandi abruptam communicationem inter testiculos et vesiculas seminales.

Probe tamen notetur non sufficere absolutam et physicam restaurandi possibilitatem, quam cæteroquin admittendam jam vidimus; manet impotentia in sensu canonum *perpetua*, quamdiu nonnisi per media extraordinaria vel ope peculiaris artificii sanari valet.

Quibus attentis, et spectatis suprà notatis de reparationis difficultate, potius inclinamur in asserenda impotentiæ perpetuitate, saltem si agatur de vasectomia parum recenti (2). Cum tamen in hujusmodi negotio tanti momenti ac adeo intimè praxim spectante, singulari prudentia est opus, cumque solutio multùm pendeat

---

(1) Ita De Becker, *Eccles. Rev.*, t. XLIII, p. 357; Ferreres, *Eccles. Rev.*, t. XLVI, p. 207 ss.; *Razon y Fe*, t. XXVII, p. 376 ss et XXXI, p. 496 ss.; Rigby, l. c., p. 76; Stucchi, l. c.; Eschbach, l. c.; Capello, l. c.; Ojetti, *Synopsis rerum moralium et juris Pontificii*, 3ia ed., n. 2425.

Contrarium opinantur Donovan (licet hæsitanter), *Eccles. Rev.*, t. XLII, p. 602; Labouré, *ibidem*, t. XLIII, p. 82, et præsertim Gemelli, l. c., p. 410 ss., et Dr O'Malley, t. XLIV, p. 691 s., ubi ait per vasectomiam non magis induci impotentiam quam per tonsionem barbæ, collatis tom. XLVI, p. 219 ss. et 332 ss.

(2) Hanc impotentiæ perpetuitatem, inter alios, urgent Ferreres, Wouters, Stucchi, Capello; impotentiam potius habet ut temporaneam Ojetti, l. c.

ab artis chirurgicæ perfectibilitate, nolumus alteri sententiæ, temporaneam dumtaxat impotentiam admittenti, probabilitatem denegare, donec lis per decretum S. Sedis dirimatur.

Quousque igitur stare videatur concessa probabilitas, stricto jure non posset vasectomiacus, nisi probè constiterit restaurationem vasis resecti et abruptæ communicationis in casu particulari esse impossibilem, a matrimonio prohiberi, siquidem, juxta principia in citato Tractatu, n. 240 et n. 279, proposita, non potest a matrimonio arceri ille cujus impotentia probabiliter non est perpetua. Ex alia autem parte, cum pro hujusmodi persona, quousque mutilatio vasectomica fuerit sanata et impotentia inde consequens ablata, usus matrimonii, salvo meliori judicio, sit illicitus declarandus, practice foret matrimonium passim interdicendum donec restauratio fuerit peracta: tale namque conjugium, absque eo utendi facultate, gravissimis periculis esset plenum (1).

C/ Seposita sterilitate vel impotentia, refertur a medicis et hujus rei peritis notabiles effectus eosque faustos et beneficos ad vasectomiam consequi in viri organismo. Et quidem bonus ille influxus observari videtur potissimum in illis qui ante operationem chirurgicam sexuali erethismo, quem vocant, laborabant, quatenus qui prius incorrigibiles masturbatores existebant, aut quasi irresistibiliter ad venerem provocabantur, sensim evadant minus erotici et ad venerem minus proclives, ac magis normalem vitæ rationem sequi videantur (2).

Descriptus influxus deberi videtur, in quantum con-

---

(1) Hæc practica solutio convenit cum doctrina proposita apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 698, licet hæc doctrina, theoreticè spectata, aliquatenus mitiganda videatur ad normam dictorum.

(2) Cf. præ cæteris O'Malley, apud *Eccles. Rev.*, t. XLIV, p. 689 ss.; t. XLV, p. 717 ss. et t. XLVI, p. 325 s.; Gemelli, l. c., p. 400 s. et 408 ss. et 415, ubi et varia testimonia referuntur.

jicere licet, tum imminutioni secretionis seminalis operationem consequenti, qua secretionis imminutione removetur congestio illa cerebralis cum nervosa excitatione sexuali, per excessivam secretionem producta; tum etiam absorptioni seminalis secretionis a testiculis elaboratæ, quæ absorptio noscitur œconomiæ corporali valde proficua.

III. Liceitas.

Attenta notione superius data de vasectomia ejusque effectibus, habenda est ut *mutilatio gravis*, cum ratio sit habenda non tantùm resectionis in se et materialiter spectatæ, sed etiam effectus immediati et ineluctabilis, abruptæ nempe communicationis urethri cum testiculis: quæ abruptio indubie gravis apparet, quod eam dicas sterilitatem dumtaxat vel et impotentiam inducere; in utraque hypothesi privatur vir notabili functione physiologica fœcundandi.

Nec levis efficitur mutilatio ex eo quod functio suppressa restaurari queat, eo vel magis quod passim difficilis sit, uti vidimus, ac dubii exitus hujusmodi redintegratio. Non pendet proinde instituenda controversia ab illa quæ modò fuit instituta sub II, ad B; severæ tamen conclusiones quæ proponentur magis stringunt respectu illorum qui censent vasectomiam impotentiam inducere (1).

Applicanda igitur sunt vasectomiæ principia quæ moderantur moralitatem gravis mutilationis corporalis, quæ principia exposita videsis apud Auctores theologiæ moralis, et signanter apud Ill. WAFFELAERT, *Tractatus de Justitia*, Brugis, 1886, I, nn. 91-95 et II, nn. 100-106.

Nimirum.

A. Quod spectat vasectomiam **privata auctoritate** peragendam:

1° Vasectomia *indirecta* licet proportionata de causa.

---

(1) In sequentibus passim abstrahimus ab hac disputatione, vasectomiam proponendo ut *actionem sterilizantem*.

Vasectomia *indirecta* est quando ex operatione canalem resecante, quæ est actio in se indifferens, duplex effectus sequitur *æque immediatè*, communicationis scil. abruptio sterilizans et alius effectus bonus, ac prior effectus malus non intenditur. Ita si pars canalis deferentis esset gangrena infecta, partis infectæ exsectio constitueret vasectomiam indirectam.

Talis vasectomia, si præsto est justa causa, i. e. si bonus effectus est proportionatus malo effectui, ut in casu proposito, declaranda est omninò licita; ratio est quia resectio, in se indifferens, non potest dici mala ratione effectus pravi, cum effectus ille per alium effectum proportionatum et æque immediatum compensetur.

2° Vasectomia *directa* non licet nisi ad bonum corporis.

Vasectomia *directa* est quotiescumque solus effectus immediatus resectionis chirurgicæ est abruptio communicationis inter vesiculas seminales et testiculos; ipsa namque violenta illa interruptio constituit ipsam actionem sterilizantem, non secus ac ipsa expulsio fœtus nondum viabilis constituit ipsam actionem occisivam. Unde sicut non est abortus indirectus, licet ex ipsa expulsione immediatè sequatur salus matris, et non ex morte prolis; pari modo vasectomia seu mutilatio sterilizans directa est, licet bonus effectus seminalem secretionem minuendi et organismum malè affectum moderandi sequatur potius ex ipsa communicationis interruptione quam ex sterilizatione.

Porro dicimus hujusmodi vasectoniam *directam* non licere, excepto casu quo in bonum corporis ordinetur.

Quod generatim non liceat vasectomia directa, patet ex eo quod gravem constituat mutilationem sterilizantem, quodque omnis mutilatio directa, salva exceptione adducta, importet inordinationem: lædit nempe dominium Dei, utpote qui sibi reservavit proprietatem vitæ humanæ ejusque organorum (1). Quemadmodum non

(1) Ill. Waffelaert, o. c., I, n. 91.

possumus nobis auferre vitam, utpote in quam Deus sibi retinuit dominium, sic non possumus nobis membrum amputare vel functionem aliquam vitalem supprimere.

Exceptio habetur pro casu quo mutilatio membri vel organi admittitur *propter bonum totius corporis*. Ratio est « quod homo sit suipsius gubernator et membrorum administrator ad bonum totius; neque enim membra singula sunt propter se sed propter totum, et ideo in bonum totius petunt dirigi, et possunt abscindi vel incidi propter bonum totius » (1).

Quod autem bonum corporis sit *sola* causa directam mutilationem legitimans, inde est quod « membra ex natura sua immediatè non subordinantur nisi toti naturali seu corporis bono et conservationi » (2).

Directa proinde mutilatio, et in specie vasectomia, non licet *immediatè* ad bonum procurandum spirituale animæ; et ita non liceret manum amputare ne deinceps illicitos tactus admittat, nec oculos eruere ne amplius videant vanitatem, nec licet seipsum castrare ad hoc immediatè ut continentia servetur. Non datur nempe immediata subordinatio et connexio inter membra corporis et salutem animæ; et ideo etiam, uti notat S. THOMAS (3), « saluti spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri præcisionem », moderando scil., voluntatis imperio, usum membrorum, oculos avertendo, manum cohibendo.

Dicitur: non licet vasectomia, eam ad bonum spirituale ordinando *immediatè;* quia, si immediatè conducit ad bonum corporis et requiritur ad boni corporalis conservationem, simul *mediatè* proficiendo saluti animæ, profectò salvatur debita ordinatio et nihil obstat quominus vasectomia legitimetur.

(1) *Ibidem*, II, n. 101.
(2) *Ibidem*, n. 103.
(3) 2ª 2ᵃᵉ, qu. LXV, art. 1, ad 3ᵐ.

Jamvero, si confidere possumus testimoniis suprà invocatis et experientiis factis, non auderemus dicere nunquam licitam esse posse vasectomiam directe provocatam auctoritate privata.

Pone scil. virum aliquem abnormi secretione seminali continuò laborare et inde continuum pati erethismum sexualem, ita ut inde valetudo ejus male afficiatur. Nonne, in supposito quod effectus suprà descripti ad vasectomiam consequantur, nonne, inquam, dici posset vasectomiam immediatè conducere ab bonum corporis, et mediatè tantum ad bonum spirituale?

Posito hujusmodi abnormi corporis conditione vere pathologica, posito etiam quod frustra alia remedia fuerint adhibita, non auderemus, donec S. Sedes aliter judicaverit, vel donec circa effectus physiologicos et psychicos vasectomiæ accuratius instructi fuerimus, damnare virum qui illam operationem sollicitaret nec medicum qui ad illam peragendam operam suam præberet (1).

Extra descripta omninò exceptionalia adjuncta, planè assentimur illis qui directam vasectomiam, auctoritate privata peractam, reprobandam ducunt. Vix notandum est, post ea quæ modò exposuimus, illam operationem privata auctoritate nunquam adhiberi posse ad ipsam sterilitatem obtinendam, ad vitandam prolis multitudinem, et ad alios fines istius generis.

B/ Quod spectat vasectomiam **auctoritate publica** instituendam:

Princeps non habet *directum dominium* in vita vel membris subditorum, nec cives sunt habendi quasi in bonum reipublicæ ordinati, cum contrà respublica sit

---

(1) Conveniunt in hoc SCHMITT, *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1911, p. 763 s., et *Eccles. Rev.*, t. XLV, p. 88 s.; DONOVAN, *Eccles. Rev.*, t. XLV, p. 318 s.; LABOURÉ, *ibidem*, p. 355; STUCCHI, l. c., p. 418 s.; O'MALLEY, *ibidem*, t. XLIV, p. 696; necnon Auctor sub pseudonomine (Perplexus), scribens apud *Eccles. Rev.*, t. XLII, p. 602 s., ac Auctor Anonymus, *ibidem*, t. XLV, p. 76.

in bonum et utilitatem civium. Ideo non potest a Principe vita auferri civis innocentis et innocui, licet ejus mors in commune bonum cederet, puta illum occidendo ad placandum tyrannum, qui civitatis excidium minitatur nisi caput illius innocentis tradatur.

Ex alia parte agnoscenda est Principi *potestas jurisdictionis* in cives, quatenus, tanquam vindex suorum subditorum et curam gerens boni communis ac reipublicæ conservandæ, potest et debet vitam et jura civium tueri contra invadentes, ac media adhibere quæ ad conservationem reipublicæ et vitæ socialis integritatem exiguntur, etiam, si opus sit, occidendo aut mutilando illos qui vitam socialem in discrimen vocant.

Quo pacto jus habet Princeps, positis ponendis, mutilandi aut etiam occidendi, sive in punitionem criminum, quæ punitio necessaria est ad reliquos a sceleribus deterrendos, sive directe ad societatis vel individuorum defensionem contra nocentes.

Porro juxta hæc principia solvenda est quæstio nostra. Ex illis autem liquidò apparet Principi non esse agnoscendum jus ut vasectomiam peragendam jubeat, nisi *in quantum constiterit illam mutilationem* (in uno alterove individuo vel in civium categoria) *esse necessariam vel 1/ ad tuendam vitam seu jura individuorum, vel 2/ ad conservandam ipsam reipublicæ vitam socialem, sive per modum punitionis, sive per modum directæ defensionis* contra elementa nociva ejus incolumitatem in grave discrimen vocantia.

Quæ conditio, pro legitimanda qualibet gravi mutilatione necessaria, strictius hic est urgenda pro majori gravitate mutilationis vasectomiacæ, signanter si censetur esse non modò sterilizans, sed et impotentiam ac matrimonii impedimentum inducens.

Jamvero opinamur *hanc indispensabilem conditionem neutra sub parte verificari.* Et sanè

1° Quod spectat *vitam et jura privata individuorum:* relicta in viris defectivis fœcundandi potentia, nullius

individui jus læditur quod a Principe vindicetur; vel, si locus sit juris læsioni, alia præsto sunt in manu Principis media opportuna et efficacia, quibus juris violationi occurrat eamve præveniat, quin opus sit ut ad vasectomiam recurrat.

Nimirum non est a Statu vindicandum *jus prolis* forsan nascendæ ex hujusmodi viro, in statu debiliori aut infirmiori, cum proles illa, utpote nondum existens, non sit subjectum juris, cumque illi semper melius sit esse infirmam quam non esse.

Nec *regulariter* tuendum assumere debet *jus mulieris*, cui conjungi contingat talem virum, cum in hujusmodi unione regulariter et per se dictæ mulieris jus non lædatur.

Dicitur: *regulariter*, quia *exceptionaliter* potest esse locus juris violationi ex parte talis viri. Casus esset si contagiosa lue esset infectus, puta lepra aut syphili in tali gradu ut proximum contagionis periculum inducat pro muliere cui copuletur; vel si ageretur de viro qui tanto passionis æstu laboret ut primam quasi occurrentem fœminam invadat et violento stupro violandam aggrediatur.

In hisce exceptionalibus adjunctis, partes essent auctoritatis socialis illos viros cohibere eosque impedire quominus morbo inficiant alios eorumve pudicitiæ et castitati attentent.

Ast non est integrum Statui qualecumque medium pro lubitu in hunc finem adhibere, et ad occisionem aut mutilationem non potest recurrere nisi deficiente alio medio efficaci. Patet autem efficax remedium præsto esse in reclusione, quemadmodum reclusione impediuntur ne noceant furiosi et rabidi, quos etiam occidere et mutilare non liceret, quousque alio medio cohiberi valent. Imo non esset ad reclusionem deveniendum nisi cum viris alterius speciei, pudicitiæ scil. violenter attentantibus; periculo contagionis sufficienter provideretur, virum morbo contagioso affectum prohi-

bendo, sub pœna nullitatis, a matrimonio contrahendo: quæ potestas hujusmodi impedimentum inducendi auctoritati publicæ non videtur deneganda.

2° Quod spectat directe *bonum commune societatis:*

a/ Vasectomia non est, pro reipublicæ salute, infligenda *in pœnam et punitionem* criminis admissi. Attenta namque natura operationis facilis et parum dolorosæ, non habet vasectomia *rationem pœnæ;* quod et experientia confirmatur, cum, teste Dre O'MALLEY, pro 800 viris, in quibus, in Indiana, peragenda erat, vi legis, vasectomia, 176 eam ultrò postulaverint (1).

Cæterum si vasectomia imponeretur *ut punitio*, restringenda foret ejus applicatio solis delinquentibus et criminosis stricte dictis, non autem defectivis, abnormibus et degeneribus, ea latitudine qua applicatur in quibusdam Statibus Fœderatis.

b/ Vasectomia non est *medium necessarium* quo societas sui incolumitatem *directe protegat et defendat contra nocentes.*

In hoc præprimis insistunt liceitatis patroni, quatenus timendum velint ne defectivi et abnormes, si servetur eorum fœcundandi potentia, proles generent defectivas et ad crimina proclives, quarum multitudine ipsa societatis existentia in discrimen vocetur. Jamvero

a/ Non admittimus ex procreatione prolium degenerum ex illis viris periclitari societatis existentiam. Numerus namque hujusmodi virorum et prolium inde nascentium, in Statu aliunde rite moderato, semper manebit relative exiguus, et societatis integritas stare potest cum existentia quorumdam membrorum abnormium et degenerum. Exaggerationem etiam sapit dicere ex patre vitioso non procreari nisi vitiosam progeniem, nec desunt exempla in contrarium.

b/ Etiamsi societas ex dicta causa periclitari videre-

---

(1) *Eccles. Rev.*, t. XLIV, p. 699 s., coll. p. 742; coll. etiam SCHMITT, l. c., p. 76.

tur, nondum legitima foret dicenda lex ad normam illius quam in quibusdam Statibus Americæ Septentrionalis vigere vidimus.

Equidem, juxta statuta principia, posset Status, in boni communis tuitionem ac suæ conservationis tutelam, quemcumque cohibere a mortifero vulnere inferendo societati; sed rursus ordo esset servandus in electione remediorum, nec posset ad mortis illationem et mutilationem procedi nisi exhaustis aliis remediis; non posset ad functionis generativæ suppressionem deveniri quousque sufficere appareat usus interdictio (1).

Jamvero Status occurrere posset periculo ex hac parte minitanti, descriptos viros a matrimonio arcendo, contra eos inducto impedimento dirimente, vel, in quantum hoc remedium non est satis efficax, eos recludendo et libertate privando. Pravæ etiam dispostiones et inclinationes quæ sæpe observantur in prolibus ex defectivo et vitioso patre procreatis, magna ex parte curari possunt per virilem et christianam educationem qua in virtutibus exerceantur et habitus acquirant bonos, malis dispositionibus contrarios.

Multiplici igitur nomine denegandum est sociali auctoritati jus vasectomiam imponendi civibus suis degeneribus. In quam conclusionem plerosque Auctores, qui hanc quæstionem tractaverunt, invenimus consentientes (2).

---

(1) Pari modo potest quivis homo particularis propriam vitam suam defendere contra injustum agressorem (sive formaliter injustus sit, sive materialiter, ut in casu insanientis); sed, in hac vitæ suæ defensione, servare tenetur moderamen inculpatæ tutelæ, nec illum agressorem occidere potest si valet se salvare eum mutilando, nec mutilare potest si fuga sufficit ad vitæ periculum evitandum.

(2) De Becker, *Eccles. Review*, t. XLII, p. 474 s. et t. XLIII, p. 355 ss.; Vermeersch, Salsmans, De Villers, *ibidem*, t. XLII, p. 475; Schmitt, *Zeitschr. f. k. Theol.*, l. c., et *Eccles. Rev.*, t. XLIV, p. 679 ss. et t. XLV, p. 86 s.; Ferreres, *Razon y Fe*, XXVII, p. 378 s. et XXVIII, p. 224, quo altero loco adducit in eumdem sensum sententiam Lehmkuhl, privatis litteris ad ipsum propositam; Rigey, l. c.; Roderer, l. c.; Dr O'Malley,

Cæterum obviè apparet quomodo juris hujusmodi exercitium facile ansam præberet abusibus gravibus atque applicationi in dies frequentiori, ac timendum est ne brevi assumatur vasectomia quasi instrumentum selectionis ad normam eorum quæ fiunt inter bruta animalia (1). Quem abusum, dignitati humanæ adeo contrarium, tam vehementer timet *Donovan* ut, postquam theoreticè vindicaverit legitimitatem vasectomiæ ab auctoritate sociali imponendæ, practice urgeat a juris exercitio esse abstinendum (2).

A. De Smet.

Eccles. Rev., t. XLIV, p. 699 ss.; Wouters, l. c.; *N. R. th.*, l. c.; Stucchi, l. c., p. 419; Capello, l. c., p. 247 s.; Eschbach, l. c., p. 243 ss.

Contradicunt Labouré, *Eccles. Rev.*, t. XLIII, p. 80 ss., 320 ss., t. XLIV, p. 574 ss., t. XLV, p. 88 ss. et p. 355 ss.; item, salva restrictione facta, Donovan, *Eccles. Rev.*, t. XLII, p. 271 ss., p. 599 ss., t. XLIV, p. 571 ss. et t. XLV, p. 313 ss. Accedunt Auctores anonymice aut pseudonymice scribentes respective apud *Eccles. Rev.*, t. XLIII, p. 310 ss., t. XLV, p. 76 s. et t. XLV, p. 599 ss.

(1) Cf. O'Malley, apud *Eccles. Rev.*, t. XLIV, p. 705; Schmitt. *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1911, p. 66 s. et p. 77, cum nota; Ferreres, *Razon y Fe*, t. XXVII, p. 374 s. ubi refert « quod etiam in Hispania non defuerint aliquæ medicæ ephemerides quæ hanc operationem laudibus extollant, veluti medium aptissimum ad socialem quamdam selectionem faciendam, vi cujus probis tantum et corpore sanis generatio sit permittenda ».

(2) Cf. *Eccles. Rev.*, t. XLV, p. 317 s.

Ex Audientia Sanctissimi

Circa decretum de vetita clericis temporali administratione (1).

TRÈS SAINT PÈRE,

Lors de l'audience qu'Elle a daigné m'accorder dimanche dernier 3 Mars, Votre Sainteté a bien voulu me déclarer qu'Elle abandonnait « *judicio et prudentiæ episcoporum* » l'application à la Belgique du Décret « *Docente Apostolo* » de vetita clericis temporali administratione (2).

Je serais profondément reconnaissant à Votre Sainteté de confirmer par sa signature, si Elle le juge opportun, cette bienveillante concession.

De Votre Sainteté
le très humble et très obéissant serviteur

(s.) DÉS. JOS. CARD. MERCIER, *Arch. de Malines.*

Confirmamus: judicio et prudentiæ Episcoporum in Belgio dedisse facultatem dispensandi super Decreto « *Docente Apostolo* » de vetita clericis temporali administratione.

Die 7 Martii 1912.

(s.) PIUS PP. X.

(1) V. *Coll. Tornacen., Acta et documenta*, 1912, julii, p. [88].
(2) V. *Collat. Brugen.*, t. XVI, p. 71.

S. Congregatio Rituum

I

DECRETUM.

Seu declarationes circa novas Rubricas (1).

Ad præcavendas dubitationes, quæ super recta interpretatione tituli X, n. 2 et 5 novarum rubricarum quæ sequuntur constitutionem *Divino afflatu* oriri possunt, S. Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, sequentes declarationes evulgare censuit, nimirum:

I. Quandocumque in feriis majoribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. et num. supracitatis, Missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel majori.

II. Hujusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

III. Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum utrum sit dispar an non.

IV. Hæc eadem oratio pro defunctis, semper recitari debet pœnultimo loco inter orationes ea die a rubricis præscriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

V. Oratio pro defunctis in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi ea die a rubricis præcipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

VI. Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur,

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, IV, p. 446. Hoc decretum quod exspectandum dicebamus suprà p. 463, nota 2, notis quibusdam illustrabimus in proximo fasciculo.

addita ut supra oratione pro defunctis pro quibus Missa ipsa celebratur.

VII. Licet juxta novas rubricas tit. VIII, n. 2, cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorum, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V, n. 1 et 2, circa Missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum præsentia choralium, si agatur de Missa conventuali, sive lectam extra chorum juxta novas rubricas tit. XII.

Die 12 junii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secret.*

II

SEYNEN. ET ALIARUM.

Dubia (1).

Sacræ Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum:

I. Quando Dominica occurrit a die 25 ad diem decembris inclusive, Rubrica præscribit Officium hujus Dominicæ die libera 30 decembris celebrandum. Nunc vero pluribus in diœcesibus dies 30 decembris impedita est aliquo festo novem Lectionum. Quæritur: Quid agendum in casu?

II. Juxta recentem Constitutionem « *Divino afflatu* », tit. IV, n. 3, festum sanctissimi Nominis Mariæ perpetuo assignatur diei duodecimæ septembris. Quæritur ergo: Num ecclesiæ quæ hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominica infra octavam Nativitatis beatæ Mariæ Virginis sub ritu duplici I classis cum octava, ipsum recolere in posterum debeant die duodecima Septembris cum Ecclesia Universali, servatis privilegiis quæ Titularibus competunt?

III. Pluribus in locis festum sanctissimi Nominis Mariæ ritu duplici I classis cum octava recolitur. Quæritur: An istis in locis Octava Nativitatis B. Mariæ Virginis cesset omnino, adveniente festo sanctissimi Nominis; an potius suspendatur

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, IV, p. 447.

tantum, ita ut die decimaquinta septembris agendum sit de die Octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione Octavæ sanctissimi Nominis?

IV. Ex novis dispositionibus sæpe accidit ut festa, sive duplicia majora, sive sanctorum Doctorum simplificanda sint ob occursum alicujus festi translati ritus duplicis II classis. Quæritur ergo: Num symbolum addendum sit in Missa de isto festo translato quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicujus festi occurrentis ritus duplicis majoris aut minoris quod jus habeat ad symbolum in Missa (1)?

V. Collectæ ab Ordinario imperatæ, ex novis rubricis, tit. XI, omittendæ sunt, quandocumque in Missa dicendæ sint plusquam tres Orationes a rubrica eo die præscriptæ. Quæritur ergo: An Collectæ omittendæ sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die præscriptas, addita est oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis (2)?

VI. Cum in tabella Occurrentiæ perpetuæ nuper ab ista S. Congregatione edita, evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ubi legendus est numerus 7, et non 8, dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis in quibus sibi invicem obveniunt Duplex majus et minus, cum Vigilia Epiphaniæ, ubi loco numeri 3 videtur quod legi debeat numerus 6, eo quod Officium ipsius Vigiliæ gaudeat privilegiis Dominicæ, ac proinde prævalere debeat, ex novis Rubricis, Duplici minori et majori quod non sit festum Domini. Quæritur: An revera in prædictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6, ita ut in casu agi debeat de Vigilia Epiphaniæ, cum perpetua repositione Duplicis occurrentis?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicæ reque accurato examine perpensa, rescribendum oensuit:

---

(1) Ad normam illius quod est servandum infra octavam festi quod habet symbolum.

(2) Quam quæstionem jam solvimus suprà p. 207 et 463.

Ad I. Officium Dominicæ infra Octavam Nativitatis transferendæ ea die ponatur qua festum minus nobile in occurrentia, a die 29 usque ad 31 decembris, secus peragendum foret, salvis Dominicæ juribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29 ad 31 decembris occurrentia ritum duplicem I aut II classis obtineant, commemoratio Dominicæ fiat in Festo ut supra minus nobili. In paritate nobilitatis Officium aut commemoratio Dominicæ fiat in festo prius occurrente.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad IV. et V. Affirmative.

Ad VI. In tabella Occurrentiæ perpetuæ menda corrigantur, ita ut in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ponatur numerus 7, et in quadrangulis in quibus occurrunt Duplex majus et minus cum Vigilia Epiphaniæ, ponatur numerus 6: et Vigilia Epiphaniæ, privilegiis Dominicæ gaudens, tam in occurrentia quam in concurrentia, Duplici etiam majori semper præferatur.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 21 junii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

S. Congregatio S. Officii

I

De Dispensationibus super impedimento disparitatis cultus absque debitis cautionibus nunquam concedendis (1).

In plenario conventu supremæ sacræ Congregationis sancti Officii habito feria IV die 16 aprilis 1890, proposita quæstione: « An in concedendis ab habente a Sancta Sede

(1) *Acta Apost. Sedis*, IV, p. 442.

» potestatem dispensationibus super impedimento disparitatis cultus præscriptæ cautiones semper sint exigendæ », Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, re perdiligenti examine discussa, respondendum decreverunt: « Dispensationem super impedimento » disparitatis cultus nunquam concedi, nisi expressis omnibus conditionibus seu cautionibus ».

Eademque die ac feria SSmus D. Leo PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Adsessori ejusdem supremæ sacræ Congregationis impertita, Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 21 junii 1912.

L. ✠ S.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

II

De Dispensatione super impedimento disparitatis cultus absque debitis cautionibus impertita (1).

In plenario conventu supremæ sacræ Congregationis sancti Officii habito feria IV die 12 junii 1912, propositis dubiis:

1° Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis præscriptis cautionibus impertita, valida habenda sit an non? Et quatenus negative:

2° Utrum hisce in casibus, cum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere?

Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt:

Ad 1m. Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam.

---

(1) *Ibidem*, p. 443.

Ad 2m. Affirmative ad primam; negative ad secundam partem.

Et sequenti feria V die 13 ejusdem mensis SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori ejusdem supremæ sacræ Congregationis impertita, Emorum Patrum resolutionem benigne adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 21 junii 1912.

L. ✠ S.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

Adnotanda.

Præsens decretum nonnulla attentione dignum spectat dispensationem *vi indulti* concedendam super impedimento *disparitatis cultus* (1).

Hucusque absque dubio *graviter illicitum* erat hujusmodi dispensationem concedere non injunctis vel non admissis conditionibus in indulto præscriptis: id manifeste sequitur ex ipsis terminis facultatis et ad abundantiam confirmatur ex decreto immediatè ante hoc præsens decretum relato; cæterùm clausulæ insertæ nituntur in ipso jure naturæ, quo vetatur iniri matrimonium cum contumelia Creatoris.

Non ita vero liquebat utrùm ex injunctionis vel clausularum acceptationis defectu etiam *irrita* censenda sit dispensatio. Equidem dispensationis nullitati favet decretum C. S. O., 15 Febr. 1780 (2), quatenus invalidas declaraverit dispensationes anticipative et in communi

(1) En tenorem indulti, juxta *Formulam D* (apud Putzer. *Commentarium in Facultates Apostolicas,* ed. 3a, p. 379): « Dispensandi cum suis subditis super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodò cautum omninò sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis, ac præsertim de amovendo a catholico conjuge perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicæ religionis sanctitate omninò educanda... ».

(2) *Collectanea*2, I, n. 541.

concessas, neglecto prævio examine circa causæ existentiam, nec in tuto positis conditionibus præscriptis; non tamen nitidè solvebatur in illo decreto quæstio circa valorem dispensationis, in qua, salva causa, solæ cautelæ fuerint neglectæ.

Porro in præsenti decreto, omni dubio præcluditur via et absque restrictione *invalida declaratur* dispensatio, « non requisitis vel denegatis præscriptis conditionibus impertita »; imo, sub 2°, statuitur hanc nullitatem esse adeo evidentem ut matrimonii, inter cultu dispares cum hujusmodi dispensatione contracti, invaliditas possit ab Ordinario declarari, quin opus sit via stricte judiciaria, ad tramites Constitutionis Benedicti XIV, *Dei miseratione*, procedere: æquiparatur scil. hæc causa nullitatis causis matrimonialibus de quibus loquitur decretum C. S. O., 5 Junii 1899 (1).

Ulterius, pro decreti nostri interpretatione, observari juvat:

1° In decreto attingitur sola dispensatio *vi indulti* elargienda; a pari tamen, vel et a fortiori, eadem dispositio applicatur dispensationi concessæ ex facultate facta *pro casu particulari*, necnon *executioni rescripti Apostolici*, in quo solitæ cautelæ inseruntur, quatenus a delegato pro casu particulari vel ab executore sint, *sub pœna nullitatis*, observandæ.

Quod autem spectat dispensationem *a S. Sede* directe concessam: *validè*, etsi non licitè, posset *S. Sedes* dispensare, neglectis dictis cautelis.

2° Pro valore dispensationis requiritur ut cautelæ, in dispensationis concessione aut executione, *injungantur*, utque a partibus *servari promittantur;* non refert autem ad valorem quod injunctæ et a partibus acceptatæ conditiones postea non observentur. Aliis verbis dispensationis valor exigit ut indultarius vel executor curet acquirere moralem certitudinem de futura clausularum

(1) De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2ª, n. 339.

observatione; quodsi, prævia facta debita inquisitione et injunctione ac præstitis cautionibus, postea appareat non deesse in matrimonio contumeliam Creatoris, equidem valida est habenda dispensatio, validumque matrimonium.

3° Necessitas urgendi pro valore cautelarum injunctionem et acceptationem potissimum afficit conditionem de prole universa christianè educanda et de avertendo a parte christiana perversionis periculo. Quod namque attinet tertiam conditionem de conversione procuranda partis infidelis vel hæreticæ, notat *Folium* in *Causa Baltimoren.*, diei 30 Junii 1910 (1), quod « hæc magis videtur pertinere ad præceptum charitatis; quare potest ab Ecclesia remitti »: hæc tamen remissio seu relaxatio non posset fieri a facultatem habente vel ab executore, sed a S. Sede, ad quam recurrendum foret in casu difficili (2).

4° Decretum spectat dispensationem super impedimento *disparitatis cultus;* potest tamen eadem dispositio cum proportione applicari dispensationi *in mixta religione*. Nimirum et hæc dispensatio neglectis cautelis impertita habenda foret ut *invalida*, hoc scil. sensu quod per dispensationem ita impertitam non censeatur ablata ab incundo matrimonio prohibitio juris ecclesiastici, quodque adeo iteranda sit dispensatio, si defectus innotescat ante nuptias.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, II, p. 595.

(2) Videtur etiam, uti notatur in Tractatu *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 291, collato n. 254, quod, in casu quo pars infidelis christianam prolis educationem promittere nolit, equidem posset S. Sedes concedere ac de facto concesserit dispensationem, in favorem partis christianæ bene dispositæ, in ordine ad matrimonium convalidandum, vel et in ordine ad matrimonium, in urgentissima necessitate, contrahendum, modò, quod absolute requiritur, seclusum sit omne seductionis periculum.

III

De parochi adsistentia matrimoniis mixtis in quibus præscriptæ cautiones a contrahentibus pervicaciter detrectantur (1).

Cum per Decretum *Ne temere* diei 2 augusti 1907, n. IV, expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum Ordinarios *valide* matrimonio adsistere, *dummodo invitati ac rogati... requirant excipiantque contrahentium consensum;* graves in praxi difficultates ortæ sunt relate ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum circumstantiis, *materialem tantum parochi præsentiam,* per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiæ limitem, antea aliquando permiserat.

Re delata ad supremam hanc sacram Congregationem sancti Officii, cui ex præscripto apostolicæ Constitutionis « Sapienti consilio » *integra manet... facultas ea cognoscendi quæ circa... impedimenta disparitatis cultus et mixtæ religionis versantur,* atque in plenario conventu habito feria III, loco IV, die 21 maii 1912, prævio R^morum^ DD. Consultorum voto, perdiligenti examine discussa, E^mi^ ac R^mi^ D^ni^ Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, decreverunt:

« Præscriptionem Decreti *Ne temere,* n. IV, § 3, de requi-
» rendo per parochum excipiendoque, ad validitatem ma-
» trimonii, nupturientium consensu, in matrimoniis mixtis
» in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes
» renuant, locum *posthac* non habere; sed standum *taxative*
» præcedentibus Sanctæ Sedis ac præsertim s. m. Gregorii
» PP XVI (Litt. app. diei 30 aprilis 1841 ad episcopos
» Hungariæ) ad rem concessionibus et instructionibus: facto
» verbo cum SS^mo^ ».

Et sequenti feria V, die 23 ejusdem mensis, SS^mus^ D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori hujus supremæ sacræ Congregationis sancti Officii impertita, relatam sibi E^morum^ Patrum resolutionem benigne

(1) *Acta Apost. Sedis,* IV, p. 443 s.

adprobare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 21 junii 1912.

L. ✠ S.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

Adnotanda.

Ad normam decreti *Ne temere*, n. IV, par. 3, ad *valorem* matrimonii oportet ut parochus ejusve delegatus *requirat et excipiat nupturientium consensum.* Quam dispositionem generalem etiam ad *matrimonia mixta* esse applicandam S. C. C. declaravit, die 27 Julii 1908, ad 3m; quo pacto assistentia *passiva,* quæ in nuptiis mixtis præscribi noscitur, exinde est cum grano salis intelligenda: non jam sufficit mera præsentia, ad modum testis, sed sub pœna nullitatis exigitur consensus requisitio et exceptio.

Porro generali illi dispositioni de requirendo et excipiendo, etiam in mixtis nuptiis, nupturientium consensu, hujus decreti tenore *expresse derogatur*: quatenus, facto verbo cum SSmo, et accedente S. Pontificis speciali approbatione ac, vi supremæ auctoritatis, data ratihabitione, decernitur ab illa præscriptione exinceps eximendam esse celebrationem matrimonii mixti, quotiescumque, *partibus debitas cautelas exhibere pervicaciter renuentibus, equidem toleratur ejusdem celebratio coram parocho seu sacerdote delegato.*

Nimirum contingit quod S. Sedes, attentis peculiaribus quorumdam locorum adjunctis, præter normam et per modum tolerantiæ ad ultimum limitem deductæ, permittat sacerdotibus ut mixtis nuptiis, quantumlibet graviter illicitis, assistant etiamsi partes debitas cautiones pertinaciter detrectent (1): conceditur autem ut,

(1) Inter illa loca recensetur potissimum *Hungaria,* quam spectant

in illis adjunctis, jam sufficiat assistentia *merè passiva* et *merè materialis*, stricto sensu intellecta, absque consensus requisitione ejusque formali exceptione, qualis assistentia, ante Decretum *Ne temere*, erat in usu in omnibus passim matrimoniis mixtis.

In favorem hujus concessionis faciendæ invocantur, in decreti parte introductoria, graves in praxi difficultates ex necessitate observandi formalitatem Decreti *Ne temere* exortæ; quæ tamen difficultates non exponuntur. Saltem huc conferet concessio facta ut, exclusa a descriptis matrimoniis omni prorsus sacerdotis participatione, magis innotescat quantopere illa abhorreat Ecclesia, utque distinctio facienda appareat inter hæc omni nomine reprobanda connubia et reliqua matrimonia mixta, quæ, servatis cautionibus, opportuna dispensatione redduntur legitima.

Porro circa descriptam derogationem hæc opportunè notari possunt:

1° Est dispositio *stricte interpretanda*, ideo præcise quia constituit derogationem ad legem generalem.

Non posset igitur ultra terminos decreti extendi, sed stricte inhærendum est limitibus delineatis. Delimitatur autem in decreto derogationis applicatio ad illa taxative loca et adjuncta, in quibus, *vi peculiaris concessionis*, ad normam concessionis a Gregorio XVI factæ pro Hungaria, sacerdotes possunt assistere nuptiis mixtæ religionis, licet nupturientes cautiones dare renuant. Quo pacto non posset derogatio extendi extra illa loca pro quibus existit S. Sedis indultum, quantumvis similia adjuncta alibi obtinere videantur (1).

Litteræ Apostolicæ Gregorii XVI, 30 Apr. 1841, apud *Collectan.*, n. 1428, cum adnexa, in nota, Instructione Card. Lambruschini; item *Bavaria* et quædam partes Austriæ, juxta varia documenta relata apud *Nouv. Rev. théol.*, t. XV, p. 510 ss.

(1) Hisce firmatur sententia illorum plurium Auctorum, quos sequimur in Tractatu, p. 348, in nota 2ª, juxta quos documenta Romana huc spectantia non sint juris declaratoria sed derogatoria, ac per modum indulti interpretanda.

2° Observa statutum de novo inductum non habere *vim retroactivam*. Dicitur namque dispositionem Decreti *Ne temere* in matrimoniis, de quibus suprà, *posthac* locum non habituram. Unde patet matrimonia, quæ hucusque, in descriptis adjunctis, cum mere et stricte passiva assistentia fuerint celebrata, irrita esse, eaque, cum nulla sanationis mentio occurrat, tanquam nulliter contracta etiamnum esse habenda.

3° Tandem nota derogatorium hoc decretum latum esse a *C. S. Officii*. Huic nempe, vi Constitutionis *Sapienti Consilio*, necnon vi decreti S. Congreg. Consistorialis, de die 15 Febr. 1910 (1), competit omnes quæstiones tractare et omnia dubia solvere, sive juris sive facti, quæ directe vel indirecte spectant impedimenta disparitatis cultus vel mixtæ religionis, etiamsi dubium immediatè oriatur ex interpretatione vel applicatione alterius impedimenti, quemadmodum hic oritur en applicatione Decreti circa clandestinitatem.

A. De Smet.

Commissio Pontificia de re Biblica

I

De auctoritate, de tempore compositionis et de historica veritate Evangeliorum secundum Marcum et secundum Lucam (2).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio « De Re Biblica » ita respondendum decrevit :

I. Utrum luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiæ primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis sanctorum Patrum et scriptorum

(1) *Collat. Brug.*, t. XV, p. 251 ss.

(2) *Acta Apost. Sedis*, 1912, IV, p. 463.

ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum hæreticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogat Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adjutorem et comitem, revera Evangeliorum quæ ipsis respective attribuuntur esse auctores?

R. Affirmative.

II. Utrum rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (Marc. XVI, 9-20) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sint quæ jus tribuant affirmandi eos non esse ut inspiratos et canonicos recipiendos; vel saltem demonstrent versuum eorumdem Marcum non esse auctorem?

R. Negative ad utramque partem.

III. Utrum pariter dubitare liceat de inspiratione et canonicitate narrationum Lucæ de infantia Christi (Luc. I-II), aut de apparatione Angeli Jesum confortantis et de sudore sanguineo (Luc., XXII, 43-44); vel solidis saltem rationibus ostendi possit — quod placuit antiquis hæreticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucæ Evangelium non pertinere?

R. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum rarissima illa et prorsus singularia documenta in quibus Canticum *Magnificat* non beatæ Virgini Mariæ, sed Elisabeth tribuitur, ullo modo prævalere possint ac debeant contra testimonium concors omnium fere codicum tum græci textus originalis tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiæ traditio?

R. Negative.

V. Utrum, quoad ordinem chronologicum Evangeliorum, ab ea sententia recedere fas sit, quæ, antiquissimo æque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthæum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur; aut huic sententiæ adversari vicissim censenda sit eorum opinio quæ asserit Evangelium secundum et tertium ante græcam primi Evangelii versionem esse compositum?

R. Negative ad utramque partem.

VI. Utrum tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucæ usque ad urbem Jerusalem eversam differre liceat; vel, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa hujus urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione jam inchoata fuisse conscriptum, sustineri possit?

R. Negative ad utramque partem.

VII. Utrum affirmari debeat Evangelium Lucæ præcessisse librum *Actuum Apostolorum* (*Act.*, I, 1-2); et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanæ Apostoli fuerit absolutus (*Act.*, XXVIII, 30-31), ejusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum?

R. Affirmative.

VIII. Utrum, præ oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter queat sententia quæ tenet Marcum juxta prædicationem Petri, Lucam autem juxta prædicationem Pauli scripsisse; simulque asserit iisdem Evangelistis præsto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive orales sive etiam jam scriptis consignatos?

R. Negative.

IX. Utrum dicta et gesta, quæ a Marco juxta Petri prædicationem accurate et quasi graphice enarrantur, et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (Luc., I, 2-3), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam jure vindicent quam eisdem semper præstitit Ecclesia; an e contrario eadem facta et gesta censenda sint historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve jam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis præconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint?

R. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram.

II.

De quæstione synoptica sive de mutuis relationibus inter tria priora Evangelia (1).

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio « De Re Biblica » ita respondendum decrevit:

I. Utrum, servatis quæ juxta præcedenter statuta omnino servanda sunt, præsertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthæi, Marci et Lucæ, de identitate substantiali Evangelii græci Matthæi cum ejus originali primitivo, necnon de ordine temporum quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, liceat exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptæ sive oralis vel etiam dependentiæ unius a præcedenti seu a præcedentibus appellare?

R. Affirmative.

II. Utrum ea quæ superius statuta sunt, ii servare censeri debeant, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quæ compositionem Evangelii græci Matthæi et Evangelii Lucæ ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare; ac proinde eam libere propugnare valeant?

R. Negative ad utramque partem.

Die autem 26 junii anni 1912, in audientia utrique R^mo^ Consultori ab Actis benigne concessa SS^mus^ Dominus noster Pius Papa X prædicta responsa rata habuit ac publici juris fieri mandavit.

Romæ, die 26 junii 1912.

L. ✠ S.

Fulcranus Vigouroux, G. S. Sulp.
Laurentius Janssens, O. S. B.
Consultores ab Actis.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, IV, p. 465.

GELOOFS-ONDERRICHT

Liceat Sacerdotes nostros attentos facere in hæc duo, maximi momenti practici :

I. In **opus secessuum spiritualium** quod inde a mense proxime futuro Rollarii incipiet.

Societatis *Geloofs-Onderricht,* pro suis statutis, erat omni ope promovere varia opera ad conservationem et propagationem fidei spiritusque et vitæ christianæ; inter hæc autem tanquam ex præclarissimis eminet notum illud opus secessuum spiritualium pro omni genere laicorum, et in specie pro operariis institutorum. Quare, suadente et patrocinante Illustrissimo nostro Episcopo, auxilio quoque plurium zelosorum sacerdotum et laicorum, opera *Geloofs-Onderricht*, erecta fuit Rollarii domus, sub vario respectu, ut putamus optima, in ordine ad promovendum magis ac magis, in nostra diocesi, opus illud eximium. Cura ipsius ab Illustrissimo Episcopo demandata fuit vigilantiæ et zelo cuicumque notissimo Reverendorum Patrum Congregationis SS. Redemptoris, qui brevi operi se accingent, a secessibus pro futuris militibus incipientes. Brevi quoque, mittent RR. Patres ad singulos Parochos litteras, in quibus magis determinatim rem totam exponent. Enixe rogamus sacerdotes nostros præprimis parochos, ut omni ope allaborent omnes simul ut uberrimos fructus salutares, ipsorum interventu, producere valeat opus recens, cui Deus benedicat.

II. In **Congressum pro circulis studiorum** *(Congres van Vlaamsche Studiekringen)* qui locum habebit Lovanii, die 29 Augusti, in collegio S. Petri. Quæstiones ibidem discutiendæ hæ sunt: *Verbond van Vlaamsche Studiekringen; — Studiekringen voor werklieden; — Studiekringen voor ontwikkelden.* — Aderit et allocutionem finalem habebit Eminentissimus Cardinalis Mercier. — Dubium non est quin hujusmodi congressus fructus uberrimos producere natus sit, in ordine ad promovendum opus tantæ opportunitatis Circulorum Studiorum (1).

Het Comiteit van Geloofs-Onderricht.

(1) Pro ampliori notitia et adhæsione sua, scribant ad: *Algemeen Secretariaat van Geloofsverdediging, Provinciestraat, 118, Antwerpen.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

I

Describe doctrinam circa caritatem erga Deum et caritatem erga proximum, qualis continetur in epistola I S. Joannis.

II

Explica hoc assertum: implere mandata legis contingit dupliciter: uno modo *quantum ad substantiam operum...;* alio modo non solum quantum ad substantiam operum, sed etiam *quantum ad modum agendi*. Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 109, a. 4.

III

An et quanam ratione Sacrificium Missæ est *commemorativum* et *repræsentativum* Sacrificii Crucis.

IV

Variis argumentis ostende *essentiam* Sacrificii Missæ non posse reponi in Communione.

V

Faites connaître brièvement la propagation et l'influence dans les Pays-Bas des *Frères de la vie commune*.

VI

In quibus missis recitandum est Symbolum?

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges. Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Editio altera. Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0.50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

MONITUM

In **exercitiis spiritualibus** quæ mensibus Augusto et Septembri peragentur Brugis, Rollarii et Poperingis, horæ canonicæ, postulantibus pluribus, recitabuntur **juxta ordinem novi Psalterii.**

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Expone doctrinam quam S. Jacobus circa usum linguæ proponit in sua epistola, necnon varia vitia et abusus linguæ quæ apud lectores suos supponit* (1).

R. Epistola S. Jacobi si vere, ut supra (2) vidimus, meliori modo reponitur ante annum 50, documentum est magni momenti ad perspiciendam vitam illam primitivæ Ecclesiæ, qualis erat ante ingressum gentilium in ipsam, dum quasi coexistebant religio judaica et religio christiana, nondum facta completa et adæquata separatione inter utramque: hujus status quædam jam delineavimus supra (3); hoc autem responso, si recte assecuti fuerimus sensum epistolæ, considerabimus alium respectum: Judæorum conversorum relationes ad Judæos nondum conversos, signanter quod spectat modum quo eos ad fidem suam adducere conabantur.

In his autem non raro (4) lingua excedebant; quare S. Jacobus tum modo generali tum ad singularia vitia

(1) Varia opera conferenda, vide citata in præcedentibus responsis.

(2) pp. 316 ss.

(3) pp. 439 ss., 506 ss.

(4) Dicimus: Non raro. — Immerito enim ex iis quæ S. Jacobus in epistola sua vituperat, concluderes eosdem defectus vere apud omnes Christianos vel in omnibus partibus Ecclesiæ viguisse.

descendendo, doctrinam suam de usu et abusu linguæ inculcat (1).

I. **Doctrinam generalem,** circa momentum usus linguæ in universa vita morali, exponit S. Jacobus, III, 1-8.

In multis sane *offendimus omnes*, seu ut communi hominum experientia constat abunde, in peccata omnis generis cadimus universi omnes; ast potissimum peccatis linguæ facile peccatur, adeo ut dici possit: *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Et revera, ut iterum tum in bonam tum in malam partem, quotidiana experientia constat, ex abundantia cordis os loquitur, et linguæ custodia generatim indicium est habitualis temperantiæ in re morali: qui linguam perfecte refrenare valet, hic *potest etiam freno circumducere totum corpus*, seu refrenare valet et moderari omnes facultates suas, se totum. Et ex adverso, jam supra I, 26 dixerat: *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam... hujus vana est religio.*

Assertum illud generale: vim et efficacitatem linguæ, indeque necessitatem linguam refrenandi, triplici comparatione enucleat:

a/ *Si equis,* utut fortibus et indomitis, *frena in ore mittimus ad consentiendum* nobis, nonne eo ipso *et*iam *omne corpus illorum circumferimus* et moderamur?

b/ *Ita et naves, cum* (etsi) *magnæ sint et a ventis validis minentur* et impellantur, nihilominus *circumferuntur* et ducuntur *a modico gubernaculo ubi*cumque *impetus* seu voluntas nautæ *dirigentis voluerit.*

Sicut frenum equi et gubernaculum navis, *ita et*iam *lingua modicum quidem membrum est, et* tamen *magna exaltat*, seu gloriatur se magna efficere posse, magna vi pollet: qui illam refrenare valet, se totum moderari poterit.

---

(1) Omittimus quæ S. Jacobus, in cap. V, v. 12 circa *juramentum* docet, necnon ea quæ de mutua *detractione* inter Christianos forte dicit in c. IV.

c/ *Ecce quantus* (quantillus, quam parvus) *ignis*, vél scintilla flammæ, *quam magnam* interdum *silvam incendit!* Ita *et lingua* hujusmodi igni comparari potest: *ignis est, universitas iniquitatis* (1), quatenus magna et omnigena mala efficere valet. — Idea ignis silvam incendentis aliam figuram ignis inducit, qua vis linguæ proponitur: Ob motum suum perpetuum, vita humana (γένεσις humana, actiones nostræ) comparatur rotæ cujus axis seu cardo lingua est, utpote quæ aliquo sensu *constituitur in membris nostris*, in medio membrorum vitalium (oculorum, aurium, oris, etc.): lingua autem, axis ista, ipsa *inflammata a gehenna* (seu a diabolo cujus gehenna est aula), *inflammat rotam nativitatis nostræ*, seu actionibus nostris ignem transmittit, quatenus ad malum perducere valet quascumque animi aut corporis potentias et vires: *maculat totum corpus,* totum hominem.

Post triplicem hanc comparationem, iterum S. Jacobus doctrinam suam generalem absque figura enuntiat: Homo, quem constituit Dominus super omnia et cui omnia subjici voluit, quam difficulter linguam suam moderari poterit: *Omnis natura bestiarum* (animalia terrestria), *et volucrum* (animalia alata), *et serpentium* (reptilia) *et cetorum* (2) (marina) *domantur et domita sunt a natura humana,* ab hominibus; *linguam autem* suam *nullus hominum domare potest:* lingua enim est *inquietum* (3) *malum,* et velut serpens venenosus *plena* est

---

(1) ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας: *dat heelal der ongerechtigheid.* Hoc nomine lingua vocari potest, eo quod nullum sit peccatum quod lingua suo modo non valeat perpetrare, imo nullum sit peccatum nullusque defectus in homine, quod non interdum in linguam prorumpat: ex abundantia enim cordis os loquitur. — Præterea ipsa quoque causaliter ad omnem iniquitatem conducit, quatenus, nisi refrenetur, omnigena peccata causare potest, aut perpetrando (blasphemias, detractiones, etc.) aut præcipiendo, suadendo, provocando. Cfr. Van Steenkiste-Camerlynck, in h. l.

(2) Ἐνάλια, belluæ marinæ seu pisces. — Indubium videtur Vulgatam primitus habuisse cetorum, loco: ceterorum.

(3) Textus receptus legit: ἀκατάσχετον, indomitum.

veneno mortifero, semper parata ad noxas etiam mortales inferendas (1).

II. **Vitia et abusus linguæ** quæ S. Jacobus apud lectores suos supponit et in epistola sua vituperat.

In c. I, v. 19 s., ubi, ut videtur duplicem partem in epistola tractandam annuntiat (2), alterius partis materiam describit: *Sit omnis homo... tardus ad loquendum verbum Evangelii, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur.*

Hæc autem vitia et defectus ad quæ hic compendiose alludit, latius evolvit et vituperat inde a c. III, v. 1. — Huc autem, ut videtur, redeunt:

a/ Indulgebant lectores **immoderato proselytismo**: multi enim indebite et imprudenter munus docendi ambire solebant. Quare monet eos Apostolus: *Nolite plures* (multi, πολλοὶ) *magistri fieri, fratres mei.* De hoc zelo pluries adhuc infra redit sermo, indeque apparet non agi hic de appetendo munere docendi *inter Christianos,* sed de nimio zelo quo, nullo munere ad illud opus accepto, intendunt *Judæos* nondum conversos ad fidem christianam *convertere* (3).

---

(1) His ultimis verbis transitio fit a doctrina generali ad applicationes magis speciales.

(2) *Sit omnis homo velox ad audiendum* verbum Evangelii: de modo quo debent *audire* verbum Dei: *Estote factores verbi et non auditores tantum:* hæc prior pars evolvitur I, 20 — II, 26. — Altera autem pars nuntiatur: Sit omnis homo *tardus ad loquendum,* ad prædicandum verbum Evangelii, et potissimum *tardus ad iram.*

(3) Revera loquitur S. Jacobus de zelo amaro quem lectores sui exercent, et de contentionibus seu pugnis verborum ex studio vincendi susceptis (III, 14, 16). Nonne, si ageretur de contentionibus et disputationibus inter ipsos christianos et in ipsa Ecclesia susceptis, nonne obvie ageretur de divisionibus *doctrinalibus,* et nonne obvie exspectares mentionem fieri de hujusmodi disputationum *objecto?* Jamvero nulla omnino fit allusio ad objectum doctrinale de quo isti plures (III, 1) agere volunt: in tota epistola unice exprobrantur defectus *in modo loquendi.* — Præterea, ubi S. Jacobus monitum suum generale (III, 1-8) jam magis determinate evolvit, notat et vituperat vitium eorum qui Deum benedicentes, non verentur *maledicere homines qui ad similitudinem Dei facti sunt:* Nonne si ageretur de convitiis quibus lædunt (male-dicunt) christianos, nonne

Hanc praxim, sane valde periculosam, reprehendit hic S. Jacobus, proponendo doctrinam illam generalem de qua supra jam egimus: Nimis periculis plenus est usus linguæ, quam ut sic imprudenter munus docendi et loquendi susciperetis: *majus* et severius inde *judicium* apud Deum incurretis.

b/ Judæis sollicitationibus suis annuere seseque convertere recusantes, amare tractant: zelus eorum fit **zelus amarus**, habentque cum ipsis **contentiones** seu **pugnas** verborum (III, 13, 16), et ad **convitia** deveniunt, ipsi autem fidem suam jactare pergunt, seseque solos sapientes et eruditos esse gloriantur (1).

Hoc quoque vituperat S. Jacobus, triplici comparatione: Sicut in ordine physico impossibile est quod *fons de eodem foramine emanat* (effundit) *dulcem et* simul *amaram aquam;* quod *ficus faciat uvas aut vitis ficus;* et quod *salsa* aqua *dulcem præstet aquam;* — ita, in ordine morali, absurdum est quod *ex* eodem *ipso ore procedit benedictio in Deum* ipsum; *et maledictio* seu convitia *in homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt* (III, 9-12).

Præterea in lucem ponit Apostolus immerito gloriari

---

vitium illud acrius et efficacius vituperaret dicendo ipsos non vereri convitiis lædere *fratres* suos? Hæc autem sensum valde obvium obtinent si supponis, quod jam supra ostendimus (pp. 316 ss., 439 ss., 506 ss.), epistolam scriptam esse ante a. 50, eamque supponere Christianos adhuc vivere in multis permixtos cum Judæis, etiam in rebus religiosis: in specie, sicut Christiani initio adire pergebant synagogas judaicas, ita et ipsi in conventus suos proprios recipiunt Judæos: in hisce adjunctis optime intelligitur usus quo quicumque potuerit in conventibus sacris munus docendi ambire: ita enim fieri solebat in synagogis Judaicis. — Tandem in hac quoque hypothesi sensum optimum accipiunt duo vv. secus satis difficiles: *Ira viri justitiam Dei non operatur* (I, 20), et: *Fructus justitiæ in pace seminatur, facientibus pacem* (III, 18): Judæos qui, invito proselytismo vestro, nolunt se convertere, vos convitiis exprobratis: non oportet sic fieri: neminem ad justitiam seu fidem christianam convertetis per zelum vestrum amarum et iratum, sed moderato et pacifico modo.

(1) Cfr. II, 18 s.; et dicta supra, pp. 439 ss.

de sapientia sua, Christianos zelo huic amaro indulgentes: Si *quis* gloriatur quasi esset *sapiens et disciplinatus* (eruditus) *inter vos*, *ostendat* ille *ex bona conversatione operationem suam*, et in specie *per mansuetudinem* quæ ex vera *sapientia* oriatur. Revera, *si zelum amarum habetis*, *et contentiones sint in cordibus vestris*, — *nolite gloriari* de doctrina quam prædicatis, etenim simul *mendaces estis adversus veritatem*, seu ducitis vitam non conformem huic doctrinæ. — Si zelum amarum habetis, *sapientia* quam jactatis *non est* origine sua *desursum descendens, sed terrena*, *animalis, diabolica; ubi enim zelus amarus*, *ibi inconstantia* (instabilitas, fl. *wanorde*) *et omnis generis opera prava*. Si vere essetis sapientes, non sic ageretis, nam *quæ desursum est sapientia primum quidem pudica* (immunis ab omni vitio) *est*, *deinde pacifica, modesta* (benigna), *suadibilis* (non superba), *plena misericordia et fructibus bonis, non judicans* (non litigans), *sine simulatione*. — Cum his dispositionibus, cum hujusmodi sapientia, fides est prædicanda: etenim *fructus* vestræ prædicationis quæ est *justitia* et conversio auditorum, *in pace seminatur*, a *facientibus pacem*, a viris pacificis (III, 13-18). *Ira* autem *viri* (vir iratus, zelus amarus) *justitiam Dei* (conversionem et fidem in auditoribus) *non operatur* (I, 20).

c/ Ulterius tandem progrediens, denuntiat S. Jacobus ultimam radicem modi agendi quem supra vituperavit (1): **Cupiditatem** nempe **bonorum temporalium** et **superbiam animi** (2) IV, 1-3. Ea quoque vitia vituperat hic, IV, 4 ss., amicitiam mundi bonorumque ipsius ut incompossibilem ostendendo cum amicitia Dei.

A. Vander Heeren.

---

(1) Fieri tamen potest S. Jacobum his vv. 1 ss. c. IV, agere de jurgiis existentibus inter ipsos christianos, (Unde bella et lites *in vobis*), et partem quæ cum cap. IV incipit esse independentem a præcedentibus.

(2) Hujus cupiditatis divitiarum et honoris alibi adhuc in epistola vestigia occurrunt. Cfr. I, 9 ss., II, 1 ss., 18 s., III, 13 ss., IV, 1 ss., 13 ss.

II

Q. *Explica hoc assertum S. Thomæ:* « Virtute gratuita [h. e. gratia] superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum ad unum, scilicet ad operandum et volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, scilicet ut sanetur, et ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritorium ». 1-2, q. 109, a. 2.

R. His verbis statuit S. Thomas duplicem esse rationem necessitatis gratiæ ad operandum bonum morale: una est necessitas *physica, moralis* altera.

1. In statu naturæ *integræ,* nempe in statu quo homo, ante peccatum, fruebatur dono integritatis, non erat homini ad observandam legem naturalem hæc difficultas quæ provenit ex concupiscentia, nempe ex insubordinatione seu rebellione appetitus sensitivi ad rationem: proinde poterat homo per sua naturalia h. e. per vires suæ naturæ correspondentes, velle et operari omne bonum morale suæ naturæ proportionatum, nempe omne bonum morale quod pertinet ad complexum virtutum acquisitarum. Proinde non requirebatur gratia ad hoc ut homo valeret omnia præcepta observare et evitare omnia peccata.

Sed in hoc statu requirebatur gratia ad hoc ut homo valeret velle *supernaturaliter* bonum morale. Nulla enim actio potest esse intrinsece supernaturalis, quin procedat a principio activo supernaturali, h. e. elevato per gratiam. Et patet hanc gratiæ necessitatem esse *physicam:* quia anima ejusque operativæ potentiæ sunt *ex sese, entitative,* improportionatæ et incapaces ad eliciendum actum intrinsece supernaturalem (1).

2. In statu vero naturæ corruptæ, h. e. in statu quo homo privatur dono integritatis, exsurgit difficultas

(1) Cf. Van der Meersch, *De gratia divina*, Brugis, 1910, n. 31.

magna ad observandam totam legem etiam mere naturalem, ad vitanda peccata, ad acquirendas virtutes naturales; imo hæc difficultas talis est ut homines, in præsenti statu naturæ corruptæ, nequeant, absque gratia, per longum tempus observare totam legem naturalem et vitare omnia peccata mortalia (1): hæc autem impotentia dicitur et est *moralis* (2). Porro ad hanc impotentiam tollendam requiritur gratia, hæc est ejusdem necessitas *moralis*. Præterea in homine vivente in statu naturæ lapsæ, requiritur, sicut in homine in statu naturæ integræ, gratia ut ejus opera reddantur supernaturalia et meritoria: hæc est necessitas *physica*.

3. Jam inquirendum quid hic intelligat S. Thomas nomine *gratia*, quod ponitur in titulo articuli.

Respondemus hîc intelligi gratiam *gratum facientem* seu *sanctificantem*. Quod constat a/ ex hoc quod S. Thomas ordinariè, et nominatim in hac parte Summæ Theologicæ (3), nomine gratia, sine addito, designat gratiam sanctificantem; b/ ex hoc quod S. Thomas alio loco docet explicite gratiam *gratum facientem* requiri ad hoc ut homo, in præsenti statu, valeat omnia præcepta legis naturalis implere et vitare omnia peccata mortalia (4).

Igitur, secundum expositam doctrinam, gratia sanctificans, in præsenti hominis statu, est et *sanans* et *elevans*: *sanans*, quia requiritur (licet sola non sufficiat) (5)

---

(1) Cf. *o. c.*, n. 70, 76

(2) Hæc impotentia non est physica, quia natura humana ejusque operativæ potentiæ sunt *ex sese, entitative*, proportionatæ ad *singulas* virtutes naturales acquirendas, ad *singula* præcepta legis naturalis in singulis casibus adimplenda, ad *singula* peccata vitanda.

(3) 1 2, q. 109 ad q. 114. In *De Veritate*, q. 24, a. 14 ait: « Communiter loquentes utuntur nomine gratiæ pro aliquo dono habituali justificante ».

(4) *De Veritate*, q. 24, a. 14 ad 7; S. Th., 1-2, q. 109, a. 8. Cf. CAPREOLUS, in II, dist. 28, q. 1, a. 1, concl. 4ª (Edit. Turonibus, 1903, t. IV, p. 285).

(5) Præter gratiam sanctificantem virtutesque infusas requiruntur etiam gratiæ actuales. Cf. *De gratia divina*, n. 336-338. Ratio cur requiratur gratia sanctificans ad hoc ut homo possit vitare omnia peccata

ut homo possit superare infirmitatem qua laborat in ordine ad bonum morale operandum; *elevans*, quia requiritur tamquam primum principium, essentiæ animæ inhærens, quo elevantur seu intrinsece supernaturales redduntur operationes bonæ.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Breviter proba in Evangelio S. Johannis, cap. VI, vv. 52 ss., contineri promissionem SS. Eucharistiæ cum præsentia reali Corporis et Sanguinis Domini.*

R. *Prænota.* Abstrahimus a controversia inter catholicos vigente, utrum etiam prior pars sermonis Christi, a vers. scil. 26 ad v. 46, vel et etiam ad v. 51, intelligenda sit de SS. Eucharistia. Sufficit nobis arguere ex altera parte sermonis.

Probatio.

Ad thesecos probationem satis est ostendere verba Christi ibidem relata, de carne scil. sua in cibum manducanda, de sanguine in potum sumendo, esse intelligenda *in sensu proprio ac litterali.* Ad quod vindicandum sic arguimus:

Major. Principium est interpretationis universim admissum, retinendum esse sensum verborum proprium, donec cogamur ab ille recedere et sensum amplecti metaphoricum.

Minor. Jamvero nedum urgemur sensum proprium deserere, contextus et adjuncta illum retinendum suadent. — Ergo.

Probatur minor.

A. Alia ratio sensui proprio valedicendi inferri nequit, nec alia seria affertur, quam impossibilitas pro Christo

---

mortalia per longum tempus, est quia, in præsenti Providentiæ ordine, gratia habitualis est *causa connaturalis* rectitudinis constantis ac perdurantis voluntatis. Cf. Card. Billot, *De gratia*, Romæ, 1908, p. 82.

promissionem exequendi, carnem scil. realiter ministrandi in cibum. Hæc autem ratio valeret si promissio procederet a mero homine, nullius autem valoris est in casu, cum promissio enuntietur a Deo coram quo omnia possibilia sunt (1).

B. Firmatur sensus proprius ex *contextu* et *adjunctis*.

1° *Contextus*.

Non dicimus sensum metaphoricum *a priori* esse seponendum, ac imo fatemur similes locutiones in aliis locis S. Scripturæ occurrere metaphorice intelligendas. Hoc unum contendimus, locutionem hanc « manducare carnem », *in concreto et attento contextu*, non posse capere sensum metaphoricum, qualis alibi occurrit et ab adversariis proponitur.

Et sane a/ quod spectat metaphoram usurpatam apud *Eccles.*, XXIV, 29, ubi Sapientia dicitur edenda et bibenda, refectione scil. spirituali et metaphorica : huic metaphoræ non est locus hîc.

Si namque intelligi potest Christum sese proposuisse uti cibum et panem spirituali comestione manducandum, ratione doctrinæ Ipsius assimilandæ, vel ratione fidei in Ipsum habendæ, jam plane impossibilis evadit ille sensus in ore Christi, qui, ossibus et carnibus constans, non modò dicit *se* comedendum, sed urget manducandam esse *suam carnem* et bibendum esse *suum sanguinem*, undecumque insistendo in vera et reali manducatione ac potatione.

b/ Quod attinet sensum occurrentem apud *Job*, XIX, 22 (quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini) et Ps. XXVI, 2 (dum appropiant super me nocentes ut edant carnes meas) : ridiculus plane foret in præsenti sermone.

---

(1) Posset quis instare et dicere præsentiam realem eucharisticam involvere repugnantiam intrinsecam, ad intrinsecè autem repugnantia non posse invocari omnipotentiam divinam. Huic vero instantiæ factum est satis olim, apud *Collat. Brug.*, t. XI, speciatim pp. 250-262.

Manducare enim carnes in dictis locis significat aliquem injuriis, conviciis impetere: quod sane non quadrat cum insistentia qua Christus compellat auditores ut carnes suas manducent, ipsis in prœmium promissa vita æterna.

c/ Prima specie difficultatem movere videtur *Job*, XXXI, 31: « dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus ut saturemur ». Hæc nimirum locutio metaphorica videtur et in bonam partem interpretanda, eam intelligendo de amore quo quis alium prosequatur.

Atvero potius dicendum est in illa pericopa retinendum esse sensum proprium verborum et abesse omnem metaphoram. Nimirum, juxta textum hæbræum, æquivaleret incisum: quis dabit (ostendet) de carnibus (de dapibus) ejus non saturatum?, adeo ut domestici proclament domini sui largam hospitalitatem, cum nemo esuriens ab eo unquam recesserit (1).

2° *Adjuncta.*

Ex una parte liquet Judæos et discipulos intellexisse verba Christi de reali manducatione Corporis et reali potatione Sanguinis dominici: secus enim non explicatur cur inde scandalizentur et litigent ad invicem (v. 53). Ex alia autem parte non corrigit Christus illorum opinionem, sed imo illam confirmat, insistendo in necessitate carnem suam edendi et Sanguinem bibendi, sinitque plures discipulos retro abire murmurantes, hoc unum advertens, carnis nempe manducationem non esse cogitandam belluinam, quasi carnes Ejus essent dentibus dilacerandæ (v. 64).

Jamvero Christus, si non intenderit sensum litteralem et manducationem realem, sibi debebat errorem auditorum in hoc corrigere. Non potuit enim sinere ut homines illi in errorem ducerentur invincibilem, talem scil. cui sponte ansam præbebant verba ab Ipso usur-

(1) Cf. Sasse, *De Sacramentis Ecclesiæ*, Friburgi Br., 1897, I, p. 309; Van Noort, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, n. 289.

pata, idque in re tanti momenti: quod eo vel minus potuit permittere Christus Dominus, quod prævidebat fore ut fideles postea, per omnia retro sæcula in orbe dispersi, iisdem verbis nitentes, eumdem errorem invincibiliter amplecterentur, ac in idololatriam deciderent, merum panem adorando pro ipso Corpore Verbi Incarnati.

Scholion. In favorem interpretationis propositæ, juxta quam altera saltem pars sermonis Christi sit intelligenda de præsentia reali eucharistica, non adduximus auctoritatem Concilii Tridentini: quæ tamen auctoritas a plerisque auctoribus invocari solet.

Licet namque caput 2, Sessionis XIII, videatur favere interpretationi sic dictæ realisticæ, contra interpretationem spiritualisticam nuncupatam (quasi in capite VI Johannis ageretur de sola manducatione spirituali per fidem in Christum); liquet tamen S. Synodum noluisse dirimere controversiam inter utramque Scholam tunc temporis vigentem. De hac nimirum mente Concilii manifeste constat ex discussionibus sub Sess. XX et XXI agitatis inter theologos minores necnon coram ipso plenario Patrum conventu, et signanter ex successivis redactionibus capitis 1[1] dictæ Sessionis XXI (1).

Caput illud primum dirigebatur contra Hussitas, urgentes vi præcepti divini communionem laicorum sub utraque specie, et ad hoc invocantes cap. VI S. Johannis, speciatim verba: « nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis » (v. 54).

Porro prior tenor propositus sic habebat: « Sed neque illa verba Domini: nisi manducaveritis... ita accipi debent ut ipsis utraque species laicis præcipiatur. Nam *quamvis, multos græcos et latinos Patres sequendo, concedendum sit verba illius capitis ad Eucharistiæ*

(1) Cf. Theiner, *Acta Genuina Conc. Tridentini*, II, pp. 3-56.

sacramentum pertinere, non tamen ex illis verbis colligi potest... » (1). Reclamantibus autem patronis interpretationis spiritualisticæ, omissum est, in altero tenore, illud incisum, realisticæ interpretationi favens; ac imo, sub tertia forma definitiva, moderata est redactio tali modo ut expressis verbis libera declararetur quæstio, intacta relicta inter utriusque opinionis vindices controversia; inserebatur scil. sequens tenor: « *utcumque juxta varias SS. Patrum et doctorum interpretationes intelligatur* » (2). Docebat Concilium, in quacumque sententia et interpretatione, ac ex utraque parte controversiæ, quam dirimere nolebat, frustrà provocari ad cap. VI S. Joh., pro tuenda juris divini obligatione sub duplici specie communicandi (3). Circa hæc cf. egregie disserentem CAVALLERA, apud *Rev. d'Histoire ecclés.*, t. X, pp. 687-709, coll. VAN NOORT, o. c., n. 284 et 289 s.

---

(1) L. c., p. 46.

(2) L. c., p. 55, ubi notatur: « Deinde cum multi Patres petiissent ut cap. Joh. VI ita declararetur ut nulla opinio doctorum damnaretur, an scil. de spirituali vel sacramentali manducatione intelligi debeat, rogatæ sunt sententiæ Patrum, an in 1° capite doctrinæ, in declaratione dicti cap. VI Joh., addenda essent hæc verba: *utcumque*... Et ex 140 Patribus 57 non placuit, 83 vero placuit ut adderentur, et ita conclusum fuit ut addantur ».

Juvat etiam in confirmationem adducere declarationem Card. Seripandi, Concilii præsidis (l. c., p. 53-54): « Quoad cap. Joh. VI... Synodi intentionem non esse ut decidatur quæstio, quæ est inter catholicos doctores, quoad intelligentiam de qua manducatione intelligatur ».

(3) Sanè, si cap. VI Joh. esset intelligendum de manducatione merè spirituali et non de sumptione eucharistica, ipso facto evanescebat difficultas ex illo capite deducta ab Hussitis; et ideo, ob rationes polemicas, videntur quidam Auctores necnon et aliqui Patres Tridentini in illam interpretationem spiritualisticam inclinasse. In altera autem sententia, cap. VI, pro altera saltem parte, intelligente de SS. Eucharistia et de reali Corporis dominici manducatione, difficultas solvitur et a Concilio appositè solvebatur textus textibus opponendo.

IV

Q. *Determina cultum SS. Eucharistiæ tribuendum.*

R. Docet Concilium Tridentinum non esse dubitandum « quin omnes christifideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto (1), *latriæ cultum*, qui vero Deo debetur, huic SS^mo^ Sacramento in veneratione exhibeant ». Ita Sess. XIII, cap. 5, collato canone 6°.

Ratio est, uti ibidem arguit S. Synodus, quia « illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei ; quem magi procedentes adoraverunt ; quem denique in Galilæa ab apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur ».

Nec ideo minus est adorandum SS. Sacramentum, quemadmodum volunt Lutherani, quod fuerit a Christo ut sumatur institutum : sumptio namque non excludit adorationem.

Pro ulteriori autem determinatione cultus tribuendi, hæc attende :

1° Cultus latriæ, in Eucharistia, per se tendit ad Christum (2), et quidem principaliter terminatur ad Personam Verbi, secundario autem ad humanitatem, cum Verbo hypostatice conjunctam, quæ humanitas adoratur non propter seipsam, sed propter Verbum conjunctum (3).

2° *Species sacramentales*, si spectantur in quantum unum quid sacramentale constituunt cum Christo eucharistica, possunt uno eodemque adorationis actu

---

(1) Circa cultum exhibitum Eucharistiæ in Ecclesia Orientali, cf. *Theologie und Glaube*, III (1911), p. 822 ss.

(2) Sic, in canone 6°, dicitur : « Si quis dixerit, in S. Eucharistiæ Sacramento, *Christum*... non esse cultu latriæ... adorandum... anathema sit ».

(3) Cf. Billuart, *Summa S. Thomæ*, III, P., diss. XXIII, art. 2.

coadorari (1). Quo sensu ab Ecclesia cantatur: « Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui ». Cf. etiam citatum textum capitis quinti.

Quodsi quis velit species seorsim et abstractive considerare, et eas mente disjungere a Christo quem suo modo continent, « poterit solas species adorare tanquam rem quamdam sacram, et ex conjunctione ad Christum sanctificatam. Talis vero adoratio non poterit esse absoluta, nec latria ordinaria et perfecta, quia illæ species non habent in se excellentiam increatam, propter quam sint hujusmodi adoratione dignæ; sed erit adoratio respectiva », seu relativa. Ita SUAREZ, l. c., p. 447 (2).

Nota. Quod spectat cultum deferendum S. Cruori, in variis sanctuariis asservato (3), sive agatur de reliquia S. Cruoris, quod ad ipsum Christi Domini Corpus pertinuerit (4), sive agatur de cruore miraculoso, puta e s. hostia transfossa excepto: non potest ipsi tribui cultus latriæ absolutus, cum hic et nunc, sub neutra hypothesi, sanguis ille constituat partem Corporis Christi ejusque humanitatis.

Solus igitur præstari potest cultus *relativus,* qui nempe terminetur et transeat in Christum, cum quo reliquia illa relationem quamdam habet: quæ relatio

---

(1) « Dicendum est simpliciter hoc sacramentum adorandum esse adoratione latriæ absoluta et perfecta, qua per se adoretur Christus, coadorentur autem species. Probatur quia hoc sacramentum in re est unum constans ex Christo et speciebus; ergo eadem adoratione est adorandum qua ipsemet Christus ». SUAREZ. *opera omnia,* Parisiis, 1861, tom. XXI, p. 446.

(2) Notionem cultus absoluti et relativi videsis apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 179 s.

(3) Cf. SCHMID, *Die eucharistischen Wundererscheinungen und die Dogmatik,* apud *Zeitschr. f. kath. Theologie,* 1902, p. 492 ss., collato *Pastor Bonus,* 1905, p. 509: *Mirakulöse Hostien.*

(4) S. Cruorem Brugis veneratum esse reliquiam proprii olim Sanguinis dominici, vindicat Ill. Malou, in opella, cui titulus: *Du Culte du S. Sang de Jésus-Christ et de la relique de ce Sang conservée à Bruges,* Bruges, 1869.

intimior et præstantior est valdè in priori supposito quod Sanguis olim ad Corpus dominicum pertinuerit, quam in altero supposito (1).

A. De Smet.

V

Q. *Faites connaître le caractère et la première organisation de l'ordre de Cîteaux.*

R. Nous l'avons dit dans notre réponse précédente (2): la réforme cistercienne se présentait comme un retour à l'observance littérale de la règle de saint Benoît et comme une réaction contre l'affaiblissement de la discipline, qui s'était manifesté dans une partie de l'ordre bénédictin. Cette tendance apparaît clairement dans les premiers statuts dressés par saint Albéric pour le *novum monasterium;* ces statuts furent repris et amplifiés dans la *charte d'union* et les règlements de 1118, confirmés par Calixte II sous le nom de *Constitutio* et *Capitula;* on en trouve une première interprétation ainsique quelques applications pratiques dans les anciennes *Consuetudines* où *Us de Cîteaux* (3).

C'est d'après ces sources surtout que l'on peut établir

---

(1) Sanguis ille miraculosus, qui ex hostia consecrata defluxerit, puta in notissimo miraculo de Bolsena, erat sanguis miraculose efformatus ad fidem firmandam in præsentia reali, vel ob alium aliquem finem, nullatenus autem dici potest proprius unquam fuisse cruor Christi Domini. Uti namque ratiocinatur S. Thomas, III P., qu. LXXVI, art. 8, « Corpus Christi non potest in propria specie videri nisi in uno loco, in quo definitive continetur; unde cum videatur in propria specie et adoretur in cœlis sub propria specie, non videtur in hoc Sacramento ».

Relatio igitur ob quam potest hujusmodi reliquiæ sanguinis miraculosi deferri cultus relativus, est magis remota quam in priori hypothesi.

(2) Suprà p. 519. Les ouvrages que nous avons indiqués en cet endroit nous ont également servi pour la réponse présente.

(3) Les documents relatifs à la législation de l'ordre de Cîteaux ont été réunis par D. Julien Paris dans son *Nomasticon Cisterciense,* Paris 1670; 2e éd., revu par D. Hugues Séjalon, Solesmes, 1893.

les éléments essentiels et caractéristiques de la règle et de l'organisation de Cîteaux.

I. **La Règle et les Observances primitives de Cîteaux.**

Cîteaux proclamait comme principe fondamental de sa réforme la vie de silence et de retraite, de travail manuel et de pauvreté (1).

Les moines noirs vivaient près des villes ou dans des centres, devenus populeux précisément à cause de leur présence ; ils prenaient une part active à la vie sociale de l'époque et leurs abbés avaient toutes les allures des grands seigneurs. Les rapports trop fréquents avec le monde, résultant de la situation faite aux monastères par leur position féodale, avaient amené graduellement l'abandon de l'austérité voulue par la Règle: l'observance fut adoucie, l'office allongé au détriment du travail, et dans le vestiaire, dans les constructions et dans tout l'ensemble de la vie furent adoptés des coutumes peu conformes à la simplicité antique. Cîteaux voulait un retour à l'esprit et à la pratique primitifs. Il n'acceptait de fondation que dans les solitudes et pour assurer l'esprit de retraite écartait autant que possible tout profane. Les étrangers n'étaient admis que dans l'*hospitium* situé près de la porte. Même l'église n'était guère accessible qu'aux moines, elle était tout entière en quelque sorte leur chœur: il était d'ailleurs strictement défendu aux moines de s'occuper du ministère des âmes. Le silence était de rigueur durant toutes les occupations de la journée à l'exception de l'heure consacrée à la conférence spirituelle.

Dans leurs solitudes les moines menaient une vie pauvre et mortifiée. Ils rejetaient les habillements superflus en usage alors: les fourrures, les tuniques de laine à manches étroites etc., ils se contentaient d'une robe étroite en serge et de couleur grise, qui envelop-

(1) Voir M. E[NGLISH], *o. c.*, p. 241 ss. et U. BERLIÈRE, *L'Ordre Monastique*... l. c.

pait le corps jusqu'à mi-jambe. Pour les offices ils se revêtaient de la coule en laine, robe flottante pourvue de manches et surmontée d'un capuchon. Aux heures du travail manuel, la coule était remplacée par le scapulaire, serré à la hauteur des reins par une ceinture en cuir.

La nourriture était des plus simple, pour ne pas dire des plus vile. Le pain noir, les légumes, secs ou verts, l'huile, le sel et l'eau faisaient tous les frais de la table cénobitique. En temps de grands labeurs deux repas, fixés vers onze heures et vers cinq heures, devaient apaiser l'appétit des frères ; du 15 septembre à Pâques, sauf les dimanches, un seul repas était de règle, il se prenait vers trois heures, ou même, pendant le carême au coucher du soleil.

Le dortoir était commun : les lits, séparés par une cloison, consistaient dans une humble paillasse, étalée sur une planche, et un oreiller également en paille, le tout recouvert d'une saie. Les moines y couchaient tout habillés, afin d'être toujours prêts à se rendre à la chapelle au premier signal de l'abbé, pour l'office nocturne. Celui-ci se célébrait en hiver, du 1er novembre à Pâques, dès une heure du matin ; durant le reste de l'année un peu plus tard, de façon à commencer les Laudes vers l'aurore (1).

Bien que les Cisterciens eussent diminué la longueur et la solennité des offices, ceux-ci leur prenaient encore chaque jour environ six heures ; le reste de la journée était consacré au travail manuel. *Tunc vere monachi sunt,* dit la Règle de saint Benoît, *si labore manuum suarum vivunt.* Et c'est bien ainsi que l'entendirent les premiers cisterciens : à certaines heures tous les religieux sans exception vaquaient aux occupations purement matérielles que nécessite la bonne administration

(1) Voir pour toute cette partie concernant les observances de Citeaux, E. Vacandard, *Vie de Saint Bernard,* t. I, chap. II.

d'une ferme. Cîteaux acceptait en effet, comme base de revenu, l'exploitation agricole directe : il refusait au commencement les églises paroissiales, les autels, les dîmes, les villages, les colons, les serfs, les rentes foncières, les moulins et les fours auxquels était attaché le droit de banalité, se contentant d'accepter les terres directement exploitables. Ces biens étaient mis en valeur par la communauté : une partie autour de l'abbaye par les moines et des ouvriers ; les autres plus distants, divisés en « granges » ou colonies rurales, l'étaient, sous la haute surveillance du cellerier (grangarius ou rentarius), par les convers ; ceux-ci, recrutés en grand nombre, occupent dans l'ordre de Cîteaux une place qu'ils n'ont jamais eue dans les monastères bénédictins (1).

Dans ce genre de vie, on le comprend, l'étude occupait une bien petite place : elle se bornait aux connaissances requises pour le sacerdoce et à la lecture spirituelle. Toute culture intellectuelle qui n'était pas un moyen de développer la vie intérieure était taxée de curiosité.

En fait d'art, les cisterciens adoptaient une même ligne de conduite : ils faisaient vœu d'écarter de leurs obscures chapelles tout ce qui peut flatter les regards curieux et charmer les âmes faibles. La peinture et la sculpture en étaient bannies, comme choses vaines et bonnes pour les séculiers. La même proscription s'étendait aux fins tissus et aux métaux précieux : les ornements du culte devaient être simples, le luminaire restreint, les tours des églises modestes, modestes aussi les cloches ; en tout et partout on exigeait la pauvreté et l'austérité qui conviennent à des solitaires mortifiés.

---

(1) Sur l'histoire économique de l'Ordre de Cîteaux, spécialement en Belgique, voir : E. de Moreau, *L'abbaye de Villers-en-Brabant aux XIIe et XIIIe siècles. Étude d'histoire religieuse et économique*, Bruxelles, Dewit, 1909 ; A. Heins et V. Fris, *Les granges monumentales des anciennes abbayes des Dunes et de Ter Doest* (Bull. de la Soc. d'hist. et d'archéol. de Gand, t. XIII, 1905, p. 65-109).

II. **Organisation primitive de l'ordre cistercien.**

Le mode d'organisation et d'administration, tel que nous le connaissons par la *Constitutio* et les *Capitula,* établit un juste équilibre entre l'*autonomie* des abbayes, voulue par saint Benoît et la *centralisation* introduite déjà, mais jusqu'à l'excès, par la congrégation de Cluny. Les abbés cisterciens gardent toute leur autorité dans leurs monastères; mais ils sont soumis à la surveillance de leur père immédiat, de l'abbé fondateur, qu'on peut en quelque sorte, considérer comme leur supérieur naturel. Aux pères immédiats revient le droit de gouverner les abbayes pendant la vacance du siège abbatial, d'y faire annuellement les visites canoniques, d'y corriger les abus, au besoin de destituer les officiers incapables ou contempteurs des règles.

De leur côté, les abbés des maisons-filles peuvent prendre part à l'élection de leurs « pères »; ils peuvent aussi devenir « pères » par des fondations (1). L'abbé de Cîteaux, en qualité de père universel de l'ordre, veille sur toutes les maisons sorties de Cîteaux, mais il est soumis lui-même à la surveillance de ses quatre premiers fils, des abbés de la Ferté, de Pontigny, de Morimond et de Clairvaux, appelés les quatre premiers pères de l'ordre. Les abbés réunis en chapitre général forment l'autorité suprême, devant laquelle tout le monde doit s'incliner, qui reçoit les appels et juge en dernier ressort (2). Le premier chapitre se réunit en 1119, les suivants eurent lieu très régulièrement toutes les années jusqu'en 1411. Ces réunions furent dès lors intermittentes et perdirent beaucoup de leur autorité.

Ajoutons que cette belle unité et cette forte organisation n'empêchait pas Cîteaux de reconnaître le pou-

---

(1) C'est ainsi que l'abbaye des Dunes, fille de Clairvaux, devint à son tour abbaye-mère par rapport à Ter Doest.

(2) U. Berlière, *Les Origines de Cîteaux*... (*Rev. d'hist. Eccl.* de Louvain, t. I, p. 455 ss.).

voir épiscopal. Avant de s'introduire dans un diocèse, les moines sollicitaient le consentement de l'Ordinaire et se soumettaient à sa juridiction. En cela encore ils se distinguaient des Clunistes qui, exempts de l'autorité épiscopale, ne relevaient que du souverain pontife.

***

L'ordre de Cîteaux ne conserva sa ferveur religieuse que pendant le XIIe et le XIIIe siècle ; la décadence préparée à la longue se précipita dès le XIVe siècle.

Déjà dès le XIIe siècle quelques moines, par la force des choses, furent fortement mêlés à la vie sociale et religieuse : saint Bernard lui-même en est un exemple frappant. Il s'en suivit très tôt un changement au point de vue de la culture intellectuelle : peu à peu il se crée une littérature cistercienne et, déjà en 1227, nous voyons l'abbé de Clairvaux négocier l'établissement d'un collège à Paris. La même évolution se produisit dans le domaine économique : moins de quatre vingts ans après la fondation, Alexandre III reproche à certains abbés leur fièvre d'acquérir ; et de fait on voit bientôt partout l'ordre obtenir des églises, des dîmes, des moulins, des cens, des villages et la justice. Or l'excès de richesses engendra la vie facile : les soucis de la vie matérielle prirent le dessus, la vie intérieure perdit de son intensité, l'esprit de mortification s'affaiblit et l'abstinence même fut peu à peu abandonnée.

A mesure aussi qu'il s'éloigne de son berceau, l'ordre voit les liens de son organisme, fédératif et centralisateur à la fois, se relâcher ; l'individualisme fait des progrès constants et l'égoïsme local n'a plus souci des grands intérêts du corps entier. La « charte de charité » fut interprétée avec la même liberté qu'on reprochait autrefois à d'autres à propos de la Règle ; elle finit par être lacérée (1). En un mot, au début du XIVe siècle

(1) Voir U. Berlière, *L'Ordre Monastique*, p. 256 ss. et M. English, passim.

l'ordre de Citeaux était ramené au point où il trouva l'ordre bénédictin au moment où il s'en séparait.

R. De Schepper.

VI

Q. *Exposez la règle et la raison des cérémonies à observer par le diacre à l'évangile d'une messe solennelle.*

R. **Idée fondamentale.** — Rien ne nous donne une image aussi fidèle de la personnalité propre de quelqu'un que ses pensées et ses sentiments passant dans ses actes, exprimés par ses propres paroles. Rien d'étonnant donc que le livre des évangiles soit considéré dans la liturgie, à l'instar du crucifix, comme un symbole expressif non seulement de la doctrine, mais encore de la personne même du Christ. Telle est l'idée fondamentale qui régit et explique les cérémonies usitées dans la lecture de l'évangile ainsi que des honneurs exceptionnels rendus à l'évangéliaire. « De tous les livres liturgiques le saint évangile ou le *texte,* comme l'appelaient simplement les anciens, est le seul livre qui soit *baisé, encensé, marqué de la croix* » (1) et porté *processionnellement.*

L'évangéliaire déposé sur l'autel. — Tandis que le célébrant se dirige vers le milieu de l'autel, et que le sous-diacre transporte le missel, le diacre descend les degrés du côté de l'épitre, reçoit des mains du cérémoniaire (ou de l'acolythe) (2) le livre des évangiles (3),

---

(1) Voir un excellent article *L'évangile dans la liturgie* dans le premier vol. du *Messager des fidèles (Revue Bénédictine)* année 1884-85 ; *Collat. Brugen*, t. X, p. 305.

(2) Primitivement l'épistolier et l'évangéliaire étaient deux livres différents : il était donc impossible de recevoir le livre des évangiles des mains du *sous-diacre.*

(3) Manière de porter le livre : on l'appuie par le haut contre la poitrine, la tranche à gauche ; les deux mains le soutiennent aux coins inférieurs, ou bien, la gauche le soutenant en bas, la main droite le retient par le dos.

qu'il porte gravement « per planum » jusque devant le milieu de l'autel, où il s'agenouille sur la première marche (ratione accessus ad altare in medio) et va déposer le livre au milieu (1) de l'autel.

Cette cérémonie est un vestige de l'ancienne liturgie qui par respect, gardait le livre des évangiles *sur l'autel* depuis le commencement de la messe, au moins jusqu'au chant de l'évangile (2). En outre elle accentue le symbolisme qui s'attache à l'évangéliaire, en montrant l'union entre la parole du Verbe contenue dans l'évangéliaire et le Verbe Incarné lui-même représenté par l'autel.

Tandis que le prêtre récite à mi-voix le texte évangélique, le diacre se retire un peu du côté de l'épître ou bien, selon l'usage local, va assister à la lecture de l'évangile, à droite du célébrant un peu en arrière (3). Puis il revient au milieu de l'autel avec le célébrant pour la cérémonie de l'imposition et de la bénédiction de l'encens qui se fait comme avant l'introït.

Préparation du diacre. — L'Église a toujours attaché une grande importance à la mission officielle de chanter l'Évangile. Il convient donc que le diacre se prépare à sa fonction en confessant humblement son indignité et en demandant la pureté de cœur et des lèvres ; il convient en outre qu'il obtienne du célébrant, dont il est en quelque sorte le délégué, une bénédiction et une sorte d'autorisation.

Le diacre va donc s'agenouiller, en signe d'humilité, sur le bord du suppedaneum et, la tête inclinée, il récite la prière *Munda cor*. Le prophète Isaïe (VI, 5-9) avait été chargé par le Seigneur d'une mission analogue à celle du diacre : il avait reconnu son impuissance et son indignité ; mais un séraphin était venu purifier ses

---

(1) Voir *Ordo Missæ; Cærem. Episcop.* I, IX, 2 ; S. C. R., n. 4077. 3.

(2) Voir par exemple *Ordo roman.* II, n. 5 ; AMALAIRE, *De eccles. offic.*, c. 18 (Migne, *Patr. lat.*, t. 105, col. 1126).

(3) Le texte des rubriques ne détermine pas.

lèvres au contact d'un charbon ardent pris sur l'autel des cieux. Le diacre demande une purification spirituelle analogue « afin de pouvoir annoncer dignement le saint évangile » (1).

Le diacre se lève, va prendre l'évangéliaire à l'autel, comme s'il recevait du Christ lui-même son verbe révélé et va s'agenouiller à la place qu'il vient de quitter. En même temps il demande au représentant du Christ une sorte d'autorisation ainsi qu'une bénédiction pour remplir dignement sa mission. La formule « *Jube, Domne, benedicere* » indique que, par le ministère du prêtre, c'est de Dieu même qu'il attend la grâce que la bénédiction sacerdotale obtient.

La formule de bénédiction du prêtre répond à la supplication du diacre : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis*, disait la formule primitive (2). Les siècles suivants l'ont amplifiée en marquant plus nettement le but : *ut digne ac competenter annunties evangelium suum. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti*. Le signe de croix exprime que la grâce est accordée par les mérites de la croix de Jésus.

Le célébrant fait le geste de donner l'évangéliaire en appliquant sur la partie supérieure du livre la main droite que le diacre baise respectueusement en signe d'acceptation de la mission qu'il vient de recevoir (3).

Il se lève, se retourne vers la gauche (vers le sous-diacre), descend les degrés et va se placer à droite du sous-diacre en attendant la fin de l'alleluia ou du trait.

---

(1) Le texte actuel se rencontre pour la première fois dans l'*Ordo Romanus* XIV, c. 53 (XIVe s.).

(2) *Ordo Rom.* In 11 ; III, 10 ; Amalarius, l. c., col. 1125.

(3) L'*Ordo* romain de Saint-Amand (VIIe-VIIIe s.) marque nettement cette sorte de mission : « inclinat se diaconus ad pontificem et jubet pontifex ut legatur evangelium » (Duchesne, *Origines du culte* (1889) p. 442). A la messe pontificale, le diacre va d'abord reconnaître l'autorité de l'évêque par le baiser de la main épiscopale, et ensuite il récite le *Munda cor* et demande la bénédiction. Les anciens liturgistes citent d'ailleurs à propos de cette bénédiction le texte de S. Paul, *Rom.* X, 15 « Quomodo prædicabunt nisi mittantur ».

Procession. « Précédé du thuriféraire, dit la rubrique, et de deux acolythes portant des cierges allumés qu'ils ont pris à la crédence, et ayant le sous-diacre à sa gauche, le diacre se rend à l'endroit de l'évangile « contra altare, versus populum ». Cette expression peu claire est interprétée par les auteurs et l'usage, conformément à la rubrique du Cérémonial des évêques l. II, c. VIII, n. 44, en ce sens que le diacre s'éloigne de l'autel pour se rapprocher du peuple et se place la face tournée vers le mur du chœur qui est du côté de l'évangile : c'est le côté nord dans une église bien orientée.

Nous avons ici le vestige d'une procession solennelle ancienne que les Grecs ont gardée sous le nom de « Petite entrée » et que les anciens liturgistes décrivent minutieusement : S. Germain de Paris (VIe s.) notamment la compare à une marche victorieuse « de la puissance du Christ triomphant de la mort ».

L'Évangile est chanté à la Messe pour instruire et édifier le peuple. Aussi le diacre, pour être mieux entendu et écouté, se dirigeait vers le peuple et montait à l'ambon ou sur une estrade ou jubé (1) afin de dominer la foule des fidèles. Aux premiers temps il se tenait au côté nord, mais se tournait vers les hommes qui occupaient la nef droite ou méridionale, et pas vers le côté septentrional qui était réservé aux femmes. Cet usage se conserva dans le rite romain jusqu'à la fin du XIe s. Mais, aux messes basses, le missel fut d'assez bonne heure transporté au côté droit de l'autel afin que le côté gauche (de l'épître) fût libre pour l'offrande. Ce fut, s'il faut en croire Bernold de Constance (2), en imitation de cette pratique des messes basses, que les diacres commencèrent à chanter l'évangile vers le Nord. Cette coutume existait déjà en Gaule au IXe s., et bien que l'auteur du Micrologue la condamne énergiquement, il reconnaît cependant qu'elle était presque universellement en vigueur. On la justifiait d'ailleurs, depuis Remi d'Auxerre (IXe s.), par cette considération mystique : le nord, l'aquilon est considéré comme

(1) Voir *Dict. d'archéol. et de lit.*, v° *Ambon*.
(2) *Micrologus*, c. 9 (Migne P. L., t. 151, c. 982).

le lieu des ténèbres et la résidence du démon (Isaïe, XIV, 13; cf. Jérémie, I, 14): il convient donc de se tourner vers le Nord pour éclairer les ténèbres du septentrion et arrêter l'influence de l'esprit malin.

Le chant de l'Évangile. — Le diacre salue, les mains jointes, l'assistance par le souhait *Dominus vobiscum*, auquel le peuple répond par un souhait analogue: *Et cum spiritu tuo*. Ensuite il indique la source de la péricope évangélique qu'il va lire: *Sequentia* (sous-entendez *verba*) ou *Initium sancti Evangelii secundum N*. Et le peuple de répondre par une acclamation très ancienne et commune à toutes les liturgies latines: *Gloria tibi Domine*.

En chantant le premier mot, le diacre étend les mains vers le livre: tandis que la gauche (qui suit la droite par un mouvement tout naturel) s'étend et se repose sur le livre, l'intérieur du pouce de la main droite (les doigts étendus) trace une petite croix non sur la lettrine initiale, mais sur les premiers mots du texte évangélique proprement dit (1). Aux mots suivants *Sancti Evangelii* il retire les mains, la gauche se place modestement sur le bas de la poitrine, et de l'intérieur du pouce droit, les doigts étendus vers la gauche, il se marque une petite croix sur le front; puis il se signe de la même manière la bouche; et reprenant le chant *secundum N.*, il se signe la poitrine.

Ces signes de croix comportent actuellement; croyons-nous (2), pour les fidèles comme pour le diacre, le symbolisme suivant: ils sont une marque d'adhésion aux vérités enseignées dans le texte évangélique en même temps qu'ils demandent — par les mérites de la croix du Christ — la grâce d'y adhérer pleinement par l'intelligence, de les professer par les paroles et de les observer par la volonté. Le diacre y ajoute la croix sur le livre pour marquer que cette grâce, il

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 546.

(2) L'histoire de l'usage et du symbolisme des signes de croix à l'évangile est très curieuse, mais serait trop longue à être exposée ici.

la prend du livre, c'est-à-dire qu'il la demande au Christ représenté par l'évangéliaire.

Ensuite il prend l'encensoir que lui présente à droite le thuriféraire, salue le livre par une profonde inclination de tête et l'encense par trois coups (1) d'encensoir dirigés, le premier vers le milieu du livre, le second vers la droite du livre et le troisième vers la gauche (2). Après avoir salué à nouveau l'évangéliaire, il rend l'encensoir et commence, les mains jointes, le chant de l'évangile proprement dit.

Ce chant terminé, le diacre indique, de l'intérieur de la main droite, le commencement du texte au sous-diacre qui porte, sans génuflexion ni inclination vers l'autel (3), le livre que le prêtre baise en signe de respect et de gratitude.

Entretemps le diacre se dirige vers l'autel, fait une génuflexion au milieu du premier degré (4), prend à droite l'encensoir et encense le célébrant de trois doubles (5) coups.

C. CALLEWAERT.

---

(1) D'après le récent *Appendix I* (1912) des *Decreta authentica Cong. S. Rituum*, n. 4057, ad II ces trois coups doivent être doubles, c'est-à-dire qu'ils doivent être exécutés « in duplici ictu ».

(2) Ce triple coup d'encensoir serait-il peut-être le vestige d'un encensement fait primitivement « per modum crucis », comme nous en trouvons un exemple dans les *Consuetudines Cluniacenses*, l. II, c. 30 (Migne, Patr. Lat., t. 149, col. 715)? Nous l'ignorons. Il serait d'ailleurs intéressant — mais cela nous mènerait trop loin — de rechercher l'origine et l'évolution de cet encensement du livre et plus loin du célébrant, double cérémonie que le moyen âge a introduit comme développement, semble-t-il, de l'usage très ancien de l'encens à la procession de l'évangile, comme à toutes les processions.

(3) Même si le S. Sacrement est exposé, d'après le décr. du 1 février 1907 (*Collat. Brugen.*, t. XII, p. 426), n. 4198, ad XII; voir aussi décr. du 14 janv. 1898 (*Collat. Brugen.*, t. III, p. 241).

(4) Le motif de cette génuflexion c'est que le diacre revient à l'autel qu'il avait quitté pour le chant de l'évangile. De même qu'il s'est agenouillé avant de quitter l'autel, de même il doit faire la génuflexion au moment qu'il y revient.

(5) Voir le décret du 29 mai 1900, tel qu'il a été changé dans l'*Appendix I* récemment publié de la Collection authentique des décrets de la S. C. des Rites, n. 4057, ad II.

DE ORATIONIBUS IN MISSA

de feria majori et vigilia communi juxta novas rubricas.

Ex Nov. Rubric. tit. X, n. 2: « In feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri officium alicujus Festi Duplicis (non tamen I aut II classis) aut Semiduplicis, *Missæ privatæ dici poterunt ad libitum*, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriæ aut Vigiliæ, *vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi...* »

T. X, n. 5... « Licebit tamen in hujusmodi missis de Feria *orationem addi pro defunctis*, pro quibus sacrificium applicatur, pœnultimo loco, *prout permittit Rubrica Missalis*. Cum autem ut applicari possint *Indulgentiæ altaris privilegiati*, Missæ Defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis » (1).

De orationibus in hujusmodi missis de feria aut vigilia dicendis multum et in diversissimas sententias statim disputatum fuit. Sed ipsa S. R. C. quamplurima jam dubia decretis suis solvit, ita ut quoad plura nunc quæstio sit eliquata.

I. **Quoad orationum numerum**: 1/ præter orationem missæ propriam, semper dicendæ sunt, ut patet, *commemorationes speciales* occurrentes.

2/ Si occurrat commemorandum festum duplex, nulla addi debet nec potest *commemoratio communis* (seu non debent esse tres orationes) nec votiva stricte dicta. Ratio est influxus duplicis commemorati (2).

---

(1) Vide explicationem tit. X, 2 et 5, suprà p. 70 ss.

(2) Influxus ille duplicis in primis textibus novarum rubricarum et decretis non videbatur admitti in missis de feria sed restringi ad solam

3/ Si vero festum occurrens, cujus est facienda commemoratio, sit semiduplex, et non occurrat facienda alia commemoratio specialis, pro tertia oratione dici debet oratio communis pro tempore assignata, sed non possunt addi proprio marte orationes votivæ stricte dictæ (1).

4/ Quod si nullum occurrat festum duplex aut semiduplex, debent esse saltem tres orationes (non computata imperata aut oratione speciali pro defunctis) sed celebrans pro devotione addere potest alias orationes ita ut numerus omnium orationum sit quinque vel septem, juxta Rubr. Missalis IX, 12.

II. **De oratione pro defunctis**, novis rubricis tit. X, n. 5 permissa, dedit S. R. C. nuperrime Decretum generale quod cum lectoribus nostris communicavimus suprà p. 553.

In missis ritus simplicis, nempe « in Festis simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur [orationes] tres, ut in semiduplicibus, aut quinque : possunt etiam dici septem ad libitum » (Miss. Rub. Gen. IX, 12). *Permittit* nempe Missiale ut celebrans orationibus præscriptis addat proprio marte alias orationes (quæ *stricte votivæ* nuncupantur) ita ut *omnium* orationum numerus compleatur quinarius vel septenarius (2). Inter eas orationes votivas potest esse aliqua oratio pro defunctis, sed hæc oratio ex *præcepto* rubricæ Missalis « semper ponitur penultimo loco » (Rub. Gen. tit. VII, n. 6).

Novarum rubricarum dispositio de oratione pro de-

Dominicam : vide suprà p. 204, et decr. 24 febr. 1912, ad I, cum adnotatione suprà p. 291, s. Verum recentiora responsa præfatum influxum extenderunt ad missam de feria et decreverunt regulam quam hic ponimus: S. R. C., 22 mart 1912, ad V, *Collat. Brug.*, suprà p. 347 s.

(1) Decr. S. R. C. 19 aprilis 1912, ad VIII et *Collat. Brug.*, suprà p. 348 et 410, nota 2.

(2) De orationum diversis speciebus, numero et ordine cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 254 ss.

functis (tit. X, n. 5) diserte innititur antiquiori Missalis rubricæ. Verba autem illius dispositionis « *prout* PERMITTIT *Rubrica Missalis* », ut patet, non poterant unice referri ad tit. VII, n. 6, ubi edicitur *præscriptum* ponendi hanc orationem « penultimo loco », sed referri debebant etiam ad tit. IX, n. 12, ubi *permittitur* addere orationes non præscriptas. Et ideo concludendum erat missam de feria aut vigilia, de qua in novis rubricis tit. X, n. 2 et 5, tractandam esse ut missam ritus simplicis, in qua deberent dici tres ad minus orationes, aut ad libitum quinque vel septem. Et ita nos interpretati sumus hanc dispositionem (1).

Ex quo autem S. R. C. ad hanc missam extendit influxum duplicis aut semiduplicis commemorati, necessario dubiæ hærebant natura et regulæ orationis pro defunctis de qua in novis rubricis, tit. X, n. 5.

Exspectanda erat, ut monuimus suprà p. 463, nota 2, nova declaratio, quam S. R. C. nunc dedit non responso quodam particulari sed decreto generali, ut decet, ubi agitur de declaratione extensiva. Ex hoc decreto apparet orationem hanc pro defunctis esse orationem quamdam *sui generis* et *extra ordinem* (2).

1/ Hæc oratio omnino dici debet « *pro defunctis in quorum suffragium missa de feria applicatur* » (I, V), ut plenius satisfieri possit intentioni missam petentium. Conceditur enim loco missæ de *Requiem* quæ antea sæpius celebrari poterat, notatim in feriis quadragesimæ.

2/ Non permittitur in missis de festo sed tantum *in missis de feria aut vigilia* (3) quæ ex tit. X, nn. 2 et 5 celebrari possunt in feriis majoribus propriam missam habentibus et vigiliis communibus, etiamsi forte occurrat festum novem lectionum (non tamen I

---

(1) Suprà p. 206.

(2) Vide hujus decreti doctam interpretationem apud *Liturgisch Tijdschrift*, 1912, p. 450-458.

(3) Idem valet de missa Dominicæ anticipatæ.

aut II classis). Sed permittitur in his missis, etiamsi facienda sit commemoratio festi duplicis majoris aut minoris vel, a fortiori, semiduplicis hac die occurrentis (nn. I, II). Imo non obstat quod eadem in missa jam præscripta sit a rubricis oratio communis *Omnipotens* pro vivis et defunctis, aut oratio *Fidelium* pro omnibus defunctis (n. V).

3/ Ratione hujus orationis pro defunctis *nulla omitti potest oratio præscripta*, scilicet commemoratio specialis aut communis aut etiam votiva late dicta : his omnibus est superaddenda. Est nempe alterius ordinis et non est attendendum utrum, hac ipsa additâ, numerus orationum sit dispar necne (nn. II, III) (1). Si tamen sit commemorandum festum duplex, influxus duplicis efficit ut omittenda sit quævis commemoratio communis seu oratio pro tempore assignata (nn. II).

4/ Oratio pro defunctis « semper recitari debet *pœnultimo loco* ». Hæc verba ex Missalis Rubr. Gen. VII, 6, desumpta (2) præsenti decreto generali interpretatione nova explicite determinantur: « *pœnultimo loco inter orationes ea die a rubricis præscriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis* » (n. IV).

Computandæ igitur sunt: a/ orationes *a rubricis præscriptæ*, scilicet oratio propria missæ, commemorationes sive speciales, sive communes seu pro tempore assignatæ, necnon, data occasione, oratio de Venerabili et oratio in anniversario Romani Pontificis vel Episcopi; dein b/ orationes *a rubricis permissæ* h. e. orationes stricte votivæ quas celebrans pro lubitu addere potest in missis ritus simplicis ut sint quinque vel septem orationes (Miss. Rub. Gen. IX, 12). — Inter has omnes orationes, quas Rubricæ Missalis diserte agnoscunt,

(1) Quodsi nullum occurrat festum duplex aut semiduplex et velit celebrans pro sua devotione addere orationes stricte votivas, tunc, ni fallamur, debet servari regula de numero impari orationum.

(2) Historiam diversarum interpretationum hujus rubricæ paucis adumbratam, adjectis decretis, vide suprà p. 464, nota 1.

oratio pro defunctis nunc in casu poni debet « pœnultimo loco ».

Extra computationem vero ponendæ sunt, juxta præsens decretum, *collectæ ab Ordinario imperatæ*. Probabiliter quia Rubricæ Missalis de iis non agit, S. Congregatio eas habet ut speciem distinctam quæ ceteris cedere debet (1), et quæ ultimo loco ponenda est. Et ideo, quoties imponitur ab Ordinario una imperata, oratio pro defunctis erit ante-penultima.

Hæc præsentis decreti dispositio videtur inducere novam quamdam disciplinam quoad ordinem et locum quibus ponenda est **collecta imperata.** Docebant enim auctores in missis ritus simplicis, imperatam ponendam esse post alias orationes late votivas (de Venerabili et de anniversario Papæ aut Episcopi) sed ante omnes orationes stricte votivas a celebrante proprio marte additas (2). Ast, inspecta nova dispositione, hic ordo videtur non posse servari et imperata ponenda post orationes stricte votivas seu a rubricis permissas. Unde, salvo meliori, ita videtur statuendus ordo in missa de feria quadragesimali in qua occurrit festum simplex: 1/ oratio missæ de feria; 2/ commemoratio specialis simplicis occurrentis; 3/ oratio communis pro tempore assignata (v. g. *A cunctis*); 4/ votiva stricte dicta, si velit celebrans, v. g. pro ægrotante; 5/ pro defuncto pro quo sacrificium applicatur; 6/ alia votiva stricte dicta; 7/ collecta imperata ab Ordinario (3).

5/ Ad indulgentiam altaris privilegiati lucrandam ei pro quo sacrificium offerebatur, antea debebant omnino

---

(1) Cf. *Ephemerides liturg.* 1912, p. 484; *Liturgisch Tijdschrift*, 1912, p. 455.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 256; Van der Stappen, *De rubr. Missalis*, q. 105; Pighi-Ferrais, *Liturgia sacerdotalis*, n. 295.

(3) Aliter tamen *Liturgisch Tijdschrift*, p. 456, ponens: 4° imperatam, 5° votivam stricte dictam, 6° pro defunctis, 7° orationem votivam stricte dictam. Verum ita non intelligimus quomodo verificentur verba decreti « *non computatis* collectis ab Ordinario imperatis ».

celebrari, diebus non impeditis, missæ *de Requiem*. Sed juxta novas rubricas, missæ pro defunctis in nigris rarius permittuntur v. g. in Quadragesima. Quare conceditur nunc ut interdum acquiri valeat eadem indulgentia altaris privilegiati, quin dicatur missa *de Requiem*, modo celebretur missa de feria aut vigilia (non de festo) et addatur oratio pro defunctis pro quibus sacrificium offertur. Et hoc valet non tantum pro feriis in quibus, occurrente festo simplici aut semiduplici, olim permittebatur missa de *Requiem*, sed etiam pro iis feriis in quibus, ob occurrens festum duplex majus aut minus, neque olim missa de *Requiem* celebrari poterat. Ita dum missæ feriarum propriæ in honorem pristinum restituuntur, prospicitur simul solatio animarum purgantium.

C. Callewaert.

MISCELLANEA

Circulaire du Gouverneur de la Flandre Occidentale, du 11 avril 1827, interprétative de l'arrêté royal du 16 août 1824.

Nous croyons opportun de publier ce document qui semble bien établir que, deux ans après la publication de l'arrêté du Roi Guillaume, on ne songeait nullement à faire l'application de cette mesure aux travaux d'ameublement et de décoration des églises. Cette circulaire a d'autant plus de poids, qu'elle fut envoyée par ordre du Gouvernement (1).

A. De Meester.

BESLUIT houdende maatregelen tegen het veranderen van de inrigting der Kerkgebouwen zonder autorisatie (2).

EERE-DIENST. — KERKGEBOUWEN.

De Gouverneur der Provincie West-Vlaanderen,

Gezien het Koninklijk besluit van den 16 Augustus 1824 (staatsblad, nº 45), houdende, dat de Kerk Besturen en Kerkelijke Administratien geene beschikking kunnen nemen omtrent onderwerpen, waarvan de bezorging hun niet uitdrukkelijk bij de bestaande wetten, reglementen of verordeningen is opgedragen;

Bijzonderlijk gelet op art. 2 van gemeld besluit, luidende als volgt: « zonder daartoe alvorens onze toestemming te » hebben verkregen, zal het niet geoorloofd zijn, om nieuwe » kerken of gebouwen, tot de beoefening van de openbare

(1) Une circulaire conçue à peu près dans les mêmes termes fut envoyée par le Gouverneur de la province d'Anvers le 30 décembre 1826. V. Jacobs. *De Bewaring van de Kunstgebouwen*, bl. 74 ss. Antwerpen, 1905.

(2) Verzameling der acten van algemeen bestuur der provincie West-Vlaanderen. 18de deel, 1827, bl. 209-212.

» Eeredienst bestemd, te stichten of op te bouwen; noch
» om de reeds bestaande te herbouwen of aan dezelve eene
» veranderde inrigting te geven; maar zullen de Kerk
» Besturen zich enkel moeten bepalen tot de werken van
» noodzakelijk onderhoud, die de instandhouding der ge-
» bouwen mogt vorderen. »

In aanmerking nemende, dat ontwijfelbaar de bedoeling dier bevordering is, dat de Kerk Besturen, zonder speciale autorisatie, geene hoegenaamde veranderingen mogen maken aan de kerken of aan eenig gedeelte derzelve, welke niet uitsluitend strekken tot eenvoudig onderhoud van het geen bestaat, zonder dat daardoor de gedaante der kerk of dat gedeelte, waaraan men werkt, eenige verandering onderga; terwijl voor alle werken zonder uitzondering, waardoor de gebouwen of eenig gedeelte derzelve van gedaante in minderen of meerderen graad zoude veranderen, vooraf de autorisatie des Konings moet zijn verkregen;

Overwegende dat sommige Kerk Besturen, zonder autorisatie, werken aan kerken zouden kunnen doen verrigten, waardoor de gedaante der kerken of eenige gedeelten derzelve zouden worden veranderd, zoo als *het toemetselen van vensters; het afkappen van Gothische cieraden der muren; het verlagen of verhoogen van de koren, of dergelijke,* door welke veranderingen aan eenige gedeelten der kerken, het zamenstel of de bouworde van het geheel zou verbroken en alzoo wezenlijke schade aan dat geheel toegebragt worden;

Overwegende dat er bij sommige Plaatselijke Besturen schijnt twijfel te zijn onstaan, op welke wijze dergelijke overtredingen zijner Majesteits bevelen, behooren te worden geconstateerd en gestraft; en dat het dus, ter meer volledigere uitvoering van het in den hoofde dezes vermelde Koninklijk besluit, noodig is, die Besturen omtrent hunne verpligtingen te dezer zake in te lichten;

Gezien de wet van den 6 Maart 1818 (staatsblad, n° 12), omtrent de straffen tegen de overtreders van algemeene verordeningen uit te spreken, of bij Provinciale of Plaatselijke Reglementen vast te stellen,

Heeft goegevonden en verstaan:

De Stedelijke en Gemeente Besturen in de Provincie West-Vlaanderen bij dezen aan te schrijven, om als nog,

door mededeeling van het tegenwoordig besluit, de Kerk Besturen bekend te maken met de ware bedoeling van het boven aangehaald Koninklijk besluit, onder aanmaning van zich, dien ten gevolge, zorgvuldig te onthouden, zonder voorafgaande autorisatie, eenige werken aan de kerken of aan eenig gedeelte derzelve te doen verrigten, welke niet uitsluitend strekken tot onderhoud van het bestaande, zonder dat daardoor de gedaante van dat bestaande eenige hoegenaamde verandering onderga. Wordende de Plaatselijke Besturen bij dezen verder uitgenoodigd, op de stipte nakoming der Koninklijke verordening, een gestadig en nauwkeurig toezigt te houden, en alle overtredingen, die daar tegen mogten worden begaan, door processen-verbaal te constateren, welke processen-verbaal aan den Procureur des Konings zullen moeten worden toegezonden, ten einde tegen de overtreders zou kunnen worden geprocedeerd tot toepassing der penaliteiten, bij art. 1 der aangehaalde wet van den 6 Maart 1818, bedreigd tegen de overtreders der bepalingen, vastgesteld bij de algemeene maatregelen of reglementen van inwendig Bestuur van den Staat, vermeld bij art. 73 der grondwet, en waarvan het Koninglijk besluit van den 16 Augustus 1824 (staatsblad, nº 45), ontwijfelbaar deel maakt; zulks onverminderd de bevelen die het Gouvernement zal vermeenen, tot de herstelling der veranderde gebouwen in hunnen vorigen staat, te moeten geven: ten welken einde de Plaatselijke Besturen afschriften der door hun opgemaakte processen-verbaal aan het Provinciaal Bestuur zullen behooren in te zenden, vergezeld van alle zoodanige toelichtende aanmerkingen, als ter beoordeeling der meerdere of mindere schadelijkheid der gemaakte veranderingen noodig zijn.

Het tegenwoordig besluit, zal, bij middel van de verzameling der Acten, ter kennis der Stedelijke en Gemeente Besturen in de Provincie worden gebragt, zulks, voor zoo veel de laatste betreft, door tusschenkomst van de Heeren Districts Commissarissen, die mede met de uitvoering dezes ten platten lande worden belast.

Brugge, den 11 April 1827, nº 23c.

De Gouverneur der Provincie,
Graaf F. DE BAILLET.

PII PP. X

MOTU PROPRIO

De catholicorum in exteras regiones emigratione (1).

Cum omnes catholicos Ecclesia materno studio complectatur, tum peculiari quadam sollicitudine caritatis eos prosequitur, qui, ut victum labore quærant, aut meliorem sibi fortunam comparent, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi sæpius eis timendum est, ne, dum mortalis vitæ rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternæ jacturam faciant. Plura enim et illustris Nostri Decessoris et Nostra testantur acta, quanto opere Apostolica Sedes bonorum societates foveat in salutem emigrantium institutas, quantamque præsertim adhibeat curam, ne Antistites sacrorum patiantur in re tam gravi pastoralem industriam suam desiderari. Jam vero, cum ob aucta populorum commercia et expeditiores commeatus aliasque causas plurimas, quotidie in immensum crescat emigrantium numerus, intelligimus Nostri muneris esse idoneum aliquod reperire providentiæ genus, quo quidem horum omnium filiorum temporibus succurramus. Equidem valde commovemur maximis periculis, in quibus religio moresque versantur tot hominum, qui, ut plurimum, ignari regionis et linguæ, atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitæ adjumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec, quantum satis est, exspectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis, quæ in id sunt institutæ. Quæ vero ad medendum his tantis incommodis excogitata sunt, optatum non solent habere exitum, propterea quod eorum, qui in hac gravissima causa elaborant, laudabiles conatus aut operis magnitudine superantur aut consensum et unitatem sæpe non assequuntur. — Nos igitur, tempus esse judicantes necessitatibus tam magnæ multitudinis stabili quadam ratione in perpetuum subveniendi, cum S. R. E. Cardinales e Sacra Congregatione Consistoriali in con-

---

(1) *Act. Ap. Sedis*, 1912, t. IV, p. 526 s.

silium adhibuerimus, Motu Proprio ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, apud eam ipsam Congregationem novum Officium, seu *Sectionem* ut aiunt, *de spirituali emigrantium cura* constituimus. Hujus Officii partes erunt, quærere et parare omnia, quæcumque opus sint, ut in iis quæ ad salutem animarum pertinent, emigrantium latini ritus melior conditio fiat, salvo tamen jure Sacræ Congregationis Fidei Propagandæ in emigrantes ritus orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus hoc idem unice cavebit Officium; ad quod propterea præscriptiones ea de re, decretis Sacræ Congregationis Concilii datas, avocamus. — Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adjutandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quæ sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere, et quæ peropportuna visa fuerint malorum remedia decernere. Confidimus autem fore, ut quicumque catholicam rite colunt fidem, opus tam sanctum in salutem fratrum institutum precibus atque etiam opibus, pro sua quisque facultate, promovere velint, præsertim cum pro certo habere debeant summum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum sua ipsorum caritatis officia amplissimo in cælis præmio remuneraturum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum die XV mensis augusti MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

LITTERÆ APOSTOLICÆ.

Societas sacratissimi Cordis Jesu in templo nationali Bruxellis instituta erigitur in archisodalitatem et pro universa belgica ditione primaria declaratur.

Brevis hujus incipientis « *Piæ fidelium Sodalitates* » dati 22 martii 1912 (1) hic est tenor essentialis. Prælaudata societas auctoritate archiepiscopi Mechliniensis constituta, 11 junii 1905 archisodalitati romanæ aggregata, 7 octobris 1906 et 14 martii 1909 plenaria indulgentia pro hora adorationis coram SS. Sacramento ditata novam recenter constitutionem suscepit. Retulit Cardinalis antistes ad SS. Patrem vi hujus constitutionis sodales « juxta ætatem formamque devotionis uniuscujusque ingenio accommodatam, quatuor in classes sive gradus dispertiri, et sodales primæ classis appellari vulgo « Les simples Associés », hosque teneri quotidianæ recitationi Orationis Dominicæ et Salutationis Angelicæ, addita invocatione, ter repetenda, « Cœur Sacré de Jésus, protégez la Belgique ». Sodales secundi gradus nomine « les adorateurs et adoratrices du Sacré-Cœur » nuncupari, eosque præter quotidianas, uti superius diximus, preces, se sanctissimi Sacramenti adorationi semel in die vel hebdomada, vel saltem in mense, prout unicuique fas sit, fideliter vacaturos spondere. Sodales tertii gradus titulo ornari « La sainte Ligue du Sacré-Cœur pour la Communion fréquente et quotidienne », et ipsos, præter memoratas preces quotidie recitandas, ad sacram Synaxim, nisi quotidie, semel saltem quavis hebdomada pie excipiendam se obligare. Quartum denique gradum, cui nomen vulgo « La Ligue enfantine du Sacré-Cœur », in id contendere, ut pueri ad Illum adducantur, qui dixit « sinite parvulos venire ad me », omnique diligentia alliciantur ut quotidie sacrosancto Missæ Sacrificio intersint, ac frequentius de die in diem ad Eucharisticas dapes puro corde accedant. »

Enixis precibus Ill^mi^ oratoris libentissime annuens ita decrevit SS. Pater: « Apostolica auctoritate, præsentium vi, confraternitatem in honorem sacratissimi Cordis Jesu, Bruxellis in Ecclesia Nationali ejusdem tituli institutam, perpe-

(1) Cfr. *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 265-268.

tuum in modum in Archiconfraternitatem erigimus, omnibus et singulis juribus privilegiisque eidem tributis, quæ Archiconfraternitatibus competunt. Præterea ut erga societatem ipsam tum frequenti sodalium numero uti superius diximus, tum susceptorum operum egregia laude florentem, benevolentes Nos maxime exhibeamus ac munificos, eamque singularibus Pontificiæ voluntatis significationibus cohonestemus, Moderatori et Confratribus ejusdem sodalitatis, sic in Archiconfraternitatem per Nos erectæ, nunc et in posterum pro tempore existentibus, hæc quæ sequuntur Apostolicæ potestatis plenitudine largimur: I. Ut ipsi Moderator et confratres præsentes ac futuri, confraternitates ejusdem instituti ac nominis, canonice erectas sive erigendas, intra fines Belgarum Regni, quamvis non omnes gradus super enunciatos complectantur, vel alia confraternitas ejusdem nominis et naturæ eodem in loco existat, licite ac valide sibi aggregare possint. In hac autem impertienda facultate, Constitutioni Clementis PP. VIII rec. mem. Nostri Decessoris, aliisque legibus quod ad distantiam expresse derogamus. II. Ut iidem, cum Confraternitatibus sic aggregatis licite ac valide communicare possint, non solum indulgentias proprias quæ sint cum aliis communicabiles, sed etiam omnes et singulas indulgentias pariter communicabiles quibus pollet Archisodalitas Almæ hujus Urbis, idque non obstante mutatione, ut supra dictum est, precum quotidie ad illas lucrandas recitandarum. III. Ut sodalitates canonice erectas, aut erigendas, non solum in ecclesiis vel oratoriis publicis, sed etiam in sacellis Monialium licite ac valide sibi aggregare possint. IV. Denique fas sit iisdem Moderatori et Confratribus Zelatores et Zelatrices nominare, facultate gaudentes legitime et valide inscribendi et recipiendi sodales, dummodo bis saltem in anno inscriptorum nomina ad Archiconfraternitatis Sedem transmittant. Tandem ut omnis ambigendi causa funditus tollatur, defectus omnes, si qui forte irrepserint in inscriptionem fidelium, Apostolica Nostra Auctoritate, per præsentes sanamus; atque ita præcipimus, ut confratres omnes ab initio in sodalitatem sacratissimi Cordis adlecti, tamquam vere ac legitime eidem Archisodalitati adscripti habeantur et indulgentiis omnibus ejusdem Archisodalitii propriis, licite potiri possint ac frui..... ».

S. Congregatio de Religiosis

DECRETUM

De methodo servanda in ferenda sententia expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis religiosis (1).

Quum singulæ præscriptiones ac solemnitates a jure statutæ, præsertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis Religiosis, commode servari nequeant, huic Sacræ Congregationi opportunum visum est alias statuere præscriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Quare Emi Patres Cardinales ejusdem Sacræ Congregationis, in Plenario Cœtu die 3 Martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe:

1. Curiam competentem vel Tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definitores vel Consiliarii seu Adsistentes, non minus quatuor; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat Præses Curiæ vel Tribunalis, de consensu aliorum Consiliariorum.

In Congregationibus Monachorum Tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua Abbatia nulli adnexa sit Congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

2. In qualibet Curia seu Tribunali constituatur a Consilio Generali Promotor Justitiæ pro juris et legis tutela, qui sit Religiosus ejusdem Ordinis vel Congregationis.

3. Processus dumtaxat Summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis Religiosis, qui vel vota solemnia in Ordinibus, vel vota perpetua in Congregationibus vel Institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in Sacris sunt constituti; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis Ordo vel Institutum gaudeat.

---

(1) *Act. Apost. Sedis.*, 1911, t. III, p. 235-238.

4. Ad processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub *num. 17 et 18*.

5. Monitio facienda est a legitimo Superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia Superioris Provincialis seu quasi-Provincialis; qui postremæ monitioni opportune adjunget expulsioni vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

7. Ex Processu constare debet de Conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis et de defectu resipiscentiæ post trinam monitionem.

8. Ut de Conventi reitate constet, tales probationes afferendæ sunt, quæ animum viri prudentis moveant. Hæ probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, juramento firmata, atque aliis adminiculis roborata et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatæ, sed etiam a gravitate pœnæ a lege sancitæ, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis Communitati illati.

10. Ad effectum, de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia ejusdem speciei, vel, si diversæ, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet athenticum documentum. Proinde oportet:

a/ ut hæc fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii;

b/ ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis, vel Tabulario, servan-

dum: vel ut exemplar conficiatur supradictæ epistolæ, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiæ probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

13. Superior Provincialis vel quasi-Provincialis Religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta, quæ de hujus Religiosi reitate exstant diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea tradere debet procuratori Justitiæ, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

14. Accusationes a Procuratore Justitiæ propositæ et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio Judicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium ejusdem Ordinis vel Instituti Religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non præsentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet.

15. Curia seu Tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive Promotoris sive Rei, si quidem eas adversari judicaverit Convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit; quæ tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiæ notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, executioni demandari nequit, donec per eamdem Sacram Congregationem judicium latum fuerit.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad sæculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui Capituli vel Consilii, si ex ejus præsentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore Provinciali vel Abbate, ad sæculum item remitti, habitu

religioso illico deposito; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

18. Item contra quædam delicta censetur veluti lata a jure pœna expulsionis vel dimissionis. Quæ delicta sunt:

a/ publica apostasia a Fide Catholica;

b/ apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi intra tres menses Religiosus redierit;

c/ fuga a Monasterio, suscepta secum muliere;

d/ et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint solemnia vel non habeant solemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel Provincialis cum suo respectivo Consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de Religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci, ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

20. Omnes Religiosi, de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente Auctoritate, post emendationem vitæ, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel Clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur, quominus ad superiores Ordines adscendant sine venia Sanctæ Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium Ordinem vel Congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicæ.

21. Ad expellendas Moniales, vota sive solemnia sive simplicia in Ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas Sorores, quæ vota perpetua emiserunt in Institutis Religiosis, exiguntur graves causæ exteriores, una cum incorrigibilitate, judicio Abbatissæ vel Superiorissæ cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiæ evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damma immineant Monasterio vel Instituto. Causæ minus graves requiruntur ad dimittendas Sorores votorum simpli-

cium in Ordinibus Religiosis. Justæ et graves causæ probari debent ab Ordinario loci et, si Monasterium Regularibus subjectum sit, etiam a Superiore Regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacræ Congregationis, ita ut expulso vel dimissio ex parte Ordinis vel Instituti, juridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo loci approbante, Monialis vel Soror statim ad sæculum remitti possit, ita tamen ut Sanctæ Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ Decimo relatis ab infrascripto Sacræ Congregationis Secretario die octava Martii 1911, Sanctitas Sua Decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 16 Maii 1911.

L. ✠ S. Fr. I. Card. Vives, *Præfectus*.
Donatus Archiep. Ephesinus, *Secretarius*.

S. Congregatio Indicis

I

Decretum quo quidam prohibentur opera (1).

Decreto 9 maii 1912 in Indicem relati sunt qui sequuntur libri:

Abbé Jules Claraz, *Le mariage des prêtres*. Paris, 1911.

Izsof Alojos (2), *A gyakori szent aldozás és az életpszichologia;* Budapest, 1910.

Th. De Cauzons (3), *Histoire de l'inquisition en France*, Paris, 1909.

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, t. IV, p. 369.
(2) Laudabiliter sese subjecit, 8 julii 1912, *ibid.* p. 474.
(3) Laudabiliter sese subjecit, 15 junii 1912, *ibid.* p. 445.

II

Dubium (1).

Sacra congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravæ doctrinæ eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica præpositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 Maii 1912, ad dubium:

Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditus librum, a proprio Ordinario jam examinatum et prælo dignum judicatum, publici juris facere desiderat, istius libri impressionem permittere possit, quin eum novæ censuræ subjicere debeat,

respondendum censuit:

Affirmative, apponendo judicium « nihil obstare » censoris alterius diœcesis, ab istius Ordinario sibi transmissum.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPÆ X per me infrascriptum Secretarium relatis, SANCTITAS SUA responsionem Eminentissimorum Patrum confirmavit et promulgari præcepit.

Datum Romæ die 9 Maii 1912.

L. ✠ S. FRANCISCUS Card. DELLA VOLPE, *Præfectus.*
THOMAS ESSER, O. P., *Secretarius.*

S. Congregatio Consistorialis

DECRETUM

de quibusdam rei Biblicæ commentariis in sacra Seminaria non admittendis.

Cum semper et ubique cavendum sit ne quis Scripturas Sanctas contra eum sensum interpretetur, quem tenuit ac

(1) *Acta Apost. Sedis, ibid.*, p. 370.

tenet sancta Mater Ecclesia (S. Trid. Syn., Sessio IV^{a}); id maxime necessarium est in Seminariis inter alumnos qui in spem Ecclesiæ adolescunt. Hos enim præ ceteris oportet sanis doctrinis imbui, quæ venerandæ Patrum traditioni sint conformes et a legitima Ecclesiæ auctoritate probatæ; arceri autem a novitatibus, quas in dies audax quisque molitur, quæque quæstiones præstant magis quam edificationem Dei, quæ est in fide (1^{a} ad Tim., cap. IV); si vero insolitæ legitimeque damnatæ, in destructionem sunt et non in edificationem.

Jam vero evulgatum nuper est Paderbornæ opus quod inscribitur « *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament* » auctore *D. Carolo doct. Holzhey*, in quo juxta neotericas rationalismi et hypercriticæ theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiæ, Judith, Esther, Jonæ, Isaiæ et Danielis, sententiæ audacissimæ propugnantur, quæ antiquissimæ traditioni Ecclesiæ, venerabili Ss. Patrum doctrinæ et recentibus pontificiæ Commissionis Biblicæ responsis adversantur, et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed pene subvertunt.

Hunc itaque librum S. hæc C. de mandato Ss^{mi} D. N. Papæ prohibet omnino, quominus in Seminaria introducatur, ne ad consultationem quidem.

Cum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura *P. Lagrange* et recentissimum opus, cui titulus : *Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*, editum Berolini an. 1912, auctore *Dr. Fritz Tillmann*, hæc quoque expungenda omnino esse ab institutione clericorum Ss^{mus} D. mandat et præscribit, salvo ampliore de iis judicio ab illa auctoritate ferendo ad quam de jure pertinet.

Datum Romæ, ex ædibus sacræ Congregationis Consistorialis, die 29 junii 1912.

C. Card. De Lai, Episcopus Sabinen., *Secretarius*.

S. Congregatio Rituum

I

INSTRUCTIO

seu responsum sacræ Rituum Congregationis R^mis locorum Ordinariis vel Superioribus Ordinum seu Sodalitatum postulantibus kalendarii proprii reformationem, vel expunctionem festorum aut reductionem ritus.

Mens sacræ Rituum Congregationis est, ut, rite postulante R^mo Ordinario loci, seu Superiore Ordinis vel Sodalitatis, in posterum, de apostolica venia, relicto proprio kalendario, adhiberi valeat kalendarium Ecclesiæ universalis, additis tantummodo Festis quæ stricto sensu propria dici possunt, ad normam Constitutionis apostolicæ *Divino afflatu* et recentium rubricarum, *tit. II, num. 2, litt. e.* Quo in casu elenchus Festorum, adductis rationibus de eorum proprietate, ad sacram Rituum Congregationem cum supplici libello transmittatur.

Ex Secretaria S. R. C. die 25 julii 1912.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

II

DECRETUM

circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in Lectionibus, versiculis et psalmis.

A quibusdam cantus gregoriani magistris sacræ Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione expositum fuit; nimirum:

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, præsertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta?

Et sacra eadem Congregatio, approbante sanctissimo Do-

mino nostro Pio Papa X, rescribere statuit: *Affirmative ad utrumque.*

Die 8 julii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien:, *Secret.*

III

PLURIUM DIŒCESIUM.

De conclusione Matutini et inchoatione Laudum pro recitatione privata in triduo Mortis Christi en in Officiis defunctorum.

Novo edito Psalterio cum Ordinario divini Officii per apostolicam Constitutionem *Divino afflatu*, pluribus e diœcesibus sacræ Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit, nimirum:

Quum in Ordinario divini Officii præscribatur modus Matutinum concludendi et Laudes incipiendi quoties in privata recitatione istæ ab illo separantur; quæritur: Quid in casu agendum est, sive in triduo Mortis Christi, sive in Officiis defunctorum?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re accurato examine perpensa, respondendum censuit:

Ad omnem dubitationem tollendam, in futuris editionibus Breviarii Romani, singulis diebus tridui Mortis Christi, post IX responsorium, sequens rubrica inseratur:

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subjungitur oratio Respice, quæsumus, Domine, *etc.; Laudes vero, dictis secreto* Pater noster *et* Ave Maria, *absolute a prima antiphona incipiuntur.*

Item in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, post IX responsorium, sequens addatur rubrica:

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subjungitur:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Fidelium, Deus, *etc.*

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Tandem in Officio defunctorum, tam in Breviario quam in Rituali Romano, ante Laudes sequens rubrica inseratur:

Si Matutinum, cum unico vel cum tribus Nocturnis, in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum responsorium subjungitur:

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicitur oratio (seu orationes) ut ad Laudes, additis sequentibus:

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Laudes vero, dictis secreto Pater noster *et* Ave Maria, *absolute inchoantur ab antiphona* Exsultabunt Domino.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 24 julii 1912.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charystien., *Secr.*

E Secretaria Status

Ad R. P. D. Carolum M. A. de Cormont, Episcopum Aturensem, de libro qui inscribitur « La vocation sacerdotale » edito a R^mo canonico Josepho Lahitton, ejusdem diœceseos.

Monseigneur,

En raison des dissensions qui se sont produites à l'occasion du double ouvrage du chanoine Joseph Lahitton sur *La vocation sacerdotale*, et de l'importance de la question doctrinale y soulevée, Notre Très Saint-Père le Pape Pie X a daigné nommer une Commission spéciale d'E^mes Cardinaux.

Cette Commission, après avoir mûrement examiné les arguments en faveur de l'une et de l'autre thèse, a prononcé, dans sa réunion plénière du 20 juin dernieur, le jugement suivant:

« Opus præstantis viri Josephi canonici Lahitton, cui » titulus *La vocation sacerdotale*, nullo modo reprobandum » esse; imo, qua parte adstruit: 1° Neminem habere un- » quam jus ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam » electionem episcopi. — 2° Conditionem, quæ ex parte » ordinandi debet attendi, quæque *vocatio sacerdotalis* appel- » latur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege » ordinaria, in interna quadam adspiratione subjecti, seu » invitamentis Spiritus Sancti, ad sacerdotium ineundum. — » 3° Sed e contra, nihil plus in ordinando, ut rite vocetur » ab episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum » idoneitate in iis gratiæ et naturæ dotibus reposita, et per » eam vitæ probitatem ac doctrinæ sufficientiam compro- » bata, quæ spem fundatam faciant fore ut sacerdoti munera » recte obire ejusdemque obligationes sancte servare queat: » esse egregie laudandum ».

Sa Sainteté Pie X a pleinement approuvé, dans l'audience du 26 juin, la décision des Éminentissimes Pères, et Elle me charge d'en donner avis à Votre Grandeur qui voudra bien la communiquer à son sujet M. le chanoine Joseph Lahitton, et la faire insérer ex integro dans la *Semaine Religieuse* du Diocèse.

Je prie Votre Grandeur, Monseigneur, d'agréer l'assurance de mes sentiments très dévoués en Notre-Seigneur.

Rome, 2 juillet 1912.

R. Card. Merry del Val.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Cozzi A. *Disputationes Theologiæ Moralis.* Volumen secundum: *De Decalogi præceptis, de Ecclesiæ Præceptis, de Justitia et Jure, De Restitutione in Genere atque in Specie.* Taurini, Marietti, 1912. In-8, 404 p. Pr. 3 fr. 50.

Quæ notavimus de priori cl. auctoris volumine theologico-morali, ante paucos menses in hoc periodico crisi nostræ subjecto (cf. *Collat. Brug.* t. XVII, p. 415), eadem fere de secundo nunc tomo, nuperrime in lucem edito, iteranda videntur. Pares enim dotes claræ limpidæque expositionis, sed par etiam dictorum nimia brevitas et quandoque deficiens accuratio novum opus partim commendant partimque notant. Quis, exempli gratia, non mirabitur nihil admodum de divino Officio disputari in tractatu de Virtute Religionis, quem auctor tradit sub primo Decalogi præcepto?

Sed et ordo ipse condendæ materiæ, quam infra limites Decalogi et præceptorum Ecclesiæ pro maxima parte contraxit cl. Cozzi, non absque aliquo scientiæ detrimento electus apparet. Longe sane, ut vindicant *Coll. Brug.* t. XIII, p. 376 s. præferenda est distribuendi ratio S. Thomæ, qui sequitur ordinem virtutum, tractans singula vice « de virtute et dono sibi correspondente et vitiis oppositis, et præceptis affirmativis et negativis » (S. Thom. II-II, in prol.). Quæ methodus expositioni favet tum completæ tum scientificæ rerum, dum altera sponte locum præbet tractationi incompletæ, et periculo ne intima ratio unde malitia peccatorum procedit silentio prematur. Accedit quod, cum « non omnia peccata mortalia directe contrariantur præceptis Decalogi » (II-II, q. 148, art. 2, ad 1), varia quæ ab auctore sub variis præceptis necessario collocanda sunt nonnisi arbitrarium præ se ferunt ordinem. Ita sub 4° præcepto agitur non tantum de obligationibus liberorum erga parentes (et de reatibus oppositis), sed et de obligationibus parentum erga filios, de obligationibus insuper patrum spiritualium, principum et subditorum, tutorum et curatorum, dominorum et famulorum, præceptorum et discipulorum, et de obligationibus nonnullis conjugum ad invicem. Jamvero, hæc omnia a 4° præcepto directe sancita esse quis dicere auderet?

Nobis ergo exoptare fas sit ut ad mentem S. Thomæ potius quam S. Alphonsi cl. auctor sui quondam operis denuo ordinatam paret editionem.

Lanzi C. *Promptuarium Theologiæ Moralis Universæ.* Taurini, Marietti, 1912. In-8, 434 p. Pr. 5 fr.

Summarium istud, prout ipse prænotat auctor, aptiori pro posse methodo digestum est in memoriæ auxilium, maxime pro examinandis

vel concursum adeuntibus. Continet autem, circa theologiam moralem universam, scilicet fundamentalem et specialem, illamque tum decalogalem tum sacramentalem, præcipuas definitiones et distinctiones rerum, necnon principia essentialia, applicationesque generales nonnullas; parcit vero argumentis seu probationibus, pro quibus ad theologos remittit. Breviter et bene : sic fuit auctoris vocabulum. Laboriosum sane apparet esse, ut magna sermonis brevitas cum accurata omnino doctrina ubique societur; nec quidem singula vice feliciter successisse rem fatebitur lector: sæpius tamen. Unde suam utilitatem præbet opus, non dico ad veram scientiam theologicam primo comparandam, sed iis præsertim qui, post peracta jam studia, medullam tractatuum et summa rerum capita paucis admodum paginis ordine contracta in laudato volumine invenient.

L. Garriguet. *Régime de la Propriété,* 1 vol. 2me édition; Paris, Bloud, 1907. *Régime du Travail,* 2 vol. Paris, Bloud, 1908 et 1909.

Nous sommes heureux de signaler aux lecteurs des *Coll. Brug.* les trois beaux volumes de sociologie que le savant supérieur du grand Séminaire d'Avignon a publiés naguère sur le régime de la propriété et celui du travail.

Parmi la foule des publications de langue française auxquelles les problèmes sociaux ont donné naissance depuis l'aurore du XXe siècle, les ouvrages de Mr l'abbé Garriguet occupent sans contredit une place fort distinguée. Erudition, clarté, méthode: telles sont les qualités maîtresses qui les caractérisent, et que le lecteur désireux de s'instruire sera heureux de rencontrer; car ce n'est pas un mince avantage, dans le fouillis de ces questions épineuses et brûlantes, que d'avoir à sa disposition un auteur méthodique sans sécheresse, clair sans inélégance, et pour le reste parfaitement au courant des divergences de conceptions qui séparent les écoles économiques catholiques, libérales et socialistes.

C'est assez dire qu'on trouvera tout ensemble agrément et profit à lire les pages judicieuses de l'abbé Garriguet, notamment sur la légitimité de la propriété privée, ses limites et ses devoirs; sur les questions de capital, de travail et de salaires; sur l'intervention légitime de l'État dans le contrat de travail, etc.

Qu'il nous soit permis toutefois d'élever une double critique: la première, touchant l'exposé des principes de justice, d'équité et de charité qui limitent le droit de propriété; la seconde, à propos du juste salaire.

Et d'abord, nous ne pouvons souscrire à l'affirmation de l'auteur, I, p. 274, qui dit: « Lorsqu'un de nos semblables se trouve dans ce que les théologiens appellent un cas d'extrême nécessité, il y a pour nous obligation stricte, rigoureuse et grave *de justice* de lui venir en aide ». Sans doute, comme l'enseigne Saint Thomas, cité par Mr Garriguet, dans ce cas d'extrême nécessité le pauvre, à défaut de secours que *la charité* ordonne de lui départir, a bien le droit de prendre ce qui lui est indispensable. Mais ce qui correspond pour le riche à ce droit du pauvre, ce

n'est pas un devoir positif de justice commandant l'aumône ; ce n'est qu'un devoir de justice négatif, celui de ne pas s'opposer à l'indigent qui s'empare du strict nécessaire.

C'est dans ce sens qu'il faut comprendre le texte de Léon XIII, allégué par l'auteur; c'est aussi pour cette raison, et non pour le motif d'indétermination invoqué par M. Garriguet à la p. 277, que le riche ne doit aucune restitution au pauvre qu'il a refusé de secourir positivement dans un cas d'indigence extrême.

En second lieu, pour ce qui regarde le salaire : l'auteur (Régime du Travail, I, p. 212) donne pleinement raison à ceux qui admettent pour base exclusive du juste salaire l'équivalent du service rendu ; et il rejette le salaire familial. Mais plus loin, à diverses reprises (p. 219, 222, 240, 253 etc.) il insiste sur la nécessité d'avoir égard aussi aux besoins de l'ouvrier, dans la détermination du salaire dû en justice ; et il se prononce finalement — et logiquement — pour un juste salaire proportionné à l'entretien de l'ouvrier, de sa femme et de ses enfants.

Quoi qu'il en soit de ces critiques, le lecteur averti ne pourra manquer de trouver dans le travail de M. Garriguet, en même temps qu'une érudition sans apparat mais du meilleur aloi, un exposé consciencieux et singulièrement instructif du régime à réaliser dans les questions de travail et de propriété.

E. Hosten.

Æm. Berardi. *Theologia pastoralis scilicet de parocho aliisque in variis officiis pro salute animarum laborantibus.* Ed. 4. Faventiæ, Novelli et Castellani, 1911, in-8, 534 p. F. 6.

Opus doctissimi auctoris commendatur doctrina clara, materia copiosa, caractere practico et accommodato exigentiis hodierni temporis. Quarta editio, novis decretis circa matrimonium, catechismum, modernismum, primam puerorum communionem etc. aucta, agit non tantum de juribus et obligationibus parochorum sed etiam de officiis omnium illorum qui aliquam curam animarum exercent ; cujusmodi sunt vicarii parochiales, œconomi parœciæ vacantis, capellani hospitalium et militum, confessarii simplices et confessarii monialium, prædicatores, denique superiores in seminariis et collegiis. Qui omnes exinde egregie addiscent ut cum sanctitate, prudentia et scientia regant animas sibi commissas.

J.-A. Piérard. *Cours pratique de psalmodie vaticane d'après les données du Cantorinus romain. Sémiographie* S 46 * 4 × 2 *complète et unique pour toutes les formules.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1912, in-12, 68 p. F. 1.

Le système sémiographique, dont l'abbé Piérard est l'inventeur, est certes fort ingénieux. Il a déjà été adopté pour la rédaction de divers psautiers. Enseigné conformément aux instructions méthodologiques de l'auteur, il est apte à faire pratiquer par les fidèles la psalmodie vaticane.

Ses inconvénients proviennent de sa complication. La formule rapportée dans le titre n'est pas complète; il s'y ajoute parfois un second S pour le ton solennel des 1er et 6e modes, un P pour le ton pérégrin, un double point souscrit pour les *clivis* cadentielles. Puis pour achever le système, on pourrait y adjoindre quelques doubles points pour les autres groupes de deux notes dans les tons solennels; on pourrait préciser le premier S par l'exposant (1-6), marquer d'un signe quelconque les syllabes d'intonation etc.

N'est-il pas plus simple d'enseigner inductivement les règles générales de la Psalmodie. La pratique aura vite fait de faciliter leur usage. Pour les fidèles, un système de lettres italiques et grasses leur apprendrait sans trop de difficulté l'adaptation aux syllabes des notes préparatoires et d'accent, à moins qu'on ne préconise pour eux la notation entière des psaumes du Dimanche et des grandes fêtes.

Un très interessant aperçu historique de la sémiographie psalmique clôt cet ouvrage.

Chanoine J.-A. Soenens. *Introduction au Cantorinus.* Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1912, 32 p. F. 0,50.

Écrit à l'intention de ses confrères et des chantres d'église, le petit opuscule de feu M. le chanoine Soenens leur sera d'une utilité incontestable pour comprendre et mettre en pratique les règles et les exemples du *Cantorinus*. Il est écrit d'une façon claire et concise, ne donnant que le nécessaire. Les observations qu'il contient portent sur les trois points suivants: 1° les survenantes, 2° les cadences rompues, 3° et principalement les nouvelles formules psalmodiques. Nous le recommandons chaudement à tous nos lecteurs; il leur fera pratiquer avec amour les récitatifs et les formules psalmodiques de l'édition Vaticane.

La brochure contient en appendice l'article nécrologique qu'une plume amie a consacré à sa mémoire.

Graduel des Dimanches et des Fêtes avec traduction des textes. Chant grégorien extrait de l'Édition Vaticane. Rome-Tournai, Desclée et Cie, 1912, in-8, XIV-22-864 p. F. 3,50.

La présente édition a toutes les qualités: une introduction pleine de piété; une notation nette et reproduisant exactement l'édition vaticane; une traduction exacte et élégante, une disposition heureuse des textes. Nous souhaitons qu'elle ait un plein succès.

A. De Meester.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Burger P., S. J. *Onderrichtingen over de christelijke volmaaktheid*. Vert. door M. Schippers, S. J. Ie deel, Gent, A. Huyshauwer, 1912. In-8, 296 bl. Pr. 2,50 fr.

Deux Missionnaires. *Vade Mecum des Prédicateurs,* in-12, x-782 p. Paris, Téqui, 1912. Pr. 5 fr.

Drexelius. *Considérations sur l'Éternité.* Traduction par Mgr Bélet. Paris, Téqui, 1911, in-16, xviii-236 p.

Duplessy E. *Le Pain Évangélique,* explication dialoguée des Évangiles, des dimanches et Fêtes d'obligation. Tome I: De l'Avent au Carême, in-12, ix-240 p. Paris, Téqui, 1912. Pr. 2 fr.

Fontaine J. *La synthèse du Modernisme*, Paris, Lethielleux, 1912. In-16, 132 p. Fr. 1.

Frich, S. J. *Ontologia.* Edit. 4a. Friburgi Br., Herder, 1911. In-8o, ix-236. p. Pr. 3,25 fr.

Gemelli Fr. A. Dr, O. F. M. *Cio che rispondono gli avversari di Lourdes.* La mia risposta alla Associazione Sanitaria Milanese. Documenti, critiche e riflessioni. Firenze, Libreria editrice fiorentina, 1912, in-8, 232 p.

Réponse savante et solide à ses contradicteurs de l'Association médicale de Milan, au sujet des guérisons miraculeuses de Pierre De Rudder de Jeanne Tulasne, de Madame Rouchel.

Girard P., T. O. *Saint Elgéar de Sabran et la bienheureuse Delphine de Signe.* In-12, x-119 p. Paris, Saint-François, 1921. Pr. 1 fr.

Gredt, O. S. B. *Elementa philosophiæ aristotelico-thomisticæ.* Vol. II: metaphysica, ethica. Edit. 2a. Friburgi Br. Herder, 1912. In-8o, xx-447 p. Pr. 17,75 fr.

Janvier E. *Exposition de la Morale Catholique. Le fondement de la morale. La Béatitude.* Conférences et retraite, in-8o carré, 360 p. Paris, Lethielleux, 1903.

---

(1) Quelques-uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

Magnis lineis describe statum controversiæ de authentia Commatis Joannei (I Jo. V, 7).

II

Quid est actio intrinsece supernaturalis? An tenendum est omnes actus, quibus homo positive disponitur ad justificationem, esse intrinsece supernaturales?

III

Explica quanam ratione Sacrificium Missæ fructus suos operetur *ex opere operato.*

IV

Qualis intentio requiritur et sufficit, in sacerdote celebrante, pro applicatione fructus specialis seu ministerialis?

V

Breviter indica præcipuas dispositiones Ecclesiæ circa Missæ ejusque fructus ministerialis applicationem: infidelibus, hæreticis et excommunicatis, sive vivis sive defunctis.

VI

Quels subsides sont accordés aux fabriques pour la construction et l'ameublement des églises?

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de Sanctissima Eucharistia promiscuo ritu sumenda (1).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Tradita ab antiquis, hæc diu in Ecclesia consuetudo tenuit, ut ad varios, pro diversis locis, mores ritusque sacrorum, modo superstitionis et idololatriæ suspicio omnis eis abesset, fideles peregrini nullo negotio sese accommodarent. Quod quidem usu veniebat, pacis et conjunctionis gratia, inter multiplicia unius Ecclesiæ Catholicæ membra, seu particulares ecclesias, confovendæ, secundum illud sancti Leonis IX, « nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco » et tempore consuetudines, quando una fides per dilectio- » nem operans bona quæ potest, uni Deo commendat » omnes » (2).

Tradita ab antiquis promiscua rituum et Eucharistiæ agnitio et communio

ob pacem

Huc accedebat necessitatis causa, cum, qui in exteras regiones advenissent, iis plerumque nec sacræ ibi ædes, nec sacerdotes ritus proprii suppeterent. Id autem cum in ceteris rebus fiebat, quæ ad divinum cultum pertinent, tum in ministrandis suscipiendisque sacramentis maximeque Sanctissima Eucharistia. Itaque clericis et laicis, qui formatas, quæ dicebantur, litteras peregre afferrent, patens erat aditus ad eucharisticum ministerium aut epulum in templis alieni ritus; et Episcopi, presbyteri ac diaconi latini cum græcis

et necessitatem,

(1) *Act. Apost. Sedis*, 1912, p. 609.

(2) Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham.

hic Romæ, græci cum latinis in Oriente divina concelebrabant mysteria: quod usque adeo evasit sollemne, ut si secus factum esset, res posset argumento esse discissæ vel unitatis fidei vel concordiæ animorum.

post schisma evasit impossibilis

At vero, postquam magnam Orientis christiani partem a centro catholicæ unitatis lamentabile schisma divellerat, consuetudinem tam laudabilem retinere jam diutius non licuit. Quum enim Michaël Cærularius non solum mores cærimoniasque latinorum maledico dente carperet, verum etiam ediceret aperte consecrationem panis azymi illicitam irritamque esse, Romani Pontifices, Apostolici officii memores, latinis quidem, ad avertendum ab eis periculum erroris, interdixerunt, ne in pane fermentato sacramentum conficerent neu sumerent; græcis vero, ad catholicam fidem unitatemque redeuntibus, veniam fecerunt communicandi in azymo apud latinos: id quod pro iis temporibus ei locis opportunum sane erat, imo necessarium. Quum enim nec sæpe græci tunc invenirentur episcopi huic beati Petri cathedræ conjuncti, nec ubique adessent catholica orientalium templa, timendum valde erat, ne orientales catholici ad schismaticorum ecclesias ac pastores cum certo fidei periculo accederent, nisi apud latinos communicare ipsis licuisset.

ob erroris periculum: latinis prohibitum est in pane fermentato Eucharistiam conficere vel sumere.

Sed Conc. Florentinum,

Jamvero felix quædam rerum commutatio, quæ postea visa est fieri, cum in Concilio Florentino pax Ecclesiæ græcæ cum latina convenit, veterem disciplinam paulisper revocavit. — Nam statuerunt quidem ejus Concilii Patres: « in » azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi vera- » citer confici, sacerdotesque in alterutro ipsum Domini » Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta » suæ Ecclesiæ sive occidentalis sive orientalis consuetudi- » nem » (1), sed hoc decreto voluerunt sane catholicam veritatem de valida utriusque panis consecratione in tuto collocare, minime vero promiscuam communionem interdicere fidelibus; quibus contra, quin eam confirmandæ pacis causa concesserint, non est dubium. Exstat Isidori, metropolitæ Kioviensis et totius Russiæ, luculentissima epistola, quam, absoluta Florentina Synodo, cujus pars magna fuerat et in qua Dorothei patriarchæ Antiocheni personam gesserat,

stabiliens validam utriusque panis consecrationem.

concessit promiscuæ communionis facultatem.

(1) Ex Bulla Eugenii IV « *Lætentur Cœli* ».

Legatus a Latere in Lithuania, Livonia et universa Russia dedit anno MCCCCXL Budæ ad omnes qui sub ditione essent Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quæ in epistola, de reconciliata feliciter græcorum cum latinis concordia præfatus, hæc habet: « Adjuro vos in D. N. J. C. ne qua divisio » vos inter et latinos amplius subsistat, cum omnes sitis » D. N. J. C. servi, in nomine ejus baptizati... Itaque græci » qui in latinorum regione degant aut in sua regione habeant » latinam ecclesiam, omnes divinam liturgiam adeant et cor- » pus D. N. J. C. adorent, ac corde contrito venerentur, » non secus ac id in propria ecclesia quisque faceret, nec » non et confitendi gratia latinos sacerdotes adeant, et corpus » Domini Nostri ab eisdem accipiant. Similiter et latini de- » bent ecclesias græcorum adire et divinam liturgiam aus- » cultare, fide firma corpus Jesu Christi ibidem adorare. » Utpote quod sit verum J. C. corpus, sive illud a græco » sacerdote in fermentato, sive a latino sacerdote in azymo » consecratum fuerit; utcumque enim æqua veneratione » dignum est, sive azymum, sive fermentatum. Latini » quoque confiteantur apud sacerdotes græcos et divinam » communionem ab eisdem accipiant, cum idem sit utrum- » que. Ita nempe statuit Conc. Florentinum in publica » Sessione die VI Junii a. MCCCCXXXIX ».

Licet non invaluerit usu ubique

Etsi autem Isidori testimonio evincitur factam esse a Florentina Synodo facultatem fidelibus promiscuo ritu communicandi, tamen facultas hujusmodi subsecutis temporibus nec ubique nec semper fuit in usu; ideo præsertim quia, cum male sartam unitatem mature Græci rescidissent, jam non erat, cur Pontifices Romani quod Isidorus a Florentina Synodo indultum refert, curarent observandum. Pluribus nihilominus in locis promiscuæ Communionis consuetudo mansit usque ad Benedicti XIV Decessoris ætatem, qui primus Constitutione *Etsi pastoralis* pro Italo-Græcis die XXVI maii anni MDCCXLII graves ob causas vetuit, ne laici latini Communionem a græcis presbyteris sub fermentati specie acciperent, græcis autem propria parœcia destitutis facultatem reliquit, ut in azymo apud latinos communicarent. Ubi vero, græcis et latinis una simul commorantibus suasque habentibus ecclesias, usus invaluisset Communionis promiscuæ, commisit Ordinariis, ut, si hujusmodi consuetudo

mansit tamen in aliquibus locis, usque ad Benedicti XIV prohibitionem.

removeri sine populi offensione animorumve commotione non posset, omni cum lenitate curam operamque in id impenderent, ut semper latini in azymo communicarent, græci in fermentato. Quæ autem pro Italo-Græcis Decessor Noster statuit, eadem ipse postea ad Melchitas quoque et ad Coptos pertinere jussit: eaque paullatim ad omnes transierunt Orientales, consuetudine potius quam legis alicujus præscripto; non ita tamen, ut quandoque Apostolica Sedes idem non indulserit latinis, quæ etiam orientales non destituti ecclesia propria, neque ulla urgente necessitate, ut communicarent in azymo, pluries passa est, immo permisit.

Tamen S. Sedes libertatem aliquam indulsit

Quod præcipue factum est, posteaquam, animarum studio flagrantes, nonnullæ religiosæ Familiæ tum virorum tum mulierum ex variis Europæ regionibus ad Orientis oras advectæ, auxilium catholicis diversorum rituum, multiplicatis apud ipsos christianæ caritatis operibus collegiisque ad institutionem juventutis ubique apertis, præbuerunt. Cum autem hæ Familiæ ob frequentem Eucharistiæ usum quietam et tranquillam inter difficultates et ærumnas vitam agerent, ex orientalibus, quod genus valde ad pietatem proclive est, facile ad imitationem sui multos excitarunt: qui cum ægre apud suos vel ob distantiam locorum vel ob penuriam sacerdotum et templorum, vel etiam ob diversas rituum rationes huic desiderio possent satisfacere, ab Apostolica Sede instanter gratiam postularunt accipiendæ Eucharistiæ, more latinorum. Hisce postulationibus Apostolica Sedes aliquando concessit: atque ephebis, qui in latinorum collegiis educarentur, item ceteris fidelibus, qui eorum templa celebrarent ac piis consociationibus essent adscripti, permisit, salvis quidem juribus parochorum, potissime quoad paschalem Communionem et Viaticum, ut pietatis causa intra annum in templis latinorum eucharistico pane a latinis presbyteris consecrato reficerentur. Quin etiam in ipso Concilio Vaticano *Commissio* peculiaris negotiis Rituum Orientalium præposita hoc inter alia sibi proposuit dubium, an expediret relaxare aliquantulum legum ecclesiasticarum severitatem de non permiscendis ritibus maxime in Communione Eucharistica, veniamque tribuere fidelibus communicandi utrovis ritu: cumque ejus Commissionis Patres adnuendum censuissent, decretum confecerunt in eam sen-

maxime ex quo multi religiosi scholas rexerint in Oriente;

imo Commissio in Conc. Vaticano proposuit concedere communionis promiscuæ veniam

tentiam; quod tamen, abrupto temporum iniquitate Concilio, Patribus universis probandum subjicere non licuit. — Post id temporis S. Congregatio Fidei Propagandæ pro negotiis Rituum Orientalium, ut solatio consuleret eorum, qui ob inopiam ecclesiarum vel sacerdotum proprii ritus a Communione sæpius abstinere cogebantur, decretum die XVIII augusti anni MDCCCXCIII edidit, quo, ad promovendam Sacramentorum frequentiam, omnibus fidelibus ritus sive latini sive orientalis, habitantibus ubi ecclesia aut sacerdos proprii ritus non adsit, facultas in posterum tribuitur communicandi, non modo in articulo mortis et in Paschate ad observandum præceptum, sed quovis tempore, suadente pietate, juxta ritum ecclesiæ loci, dummodo sit catholica.

quam partim indulserunt S. C. de Prop. Fide

Decessor autem Noster, Leo XIII fel. rec. in Constitutione *Orientalium dignitas Ecclesiarum,* ejusdem gratiæ participes fecit, quicumque propter longinquitatem ecclesiæ suæ, nisi gravi cum incommodo, eam adire non possent. Simul vero prohibuit, ne in collegiis latinis, in quibus plures alumni orientales numerarentur, latino more hi communicarent; præcepitque ut accirentur ejusdem ritus sacerdotes qui sacrum facerent et sacratissimam Eucharistiam illis distribuerent, saltem diebus dominicis ceterisque de præcepto occurrentibus festis, quovis sublato privilegio. Sed tamen experiendo est cognitum, non ubique facile inveniri sacerdotes orientales, qui, cum alibi occupati sint in ministerio animarum, diebus dominicis et festis, atque adeo ipsis profestis diebus queant collegia adire latinorum, ut pueris puellisque esurientibus panem angelicum ministrent.

et Leo XIII,

cujus gratiæ restrictiones ægre servari possunt.

Quamobrem non raro supplicatum est huic Apostolicæ Sedi, ut disciplinam Ecclesiæ tanta in re indulgentius temperaret. Quæ preces supplices, post editum die XX Decembris MCMV per S. Congregationem Concilii decretum Nostrum *Sacra Tridentina Synodus* de quotidiana Communione Eucharistica, multo frequentiores fuerunt ab orientalibus, qui veniam petebant transeundi ad ritum latinum, quo facilius possent cælesti dape recreari; in eisque non pauci numerabantur pueri ac puellæ, qui hoc ipsum beneficium participare percuperent.

Petitum ut rigor temperetur

maxime post decret. de quotid. communione.

Itaque, considerantibus Nobis fidem catholicam de valida consecratione utriusque panis, azymi et fermentati, tutam

Nunc conceditur plena

facultas recipiendi S. Communionem sive in azymo, sive in fermentato.

esse apud omnes; insuper compertum habentibus complures esse, tum latinos tum orientales, quibus illa promiscui ritus interdictio et fastidio et offensioni sit, exquisita sententia sacri Consilii christiano nomini propagando pro negotiis Orientalium Rituum, re mature perpensa, visum est omnia illa antiquare decreta, quæ ritum promiscuum in usu Sanctissimæ Eucharistiæ prohibent vel coangustant; atque omnibus et latinis et orientalibus facultatem facere sive in azymo sive in fermentato apud sacerdotes catholicos, in ecclesiis cujusvis ritus catholicis, secundum pristinam Ecclesiæ consuetudinem, augusto Corporis Domini Sacramento sese reficiendi, ut « omnes et singuli qui christiano nomine » censentur, in hoc concordiæ symbolo jam tandem ali» quando conveniant et concordent » (1).

Ex qua concessione uberes exspectantur fructus

Equidem confidimus, quæ hic præscribuntur a Nobis, ea dilectis filiis, quot habemus in Oriente, ex quovis ritu, admodum fore utilia non solum ad inflammandum in eis pietatis ardorem, sed etiam ad mutuam eorum concordiam confirmandam. — Etenim quod ad pietatem attinet, nemo non videt divinam Eucharistiam, a Patribus Ecclesiæ latinis græcisque quotidianum christiani hominis panem solitam appellari, utpote qua sustentetur et alatur tamquam valetudo animæ, multo magis frequentandam eis esse, quorum caritas vel fides, seu ipsa supernaturalis vitæ principia, majore in discrimine versentur. Quare catholici orientales, quibus est in media multitudine schismaticorum habitandum, non ex periculoso eorum convictu aliquod fidei caritatisque detrimentum capient, si hoc se cibo cælesti roborare consueverint, sed magnum et perpetuum in se vitæ spiritualis sentient incrementum. — Quod spectat alterum, patet proclive factu usque adhuc fuisse, ut inter homines unius fidei sed diversorum rituum, ex eo quod alii aliis facilius possent Corporis Christi esse participes, causæ æmulationum et discordiarum exsisterent. Nunc autem, cum hujus mensæ, quæ symbolum, radix atque principium est catholicæ unitatis, promiscuam esse omnibus fidelibus communicationem volumus, pronum est debere inter ipsos increscere animorum concordiam,

tum pietatis

tum pacis

(1) Conc. Trident. Sess. XII.

« quoniam unus panis, ait Apostolus, unum corpus multi » sumus, omnes qui de uno pane participamus » (1).

Hæc Nos igitur de Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus et sancimus : Statuta.

I. Sacris promiscuo ritu operari sacerdotibus ne liceat; propterea suæ quisque Ecclesiæ ritu Sacramentum Corporis Domini conficiant et ministrent.

II. Ubi necessitas urgeat, nec sacerdos diversi ritus adsit, licebit sacerdoti orientali, qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam consecratam in azymo, vicissim latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato : at suum quisque ritum ministrandi servabit.

III. Omnibus fidelibus cujusvis ritus datur facultas, ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant.

IV. Quisque fidelium præcepto Communionis paschalis ita satisfaciet, si eam suo ritu accipiat et quidem a parocho suo : cui sane in ceteris obeundis religionis officiis addictus manebit.

V. Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio de manibus proprii paróchi accipiendum est : sed, urgente necessitate, fas esto a sacerdote quolibet illud accipere; qui tamen ritu suo ministrabit.

VI. Unusquisque in nativo ritu permanebit, etiamsi consuetudinem diu tenuerit communicandi ritu alieno; neque ulli detur facultas mutandi ritus, nisi cui justæ et legitimæ suffragentur causæ, de quibus Sacrum Consilium Fidei Propagandæ pro negotiis Orientalium judicabit. In his vero causis numeranda non erit consuetudo quamvis diuturna ritu alieno communicandi.

Quæcumque autem his litteris decernimus, constituimus, declaramus, ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter servari volumus et mandamus, nec ea notari, in controversiam vocari, infringi posse, ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine; sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus Apostolicis, etiam in generalibus ac provincialibus conciliis editis, constitutionibus, nec Clausulæ derogatoriæ.

(1) I Corinth. X, 17.

non quibusvis etiam confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis consuetudinibus ac præscriptionibus; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum hisce litteris inserta essent, ad præmissorum effectum, specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuslibet. — Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, manuque Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum suo sigillo munitis, eadem habeatur fides, quæ præsentibus hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo duodecimo, in festo Exaltationis S. Crucis, XVIII Kalendas octobres, Pontificatus Nostri anno decimo.

Fr. H. M. Cardinalis GOTTI
S. C. de Propaganda Fide Præfectus.

A. Cardinalis AGLIARDI
S. R. E. Cancellarius.

VISA
M. Riggi, *C. A. Not.*

Reg. in Canc. Ap. N.° $\frac{61}{12}$

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *Interpretare textum S. Jacobi V, 14-15, ex eoque deducas existentiam et elementa Sacramenti Extremæ Unctionis.*

R. I. **Interpretatio textus.**

S. Jacobus exhortatus est suos lectores (in v. 13) ut in omnibus adjunctis oratione ad Deum confugiant: Si *tristatur aliquis vestrum, oret:* in afflictione sua ad Deum recurrat ad impetrandum auxilium et consolationem; — si quis autem *æquo* seu læto *animo est*, in his quoque lætis adjunctis ad Deum accedat, et *psallat,* oratione nempe laudatoria et gratiarum actionis.

In v. 14 s. monitum illud generale applicat casui particulari et determinato: Si *infirmatur quis in vobis*, iterum ad orationem recurrat, et quidem ad orationem omnino specialem et determinatam: *inducat presbyteros Ecclesiæ, et* isti *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et* magna erit hujus orationis efficacia, etenim *oratio* illa *fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit* (juxta textum gr.: si peccata operatus sit), *remittentur ei.*

Hujus textus momentosi sensus viro catholico dubius esse nequit (1), eumque per partes exponimus et vindicamus.

---

(1) Cfr. Decretum Eugenii IV pro Armenis (Concil. Florentinum); — Concilium Trident., Sess. XIV, Doctrina de sacramento extremæ Unctionis (cap. 1-3 et Canones 1-4); — Decretum *Lamentabili sane exitu,* prop. 48.

1/ S. Jacobus supponit **gravem** quamdam **et periculosam infirmitatem** (1). — Revera non intelligitur quomodo pro qualibet, etiam leviori, valetudinis perturbatione, ad presbyteros esset recurrendum, et ad unctionem et orationem de quibus in contextu agitur; cæteroquin vox ἀσθενεῖ eodem sensu de gravi infirmitate occurrit Luc. VII, 10, coll. v. 2, Jo. IV, 46, coll. 47, etc., et in ipso contextu, v. 15 ponitur tamquam synonyma ipsius vox: κάμνοντα, quæ infirmum viribus deficientem designat; quare etiam non ipse infirmus adire presbyteros, sed ad seipsum eos advocare jubetur.

2/ **Presbyteri** (2) intelliguntur soli ministri sacri, **sacerdotes** (3), non autem, ut volunt Protestantes et Rationalistæ, seniores ætate in communitate. — Revera, non tantum hæc verba S. Jacobi fuerunt sic semper intellecta et applicata in Ecclesia, sed ex ipso textu (4) sensus ille apparet: his enim presbyteris attribuitur actio prorsus religiosa, ritus sacer quo apparent fungi tamquam speciali titulo ad illud designati: sane, etiam mere profani et laici orare possent pro infirmo, et a divina bonitate implorare sanitatem, alleviationem animi et remissionem peccatorum; ast laicis non competit quasi speciali titulo designari ut apud infirmum advo-

---

(1) Non tamen dicitur requiri ipsam extremitatem vitæ. — Ipsum Conc. Trid. etiam locutum est formula largiori: Declaratur etiam, ait, esse hanc Unctionem *infirmis* adhibendam, *illis vero præsertim* qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.

(2) Plurale τοὺς πρεσβυτέρους non indicat *omnes* aut *plures* esse advocandos, ut patet; eodem plurali (plurali categorico) uti potuit Jacobus, etsi *de uno tantum* loqui intendisset. Non tamen determinat Jacobus quot sint advocandi. Et quidem primis Ecclesiæ sæculis extrema Unctio sæpe a pluribus sacerdotibus simul administrabatur. Cfr. CHARDON, *Histoire des Sacrements*, Paris, 1874, pp. 749 s.

(3) Conc. Trid.: « Sacerdotes ab Episcopo ordinatos », non autem « ætate seniores in quavis communitate ».

(4) Ommittimus quæstionem de sensu hujus vocis *presbyteri* in aliis locis S. Scripturæ; hoc tantum notamus in pluribus saltem locis sensum *ministri sacri* extra omne dubium versari, puta I Pet V, 1 ss., Tit. I, 5, I Tim. III, 1 ss., etc.

centur, *in nomine Domini,* jussu et auctoritate Christi, orare *super* infirmum, eademque auctoritate ungere ipsum, et præter sanitatis restitutionem et refocillationem animi, ipsam remissionem peccatorum elargiri.

3/ His presbyteris competit ut **orent super infirmum, ungentes eum oleo in nomine Domini.**

a/ **Orent super eum.** — Hæc oratio ulterius non determinatur, — nisi quod, ut infra notabitur, oratio *fidei* vocatur. Attamen immerito inde concluderes ipsam relinqui arbitrio presbyteri : revera, in hypothesi utique possibili jam tunc temporis fuisse formulam quamdam determinatam, non erat tamen cur S. Jacobus, in epistola directa ad omnes Christianos, ea parte qua exponit officia ægrotantium, orationem a presbytero adhibendam determinatè proponeret; — utrum tamen de facto formula specifice determinata jam tunc exstiterit dici nequit (1), nisi quod ut ex ipsa rerum natura intelligitur, semper adhibenda fuerit aliqua formula conveniens tum actioni materiali, unctioni, cui informandæ adjungebatur, tum fini seu effectui per ritum sacrum intento. Præterea ipsis vocabulis: orent (προσευξάσθωσαν), oratio (εὐχὴ), sicut et contextui, v. 13 ubi eodem vocabulo: προσευχέσθω certe agitur de oratione impetratoria, bene congruit quod formula ab Ecclesia adhibita semper fuerit *impetratoria.*

Oratio hæc dicitur: oratio **fidei**; ubi intelligitur non fides infirmi, siquidem nec de ipsius oratione agitur in textu, sed fides sacerdotis, saltem quatenus est minister Christi et Ecclesiæ: requiritur proinde intentio faciendi quod voluit Christus et post ipsum Ecclesia. — Cæteroquin hujusmodi intentio requiri, a priori intelligitur.

b/ **Ungentes eum oleo.** — Sicut supra oratio, ita hic

---

(1) Nec, ut notum est, ullatenus requiritur ut determinationem specificam verborum hujus Sacramenti ab ipso Christo, imo ab ipsis Apostolis repetamus. Omnia utique Sacramenta a Christo fuerunt instituta, ast non omnia eodem modo: pro nonnullis enim sufficit ea quam vocant institutionem genericam. — Cfr. de hac re *Collat. Brug.*, t. XVI, pp. 628 ss.

ipsa unctio, non ulterius determinatur, sive quoad materiam, sive quoad partes corporis ungendas, sive quoad præparationem præviam quam materia adhibenda forte accipere debebat; id tantum eruitur presbyterum in unum ritum religiosum jungere debere unctionem et orationem : *orent ungentes*, adeoque ipsam unctionem materialem in ordine ad finem intentum oratione sua magis determinare.

c/ **In nomine Domini.** — Non propria ergo auctoritate, sed nomine, seu jussu et auctoritate Domini, id est Christi, unctio et oratio erant faciendæ. — S. Jacobus supponit praxim hujus unctionis existere, sicut supponit Christianos orare, psallere, etc. Ubinam autem et quandonam Christus hujusmodi munus commiserit discipulis et Ecclesiæ suæ, seu quandonam Christus sacramentum istud instituerit, certo determinari nequit (1), nec sane illud requiritur (2).

4/ In sequentibus jam describuntur **effectus** orationis et unctionis presbyterorum :

a/ Oratio fidei **salvabit infirmum**, ipsum sanabit ab infirmitate sua corporali. — Immerito quidam Protestantes (3) ad solam salutem *spiritualem* hæc restrinxerunt; de corporali enim sanitate agi, sensus obvius et contextus aperte indicant (4).

---

(1) Mc. VI, 13 agit de Apostolis qui « exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent; et dæmonia multa ejiciebant, et *ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* » — In his verbis, juxta Conc. Trid., cap. 1, tantummodo *insinuatum* est sacramentum extremæ Unctionis; — et multi auctores revera hunc textum intelligunt de charismate curationum Apostolis a Christo concesso, non vero de Sacramento extremæ Unctionis. — Nobis tamen res non liquet.

(2) Cæteroquin a priori intelligitur, absque commissione divina, non potuisse Apostolos aut Ecclesiam alicui ritui externo adnectere virtutem remittendi peccata.

(3) Von Soden, *Hand-Commentar*, III, 2, p. 201.

(4) Conc. Trid. sensum verborum S. Jacobi non restrinxit, sed mere explicavit prout recta ratio et bonitas divina illud exigit, dicendo: Sanitatem corporis *interdum, ubi saluti animæ expedierit*, consequitur infirmus.

b/ **Alleviabit eum** Dominus, quod Conc. Trid. merito sumit sensu spirituali, et sic describit: Ægroti animum alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.

c/ **Si in peccatis sit** (gr. si peccata operatus est), **remittentur ei.** — In quonam præcise hæc remissio peccatorum consistat, S. Jacobus non determinat, sed authentice nobis declaravit Conc. Trid.: delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit (1).

II. **Existentia et elementa Sacramenti extremæ Unctionis.**

Ex dictis intelliges:

1/ immerito plerosque Protestantes et Rationalistas V, 14-15 intelligere de **curatione charismatica**, de dono curationum quale, ut dicunt, apud Marc. VI, 13 describitur, et de quo sæpius sermo est in Act. Ap. et in Epp. S. Pauli (cfr. I Cor. XII, 10, 28); et a fortiori refelli qui volunt hic agi de mera quadam **curatione ordinaria et medicali** (sicut in parabola Samaritani, apud Luc. X, 14). — Præter enim omnia dicta supra, quæ directe probant hic agi de ritu *sacro,* a persona ad hoc specialiter designata, in finem religiosum posito, merito quærimus: a/ Num charisma curationum, et a fortiori exercitium artis medicæ, reservabatur ministris sacris? — et num quilibet (2) ministri illud donum vel peritiam medicalem habebant? — Imo, etsi presbyteros *seniores* intelligeres, num omnes, et num soli seniores dono curationum aut speciali arte medicali erant potiti? — b/ Et quomodo sive potestate miraculosa sive arte

---

(1) Modum theologicum quo tres effectus descripti exponuntur, vide apud Theologos. Cfr. in specie *Collat. Brug.*, t. V, pp. 9 ss., de doctrina his verbis contenta.

(2) Revera S. Jacobus nullam innuit distinctionem; inducat τοὺς πρεσβυτέρους.

medicali corpus curando, simul peccata remisissent? — c/ Et si de charismate curationum ageretur, quare exercitium ipsius restringeretur hic ad solos graviter ægrotantes, nec extenderetur ad quoslibet infirmos, puta cæcos et claudos quales Christus et Apostoli sanare consueverant? — Et num omnes qui charisma illud acceperant, eodem modo externo, olei unctione, suos ægrotos sanabant? — d/ Nec agi de praxi quadam naturali, sicut Samaritanus oleum infudit vulneribus hominis in via derelicti, satis patet: quid enim locus esset præscribendæ orationi in nomine Domini? Et quare presbyteros, non medicos, advocari dixisset?

2/ Vere ergo agitur de **Sacramento extremæ Unctionis** quale in Ecclesia catholica est in usu: supra enim descripta sunt:

a/ *subjectum:* christianus (1) graviter decumbens, jam usum rationis habens (2);

b/ *minister:* presbyter Ecclesiæ, i. e. minister sacer, ab Ecclesia ad id constitutus (sacerdos np. aut episcopus);

c/ *materia* remota et proxima: olei unctio; — et *forma:* oratio deprecatoria unctionem fini intento adaptans;

d/ *effectus:* triplex: remissio peccatorum, solamen et robur animi, et salus corporalis (3);

e/ *institutio a Christo:* omnia in nomine Domini, jussu et auctoritate Christi Domini peragenda sunt.

A. Vander Heeren.

---

(1) Infirmatur quis *in vobis.* — Unde requiritur ut jam sint cœtui fidelium adnumerati.

(2) Revera: advocare debet presbyteros, — et supponitur jam potuisse peccare: si in peccatis sit.

(3) Inutile erit notare quam apte effectus descripti signo externo significentur, — quod ad Sacramentum requiritur.

II

Q. *An et cur idem formaliter significant* gratia sanctificans *et* justitia originalis?

R. Negative.

A. Etenim *gratia sanctificans*, secundum quod communiter a theologis nunc accipitur, significat formaliter speciale quoddam donum supernaturale, quod est *habitus entitativus, in essentia animæ infusus, quo anima redditur formaliter naturæ divinæ particeps* (1).

Hoc donum, secundum sententiam omnino probabiliorem, realiter distinguitur a charitate (2), et, absque dubio, realiter distinguitur ab aliis virtutibus infusis; inde est quasi nova natura cui, quasi potentiæ operativæ, virtutes infusæ sunt radicatæ et insertæ (3).

B. *Justitia originalis* formaliter significat supernaturalem ad Deum *rectitudinem,* qua *primus* homo, ante peccatum, donatus fuerat a Deo (4). Proinde ratio justitiæ originalis latius patet, seu plura complectitur, quam ratio gratiæ sanctificantis, et designat *totam rectitudinem* ordinis in interna hominis dispositione. Illa porro totalis rectitudo importabat « quod ratio subdebatur Deo, rationi vero vires inferiores et animæ corpus » (5).

Sed illa totalis rectitudo habebatur per diversa dona gratuita, seu humanæ naturæ positive indebita, ad invicem connexa. *Primo* quidem habebatur *gratia sanctificans*, quæ in *essentia* animæ subjectatur, redditque hominem formaliter naturæ divinæ participem et radicaliter capacem visionis beatificæ.

---

(1) Cf. Van der Meersch, *De gratia divina,* Brugis, 1910, n. 129.

(2) Cf. Id., *o. c.,* n. 115.

(3) Cf. Id., *o. c.,* n. 127, 239.

(4) Multo probabiliorem censemus sententiam quæ dicit in ipsa *creatione* fuisse gratiam sanctificantem Adamo collatam. Cf. S. Thomas, 1, q. 100, a. 1.

(5) S. Thomas, l. c.

Secundo habebantur *virtutes infusæ*, inter quas præcipua secundum rationem *rectitudinis* ad Deum, est *charitas,* qua homo in Deum, formaliter ut in finem ultimum, tendit.

Tertio habebatur *donum integritatis* (1), seu immunitas a concupiscentia, quo dono vires inferiores, nempe præsertim sensibilis appetitus (2), scilicet tum pars concupiscibilis, tum pars irascibilis, perfecte subdebantur rationi: quatenus nempe nullus motus *inordinatè* surgebat, hoc est, non contra rationis judicium ac voluntatis imperium (3).

Igitur justitia originalis, quæ formaliter significat *rectitudinem supernaturalem,* primo homini collatam, *materialiter* significat illa varia dona quæ statim enumeravimus (4).

C. 1. Ut ex suprà dictis patet, gratia sanctificans est pars *justitiæ* originalis. Sed est ejusdem pars omnino *præcipua* et est *radix* ejus, ut loquitur S. Thomas (5). Quod ulterius explicatur per hoc quod S. Thomas docet gratiam sanctificantem, quum sit naturà prius virtute, ideo etiam subjectari in *essentia* animæ, et virtutem se habere ad gratiam sanctificantem quasi

---

(1) De diversis Theologorum sententiis circa naturam doni integritatis, cf. Suarez, *De opere sex dierum,* L. III, c. n. 11 ss.; Pesch, *Tractatus dogmatici,* t. III, n. 197.

(2) Dico: *præsertim* appetitus sensibilis, quia quondoque sub nomine *concupiscentia* intelligitur etiam defectus quo in ipsa hominis *voluntate* possunt exsurgere motus inordinati consequenter ad motus inordinatos appetitus sensibilis.

(3) De concupiscentia seu fomite cf. S. Thomas, in II, dist. 32, Q. 1, a. 1, *Summa theologica,* 1-2, q. 81, a. 3, ad 2; 3, 27, a. 3.

(4) De distinctione inter id quod nomen significat *formaliter* et *materialiter,* cf. S. Thomas, *De Potentia,* q. 9, a. 4; *Collat. Brug.,* t. IV, p. 386; VIII, 375.

(5) « Cum radix originalis justitiæ, in cujus rectitudine factus est homo, consistat in subjectione supernaturali rationis ad Deum, quæ est per gratiam gratum facientem.... necesse est dicere quod, si pueri nati fuissent in originali justitia, quod etiam nati fuissent cum gratia ». 1, q. 100, a. 1, ad 2.

potentiam operativam ad naturam (1). Ideo rectitudo supernaturalis quæ, per gratiam sanctificantem, est in *essentia* animæ, est naturà prius rectitudine supernaturali quæ est in *voluntate* per charitatem (2). Hæc porro rectitudo supernaturalis, quæ est in voluntate, est natura prius rectitudine quæ est in *appetitu sensibili:* hic enim erat ordo a Deo intentus ut appetitus inferior, nempe sensibilis, esset perfecte subjectus rationi ne impediret rationem (h. e. intellectum et voluntatem) in sua perfecta ad Deum subjectione.

Igitur a gratia sanctificante tamquam a radice dependebat tum rectitudo voluntatis per charitatem, tum subjectio appetitus sensibilis ad rationem per donum integritatis.

2. Si ad invicem conferuntur rectitudo partis *superioris* (quæ rectitudo habetur et per gratiam sanctificantem in essentia animæ et per charitatem in voluntate) cum rectitudine partis *inferioris* (quæ rectitudo habetur per donum integritatis), intelligitur illam se habere ut *formale*, hanc vero ut *materiale* in justitia originali. Etenim elementum *formale* est principium determinans rem in esse suo, est id a quo species rei desumitur, jamvero justitia, de qua hîc agitur, est formaliter *rectitudo* supernaturalis hominis ad *Deum ut in finem ultimum*. Jamvero hæc rectitudo formaliter habetur per charitatem, quæ radicatur in gratia sanctificante (3). « Porro ordinatio virium inferiorum per immunitatem a concupiscentia, *ut substans* quidem ordinationi mentis per charitatem, hanc ipsam rectam ad Deum habitudi-

(1) 1-2, q. 110, a. 4.

(2) « Justitia originalis non sic erat in voluntate quin per prius esset in essentia animæ ». S. Thomas, *De Malo*, q. 4, a. 4, ad 1. « Justitia originalis pertinebat *primordialiter* ad *essentiam* animæ ». Id., 1-2, q. 83, a. 2, ad 2.

(3) Quapropter ipsa gratia sanctificans ingreditur rationem formalem justitiæ supernaturalis, quia et ipsa vere et positive ordinat ad Deum finem ultimum.

nem omnino ingredi concipitur; *ut sejuncta* vero a charitate, jam non importat quo ad Deum homo recte se habere dicatur. Si enim ratio præsupponatur subjecta Deo, tunc utique subjectio inferiorum virium ad ipsam rationem maximopere conferet ad perfectum ordinem, cujus finis et terminus Deus; sin autem minus, nihil. Itaque bona appetitus sensitivi habitudo nonnisi a bona habitudine mentis habere poterat ut pars justitiæ diceretur et esset: eodem plane modo quo nonnisi ab anima rationali habere potest corpus ut *humani* corporis rationem habeat. Quemadmodum igitur in humano composito anima est ut forma, corpus ut materia, ita quoque in justitia originali aliquid erat ut formale, a quo tota hujus justitiæ perfectio dependebat, scilicet gratia cum virtutibus, et aliquid materiale, quod a formali rationem justitiæ accipiebat, scilicet immunitas a concupiscentia » (1).

3. Alia dona præternaturalia, sicut scientia infusa, immortalitas, impassibilitas, licet fuerint a Deo data primo homini simul cum gratia sanctificante, non tamen ingrediuntur in rationem formalem *justitiæ,* quia non ordinant formaliter ad Deum, eorumque carentia nihil tollit de perfectione morali (2).

Ex suprà dictis sequuntur quædam magni momenti corollaria respicientia rationem peccati originalis (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) Card. Billot, *De personali et originali peccato,* Prati, 1910, p. 179.

(2) Cf. id., *o. c.,* p. 181. — S. Thomas, 1, q. 100, a. 1, docet quod, si Adam non peccasset, homines ex illo nati fuissent cum *justitia originali* (sc. cum gratia gratum faciente, etc.), quia justitia originalis est *accidens naturæ speciei,* sc. donum divinitus datum toti naturæ; docet vero, *ib.,* q. 101, a. 1, quod pueri non fuissent nati cum scientia infusa, quia hæc erat *individuale accidens* primi parentis. Inter dona quæ primo homini fuerunt concessa distinguit igitur S. Thomas quæ ad *justitiam* originalem pertinent, et alia.

(3) Cf. S. Thomas, 1-2, q. 83, a. 2, 3; *De Malo,* q. 4 et 5; Capreolus, in II, dist. 31, q. 1, a. 3. (Edit. Turonibus, t. IV, p. 353).

III

Q. *Græci schismatici, ad vindicandam suam doctrinam de communione* utriusque speciei *jure divino necessaria, provocant ad S. Scripturam et ad praxim primitivæ Ecclesiæ. — Illos confuta.*

R. **Prænotanda.**

1. *Hussitæ,* sæculo XV°, contendebant communionem esse divinitus institutam ut sub duplici specie sumeretur, sub specie scil. panis simul et sub specie vini, ac acriter invehebant contra Ecclesiam Romanam, quod laicis et clericis more laicorum communicantibus passim interdicebat usum calicis. Hussitæ ideo *Utraquistæ* vel *Calixtini* vocabantur, dum praxeos Latinæ vindices *Unistas* vel *Subunitas* nuncupare solebant.

Porro Concilium Constantiense (Sessione XIII, 15 Junii anno 1415), in definitione, a Martino V, per Bullam *In eminentis*, anni 1418, confirmata (1), contra præfatos Hussitas declaravit, decrevit et definivit quod « licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, tamen hæc consuetudo, ad evitandum aliqua pericula et scandala, est rationabiliter introducta, quod a conficientibus sub utraque specie, et a laicis tantummodo sub specie vini susciperetur » ; addendo: « quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, et pertinaciter asserentes oppositum præmissorum tanquam hæretici arcendi sunt et graviter puniendi » (2). Eamdem autem doc-

(1) Hardouinus, *Acta Conciliorum et Epistolæ Decretales ac Constitutiones SS. Pontificum,* Parisiis, 1715, t. VIII, col. 381 et 918 ss. Cf. Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 626 (585).

(2) Apud Hardouinum, l. c., col. 905 ss., exhibentur, post Bullam Martini V, *Inter cunctas,* interrogatoria proponenda suspectis de hæresi Hussitarum, inter quæ sequens interrogatorium occurrit: « Utrum credat quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantùm, ab Ecclesia universali observata, et per Sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit servanda sic, quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito immutare; et quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tanquam hæretici vel sapientes hæresim sint arcendi et puniendi ». Cf. Denzinger, *o. c.,* n. 668 (562).

trinam confirmavit Synodus Basiliensis, in Sessione XXX, anno 1437 (1).

2. *Reformatores* descriptum errorem reassumpserunt et vindicare conati sunt; quem ideo errorem Concilium Tridentinum censuit rursus damnandum. Nimirum, in Sessione XXI, postquam, sub capite 1° et 3° exposuerit doctrinam, juxta quam tenendum sit « nullo divino præcepto laicos, et clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum », ac « etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi »; anathema pronuntiavit contra illos qui dixerint « ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem SS^mi^ Eucharistiæ Sacramenti sumere debere » (can. 1); aut « S. Ecclesiam catholicam non justis causis ac rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse » (can. 2); vel tandem « totum et integrum Christum, omnium gratiarum fontem et auctorem, non sub una panis specie sumi » (can. 3).

3. *Græci schismatici* crimini id etiam plerique vertunt Ecclesiæ Romanæ, quod fideles privet calicis communicatione, atque et ipsi urgent communionem utriusque speciei esse jure divino præceptam. Quod recentius adhuc proclamavit Patriarcha olim Constantinopolitanus Anthimus VII, in constitutione Synodali edita, et a pluribus episcopis Græco-orthodoxis subsignata, occasione Encyclicæ Leonis XIII *Præclara,* pro unione Græcorum, de die 20 Junii 1894, in quo prædicto documento Synodali legitur: « L'Église des sept Conciles œcuméniques, une, sainte, catholique et apostolique..., suivant le commandement du Seigneur: *Buvez en tous,* faisait communier tout le monde sous les deux espèces. Mais l'Église papique, a partir du neuvième siècle, a innové également sur ce point, en privant les laïques du Saint Calice, contrairement à l'ordre du Seigneur, à la pratique universelle de l'ancienne Église, et à la défense formelle de plusieurs évêques orthodoxes de Rome » (2).

---

(1) Hardouinus, *l. c.*, col. 1244.

(2) Tournebize, *La Réplique du Patriarche de Constantinople à Léon XIII,* apud *Études,* 1898, t. 76, p. 617 ss. et t. 77, p. 377 ss.; cf. Duchesne, *Églises Séparées,* Paris, 1896, p. 59 ss.

In hoc igitur cardine vertitur controversia, quod Ecclesia Romana contendat quæstionem de communione sub una vel sub duplici specie esse quæstionem mere ritualem ac disciplinarem, Ecclesiæ auctoritati et dispositioni subjectam, adeoque pro variis temporibus et locis mutabilem; dum Protestantes et Schismatici Orientales id negant, volentes communionem utriusque speciei ad ipsam eucharistici usus substantiam pertinere, ipsoque jure divino præcipi.

Quod ut vindicent, provocant tum ad S. Scripturam, tum ad praxim primitivæ Ecclesiæ. Quorum argumentorum sequitur

Confutatio.

I. *Confutatur argumentum deductum* ex S. Scriptura.

Et quidem 1° *ex Evang. S. Joh., VI, 54:* « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis », coll. vv. 55 et 57.

Ad quod a/ respondet ipsum Conc. Tridentinum, Sess. XIV, cap. 1, textum hunc opponendo aliis textibus qui aperte non urgent nisi unius speciei sumptionem. « Namque (sic arguit) qui dixit: nisi manducaveritis... et biberitis...; dixit quoque: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; dixit etiam: panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Et denique qui dixit: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo; dixit nihilominus: qui manducat hunc panem, vivet in æternum ».

Accedit b/ quod, sub alterutra specie sumptâ SS. Eucharistiâ, vere dici potest manducari carnem et potari sanguinem Christi, cum, vi realis concomitantiæ, realiter præsens sit, sub unaquaque specie, totus et integer Christus, cum corpore et sanguine.

2° Quod spectat *verba institutionis*, apud *Matth.*, XXVI, *Marcum*, XIV, *Lucam*, XXII et *S. Paulum*, 1ª ad Cor., XI, adversarii potissimum insistunt in

verbis Christi Domini: « *bibite ex eo* (calice) *omnes* », et « *hoc facite in meam commemorationem* ».

Jamvero *prior textus* (Mt., v. 27) exhibet invitationem Christi ad omnes Apostolos commensales, non autem ad omnes fideles: uti innuit locus parallelus S. Marci, V, 23. Quod urget DUCHESNE, l. c.: « Le Sauveur, présentant le calice *à ses apôtres*, leur dit: Buvez en tous. De cette invitation adressée à tous les *convives* de la dernière Cène, on fait un précepte inculqué à tous les *chrétiens* de tous les siècles. C'est une exégèse excessive. Elle est réfutée non seulement par le texte auquel on l'applique, mais par le passage parallèle de S. Marc: Il prit le calice, rendit grâces, et le *leur* donna; ils y burent *tous*. Qui, ils? Évidemment les apôtres ».

Quod autem attinet *alterum textum*, patet eum non afficere laicos et clericos communicantes, siquidem mandatum censetur cadere super tota cæremonia a Domino peracta, quæ non tantùm sumptionem sed præprimis confectionem SS^mi^ Sacramenti comprehendit.

Cæterùm, uti ratiocinatur BENED. XIV, *De Sacr. Missæ*, I, n. 359, « si Christi institutioni in omnibus hærere velimus, Eucharistia præbenda esset tantùm post cænam (uti reapse volebant Hussitæ), cæteraque omnia servanda quæ Christus gessit » (1).

II. *Confutatur argumentum nitens in* **praxi primitivæ Ecclesiæ.**

Equidem fatemur communionem sub utraque specie per plura successive sæcula passim fuisse in usu Ecclesiæ, tam Occidentalis quam Orientalis (2); sed, præ-

---

(1) Cf. BOSSUET, *La tradition défendue sur la matière de la communion sous une espèce*, Ch. III (*Œuvres*, Versailles, 1817, t. XXIV).

(2) De illo usu constat ex plurimis documentis ecclesiasticis, quæ adducta videsis apud *Dictionnaire de Théologie*, V° *Communion sous les deux espèces*, col. 554 s.; *Kirchenlexikon*, V° *Communion*, sub V. Sufficiat, inter antiquiora, citasse: *1a ad Cor.*, XI, 26 et 28; *Doctrina 12 Apostolorum* (Didachè), c. IX et X (ed. Funk); S. IGNATIUS, *Ad. Philad.*, cap. IV

terquam quod ex praxeos, etiam uniformiter per aliquod tempus in Ecclesia vigentis, existentia non illicò quis deducere posset eam juris divini dispositione niti, penitus ruit argumentum in favorem dictæ juris dispositionis ex ecclesiastica praxi eruendum, statim ac innotescit praxim illam non fuisse uniformem nec absolutam, sed semper viguisse in pluribus usum contrarium: si nempe Ecclesia intellexisset communionem sub utraque specie essentialem esse vel divinitus præscriptam, exceptiones fieri non permisisset.

Jamvero ex documentis ecclesiasticis constat s. communionem a primordiis jam Ecclesiæ fuisse, variis in adjunctis, sub una specie ministratam.

(ibidem); S. JUSTINUS, *Apolog.*, I, n. 65 et 67; TERTULLIANUS, *De Resurrectione carnis*, c. 8 (ed. Oehler, II, p. 478); S. CYPRIANUS, Epist. 63, c. 8 (ed. Hartel, III², p. 707); *Testam. D. N. J. C.*, l. II, c. 10 (ed. Rahmani, p. 132 s). Ad hanc antiquitatis consuetudinem etiam provocasse audivimus Concilium Tridentinum.

Usus ille mansit, etiam in Ecclesia Occidentali, usque ad sæculum 12m et, hinc inde, ultra (cfr. S. THOMAS, III, P., art. 12, in corpore); non fuit autem universali lege proscriptus ante Concilium Constantiense. Post hujus concilii prohibitionem abolita fuit, in Ecclesia Latina, praxis utendi calice, salvis quibusdam exceptionibus privilegiis, de quibus infrà: non tantum prohibetur sacerdotibus latinis S. Communionem sub utraque specie ministrare, sed etiam fidelibus interdicitur eam e manibus sacerdotis Orientalis sub duplici specie accipire (Bened. XIV, *Etsi Pastoralis*, P. Bull., I, p. 359).

Quod autem spectat *ritum* olim in usu pro communione utriusque speciei: per priora sæcula *seorsim* ministrabatur sub specie panis et sub specie vini, s. hostia deposita primitus in manu nuda viri vel in manu velo obducta mulieris, s. sanguine sumpto vel directe e calice vel ope fistulæ vel mediante cochleari inter labia inducto aut infantibus porrecto e digito madefacto sugendo. Inde a sæculo 8° vel 9° incœpit duplex species *misceri* et s. communio distribui sub specie panis in vino consecrato intincti, qui ritus periculo effusionis occurrebat; et hæc quidem distributionis forma prævaluit in Ecclesia Orientali et usque nunc viget, dum a pluribus synodis Ecclesiæ Latinæ fuerit reprobata, nisi pro infirmis et infantibus, invocato etiam contra descriptum ritum, exemplo Jndæ proditoris. Cf. FUNK, *Der Kommunionritus*, apud *Kirchengeschichtliche Abhundlungen und Untersuchungen*, I, Paderborn, 1897, p. 293 ss., signanter pp. 304-308; collatis CHARDON, *Histoire des Sacrements*, L. I, Sect. 3e, ch. IV, art. 2, apud MIGNE, *Theologiæ cursus completus*, t. XX; MOUREAU, *La Communion sous les deux espèces*, apud *Revue des Sciences ecclésiastiques*, 1905, p. 294 ss.

Revera 1° *pro communione domestica,* in ædibus privatis sumenda, jam in usu erat, tempore Tertulliani et S. Cypriani communio *sub sola specie panis* (1). Cfr. TERTULLIANUS, *Ad uxorem,* l. II, cap. 5 (*Œhler,* I, p. 690) S. CYPRIANUS, *De Lapsis*, c. 26 (*Hartel,* III[1], p. 255 s.). Cf. etiam apud SCHANZ, *Die Lehre von den hl. Sacramenten,* Freiburg, 1893, p. 373 s., alia relata testimonia.

2° *Communio infantium*, quam vidimus olim ubique usitatam et hucusque apud Orientales conservatam, nunc sub utraque specie, nunc *sub sola specie vini* fuit ministrata (2). Cf. A. DUNKEL, *Zu den verschiedenen Kommunionriten,* apud *Theologie u. Glaube,* III (1911), p. 308 s. (3); collato FUNK, l. c., p. 305.

3° *Communio infirmorum* videtur etiam nonnunquam fuisse ministrata *sub sola specie panis* (4), vel *sub sola specie vini*, licet a quibusdam Auctoribus ad hoc invocantur textus Auctorum vel synodorum, ubi potius

---

(1) Hæc communionis domesticæ consuetudo diu mansit, etiam in Ecclesia Occidentali. De illa cf. CHARDON, l. c., chap. V, art. 1; ubi notat, sæculo XII et ultra, morem extitisse virginibus tradendi, die consecrationis, magnam hostiam de qua per octo dies sequentes seipsas communicabant. Cf. etiam *Kirchenlexikon*, l. c., col. 723 ss., ubi refertur, inter varia facta recentiora, factum Pii IX, qui in fuga se munierat SS° Sacramento. Cf. etiam BENED. XIV, *Etsi Pastoralis,* P. Bull., I, p. 356 ss., ubi improbat usum domesticæ communionis apud Italo-Græcos.

(2) Diu, postquam evanuit a praxi Ecclesiæ Latinæ communio infantium, mansit vestigium neo-baptizatis vinum non consecratum, per modum eulogiæ, vel et partem ablutionis missæ porrigendi. Cf. FRANZ, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter*, Herder, 1909, II, p. 235 ss.

Circa usum, medio ævo hinc inde servatum dandi parvulis reliquias s. hostiæ, cf. SCHANZ, o. c., p. 373.

(3) Provocatur ad celebrem historiam infantis, quam narrat S. Cyprianus (*De Lapsis*, c. 25, *ibidem,* p. 255): mater puellulam, quæ ex cibo idolothitorum fuerat polluta, attulit in ecclesiam pro communione; cumque infans reluctasset de calice bibere, in ore ejus infudit sacerdos de « Sacramento calicis », quod sumptum evomit infans.

(4) EUSEBIUS, *Historia eccl.*, L. VI, c. 44, narrat factum senis Serapionis notissimum, quatenus moribundus viaticum petierit a sacerdote, qui, infirmitate impeditus, « exiguam Eucharistiæ partem puero (quem ad eum miserat Serapion) tradidit, jubens ut, in aqua intinctam, seni in os instillaret ».

quæstio est de communione sub duplici specie, sub forma scil. hostiæ ita commixtæ vino consecrato ut mixtura potui assimiletur. Cf. DUNKEL, l. c., p. 308 et FUNK, l. c., p. 305 (1).

4° Communio *in missis præsanctificatorum,* quæ olim distribuebatur fidelibus, etiam in Ecclesia Occidentali (2), erat communio *sub sola specie panis:* hujusmodi missam celebrare solebant Græci per totam quadragesimam, sabbato excepto et dominica. Equidem s. hostia communi vino intingebatur, sed hac intinctione non consecratur vinum, uti falsa opinione diu fuit vulgatum (3).

Hisce addi posset quod, in pluribus locis, communio quidem intendebatur ministrari sub utraque specie, de facto tamen dispensabatur sub una dumtaxat specie. Nimirum non admittebantur fideles ad participationem ipsius calicis consecrati: communicabant de calice ministeriali, ut dicebatur, vinum commune continente, cui infundebantur quædam guttæ vini consecrati; quo pacto ad minus dubia evadebat præsentia sacramentalis (4).

Objectio fieri solet deducta ex c. 12, Dist. II, *De Consecratione*, apud Gratianum, quo loco refertur de-

(1) Adhuc nunc infirmos viatico reficiunt Orientales sub duplici specie, quatenus vel missa celebretur in gratiam infirmi, ut sub missa vel immediate post missam communicetur, vel quatenus, uti mos est apud plures, SS^m Sacramentum in hunc usum sub duplici specie conservetur: quotannis scil in Cœna Domini, præparantur hostiæ vino consecrato intinctæ, quæ statim igni admotæ et exsiccatæ, per integrum annum reservantur et infirmis communi vino emollitæ ministrantur. Quem morem reprobat Bened. XIV, in laudata Constitutione; cf. etiam *Theol. Prakt. Quartalschr.*, 1912, p. 624 s.

(2) Usus ille communicandi in missis præsanctificatorum, puta in Parasceve ac etiam in Sabbato Sancto, diu mansit in Ecclesia Latina; imo, refert MOUREAU, l. c., eum hodiedum adhuc servari, de licentia S. Sedis, in parochia aliqua diœceseos Paderbornensis.

(3) MARTÈNE, l. c., p. 427 s. Cf. etiam BOSSUET, *Traité de la Communion sous les deux espèces, Œuvres*, tom. XXIII, p. 513 ss., ubi refert recentiores Græcos, ut sese conformarent suæ doctrinæ de utraque specie sumenda, morem induxisse s. hostiam pro missis præsanctificatorum servatam aspergendi guttulis vini consecrati.

(4) *Dictionnaire de Théologie*, V° *Communion*, col. 562 s.

cretum Gelasii Papæ, reprobantis abstinentiam ab usu calicis (1).

Atvero haud difficulter solvitur. Uti namque advertit BENEDICTUS XIV, *De Sacrif. Missæ,* I, n. 361, respicit decretum « Manichæorum errorem, qui vinum diaboli opus existimantes, divina mutilabant mysteria, magnique sacrilegii crimine sese obstringebant ». Quinimo ex ipso facto Manichæorum, quatenus potuerint se christianos esse simulare, sola panis specie utendo, signum est quod non defuerint exempla fidelium, qui, dum plerique sub utraque specie communicarent, sub una tantum specie Eucharistiam sumerent (2).

Conclusio. Ex quibus omnibus luculenter apparet hoc Ecclesiæ ab initio persuasum fuisse, quod jus divinum non determinaverit modum communicandi sub duplici specie, quodque ad substantiam eucharistici usus non referret una vel duplex species, sed meram importaret quæstionem ritualem et disciplinarem, ab Ecclesia pro temporis et loci opportunitate moderandam.

Et inde intelligitur quomodo Ecclesia potuerit pleno jure abrogare, in Ecclesia Occidentali, praxim quæ olim viguerit, fidelibus communicantibus, ob varias opportunitatis rationes (3), denegando usum cali-

---

(1) « Comperimus quod quidam, sumpta tantummodò Corporis Sacri portione, a Calice sacri Cruoris abstineant: qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut integris arceantur, quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire ».

(2) « Aliter enim Manichæi non satis sibi cavissent, qui se catholicos haberi posse putabant, ad ecclesias ventitando, sumendoque sub sola specie panis Sacramento » Bened. XIV, l. c., n. 362, collato n. 360, ubi de simili statuto Leonis Magni.

(3) Rationes hæ enumerantur a *Catechismo Conc. Trid.*, P. II, cap. IV, n. 66: a/ « cavendum erat ne sanguis Domini in terra funderetur »; b/ « cum S. Eucharistia ægrotis præsto esse debeat, magnopere timendum erat ne, si diutius vini species asservaretur, coacesseret »; c/ « permulti præterea sunt qui vini saporem, ac ne odorem quidem, perferre ullo modo possint »; d/ « in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur »; e/ « deinde, quod maximè omnium ad rem pertinet, convel-

cis (1); et simul illam consuetudinem, ob rationes altioris ordinis, retinendam aut tolerandam duxerit apud Orientales (2), vel et, etiam in ipsa Ecclesia Latina, hinc inde communionem sub utraque specie, usque ad hæc nostra tempora, per modum exceptionis vel privilegii concesserit (3).

---

lenda erat eorum hæresis, qui negabant sub utraque specie totum Christum esse ». Addi posset nausea quam fideles sentiunt vel et contagionis periculum ex usu unius ejusdemque cochlearis, pro sumptione vini, in os inducti. Cf. Der *Katholik*, 1904, II, p. 269 ss. Etiam ratio est habenda abstemiorum.

(1) Vidimus communionem sub unica tantum specie prima vice, universali lege, sancitam in Conc. Constantiensi. Antea, uti notavimus, praxis non utendi calice prævaluerat in Ecclesia Occidentali, illamque varia statuta particularia imposuerant. Huc contulit etiam usus, inde a sæculo XII inductus, communionem jam non ministrandi infantibus neo-baptizatis, quos sub specie panis communicare difficile erat. Ex illo etiam tempore, pro infirmis solida deglutire non valentibus, madefacere solebant s. hostiam ope vini non consecrati vel et aquæ.

(2) Pleræque Ecclesiæ Orientales, in communione S. Sedis participantes, servaverunt communionem sub duplici specie, passim sub forma panis vino consecrato intincti, ope cochlearis in os inducti, ministratam. Hanc praxim suo tempore probavit Benedictus XIV, in gratiam Italo-Græcorum, pro locis in quibus vigebat, et sub conditione expressa de integritate fidei in præsentiam Christi totius, sub una specie. Cf. Bullam *Etsi Pastoralis*, P. Bull., I, p. 356 ss. cf. etiam Bened. XIV, *De Sacrificio Missæ*, I, n. 363. Circa ritum distributionis S. Communionis, in Ecclesia Orientali, cf., præter jam dicta et citata, A. Dunkel, l. c., p. 300 ss.; Martène, *De Antiquis Ecclesiæ ritibus*, Lib. I, P. I, c. 4, art. 10, n. 13; Baumstark, *Die Messe im Morgenland*, Kempten, 1906, p. 163 ss.

(3) Ita Concilium Basiliense Moraviæ et Bohemiæ concessit usum calicis, ea lege ut agnoscerent sic communicantes Christi totius præsentiam sub una specie: quod privilegium brevi fuit retractatum. Cf. *Dictionnaire de Théologie*, V° *Calixtins*, col. 1366. — In Concilio etiam Tridentino, sub fine Sess. XXII, relictum est a Patribus Tridentinis arbitrio S. Pontificis, usum calicis indulgere pro prudentia sua. Quod de facto concessit Pius IV Austriæ et Bavariæ, facta, per Breve 1 Septembris 1563, Episcopis potestate communionem permittendi sub utraque specie, indultum autem deinceps fuit revocatum. Refert etiam Bened. XIV, *De Sacrificio Missæ*, I, n. 369, concessum fuisse privilegium Regibus Galliæ, qui eo usi sunt usque ad sæculum XVIII, ut in die coronationis et in articulo mortis utraque specie uterentur. Notum est ulterius quod, quando S. Pontifex missarum solemnia celebrat, diaconus et subdiaconus assistentes sub specie panis et vini ope fistulæ communi-

IV

Q. *Accusant etiam iidem Græci schismatici Ecclesiam Latinam quod, denegato usu calicis, fideles defraudet fructu sacramentali. Vindica ex hac parte usum Ecclesiæ Latinæ.*

R. I. Etiamsi plus gratiæ per se perciperetur ex communione sub utraque specie suscepta, quam ex communione sub una tantum specie, non ideo reprobandum foret statutum Ecclesiæ Latinæ nec carpenda ejusdem praxis fideles ab usu calicis removendi.

Etenim, uti arguit BENED. XIV, *De Sacrificio Missæ*, I, n. 366, « nemo est qui nesciat leges de Eucharistiæ ministrandæ ritu, non modò ad augmentum gratiæ in eo qui Sacramentum suscipit, sed etiam ad ejusdem Sacramenti dignitatem et venerationem respicere debere; aliter enim nutare dici possent illæ etiam Ecclesiæ leges, quæ vetant ne quis sæpius quam semel eadem die communicet, et sacerdotes, ne eadem die, quod fit in die Christi Natali, iterent sacrificium ».

---

cent, quodque ille ritus hodiedum adhuc servetur. Idem tandem ritus observabatur, ante Perturbationem Gallicanam, in monasterio S. Dionysii et in abbatia Cluniacensi, juxta cæremoniale descriptum apud *Rev. du clergé franç.*, t. 60, p. 249 s.

Tandem nuperrime, Constitutione Pii X *Tradita ab antiquis*, 14 Sept. 1912 (cf. suprà, p. 625 ss.), revocatis decretis in contrarium quibuscumque, « omnibus fidelibus cujusvis ritus (Orientalis et Latini) datur facultas ut, pietatis causa, Sacramentum Eucharisticum quolibet ritu confectum suscipiant ». Nimirum Latini ritus sacerdotes debent quidem ministrare s. communionem in azymo et sub una panis specie, salva manente lege ut quisque sacerdos proprium servet ritum; sed, exceptis excipiendis, jam non prohibetur fidelibus quominus e manibus sacerdotis Orientalis, in fermatato et sub utraque specie Eucharistiam ministrantis, s. communionem recipiant. Equidem, loquendo de eucharistico ritu ad normam Orientalium, cui fidelibus Latinis participare exinceps permittitur, expresse non memorat S. Pontifex nisi confectionem et ministrationem in fermentato; non censetur tamen excludere s. communionem sub utraque specie, siquidem hæc utriusque speciei dispensatio ingreditur, præsertim ubi species mixtæ porriguntur, ipsum Orientalium ritum, quem jubet a sacerdote Orientali in ministrando servari.

II. *Eadem per se gratia suscipitur, in communione, sub una quam sub duplici specie.*

Probatur.

Res et sacramentum, seu titulus exigitivus gratiæ eucharisticæ *nutritivæ,* est *ipse Christus sub specie nutrimenti* sacramentaliter præsens, et per communionem nobis communicatus (1).

Atqui sub alterutra specie, et signanter sub specie panis: 1°/ Christus est præsens totus ac integer; 2°/ præsens est sub specie nutrimenti.

Ergo præsto est, in communione unius tantùm speciei, plena ac totalis causa proxima gratiæ sacramentalis, non secus ac in susceptione Sacramenti sub utraque specie; unde non est cur, neglecto calice, minor exinde percipiatur gratia.

Probatur minor.

Et sane quod spectat *primum*, nemo est qui dubitet, cum inconcussum sit dogma, sub canone 3^{io}, Sess. XXI, a Concilio Tridentino definitum, Christum scil. sub alterutra specie præsentem sisti totum et integrum: non quidem vi verborum, sed vi naturalis connexionis et concomitantiæ.

Quod autem *alterum* attinet, hæc notasse sufficiet:

a/ Si Christus nobis exhiberetur sub externa specie cibi, *seorsim sumpta* et sine connexione ac relatione ad speciem potus, utique minus perfectè et minus expresse nobis sisteretur præsens sub specie et externo habitu nutrientis, quam si nobis exhibeatur sub specie cibi simul et potus: nutritio enim completa importat tam liquidum quam solidum.

Ast, etiam in hac hypothesi, defectus in nutritione significanda non nisi accidentalis dumtaxat foret, sicut accidentalis est defectus, pro significanda morte et

---

(1) Sedulò nota Christum Dominum non constituere rem et sacramentum, seu titulum ad gratiam *nutritivam*, in quantum est præsens quomodocumque, sed quatenus præsens est sub specie *nutrimenti*.

sepultura Christi, in Baptismo per infusionem præ Baptismo per immersionem. Qui defectus eo magis accidentalis innotescet consideranti *rem et sacramentum* esse in Christo nobis communicato sub specie *nutrimenti*, potius quam sub specie *refectionis:* melius namque et perfectius salvatur ratio nutrimenti in solo cibo, quam ratio refectionis.

b/ Non est verum Christum nobis exhiberi et communicari sub specie cibi *seorsim sumpta a specie potus.* Uti namque egregie docet *Card. Billot* (1), « postquam in consecratione materiæ perfectum est Sacramentum, quæcumque pars vel portio specierum sumatur, semper accipitur *secundum quod communicat in indivisibili significatione totius* », et unaquæque species « se habet ut pars communicans in virtute significativa totius ».

Dictum est in thesi: *per se*, seu *ratione sacramenti;* quia *per accidens* fieri potest et fiet ut quis, utrique speciei participando, majorem inde consequatur gratiam: quatenus nimirum, sub influxu fervoris charitatis in panis eucharistici communione excitati, melius et ferventius dispositus accedat ad communionem calicis, et, pro meliori sua dispositione, ampliorem adipiscatur gratiam. Patet autem id esse *per accidens,* et effectum descriptum non consequi ad sumptionem utriusque distinctæ speciei, cum æque sequeretur ex communione, iisdem in adjunctis, bis instituta successive sub eadem specie.

Objectio prima. Competit effectus distinctus communioni calicis præ communione sub specie panis. Ita calici tribuitur spiritualis lætitia et dulcedo, dum panis sumptioni ut effectus tribuitur robur et fortitudo. Unde canit Ecclesia: « dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit et tristibus Sanguinis poculum »; « calix tuus inebrians quam præclarus est ».

Respondetur distinctos illos effectus uni speciei ad-

---

(1) *De Ecclesiæ sacramentis,* Romæ, 1896, I, p. 295 s.

scribi præ altera *per appropriationem*, « secundum majorem earum convenientiam cum propria alterutrius qualitate... sicut potentia in Scripturis appropriatatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto » (1). Cæterùm etiam de pane eucharistico dicitur: « panem de cœlo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem »; « pane suavissimo de cœlo præstito... ».

Objectio secunda. Juxta 1m *ad Cor.*, XI, 26, jubemur in communione annuntiare mortem Domini donec veniat; hæc autem mortis Domini commemoratio non habetur nisi in segregatione utriusque speciei ad invicem, quatenus vi verborum Corpus Christi præsens sistatur separatum a Sanguine.

Respondetur. Commemoratio passionis et mortis Domini essentialiter reponitur in distincta *consecratione* sacrificali utriusque speciei. Participando autem huic sacrificio, per communionem unius etiam speciei eo ipso partem habemus in hoc memoriali passionis et mortis dominicæ, adeoque mortem Domini annuntiamus, juxta puchre dictum *Card. Billot,* o. c., p. 521: « Sive unam sive utramque speciem quis accipiat, semper mysterium hoc adimplet et annuntiat Domini mortem, quia semper accipit Corpus Christi separatim a Sanguine consecratum, in commemorationem cruentæ oblationis Ejus ».

Scholion. In Concilio Tridentino discussa fuit quæstio præsens, per decursum Sessionis XX, pro con-

---

(1) Card. Billot, o. c., p. 295. Pari modo solvitur difficultas ex eo quod S. Thomas, IIIa P., qu. 74, art. 1 et qu. 79, art. 1, ad 3m, « in hoc Sacramento Corpus offertur pro salute corporis et Sanguis pro salute animæ »; quodque canitur ab Ecclesia: « quibus sub bina specie carnem dedit et sanguinem, ut duplicis substantiæ totum cibaret hominem »: est nimirum rursus mera accomodatio et appropriatio « propter similitudinem corporis ad corpus, et proportionem seu affinitatem sanguinis ad animam; sicut enim anima est principium vitæ, ita aliquo modo sanguis », secundum illud *Levitici,* XVII, 11: « anima carnis in sanguine est ». Cf. Billuart, *Summa S. Thomæ-Tract de Eucharistiæ sacramento,* Dissert. VI, art. II, par. 2.

fectione capitum doctrinæ et canonum quæ nunc inseruntur sub Sessione XXI. Porro non fuit, in canone 3[10], dirempta controversia in sensum modò propositum in thesi; expressè scil. voluerunt Patres, pro more, evitare authenticam solutionem controversiæ tunc temporis inter catholicos agitatæ, quemadmodum constat ex variis declarationibus, apud THEINER, *Acta Genuina*, II, p. 40-55, necnon ex mutato tenore canonis. Hic, uti prius proponebatur, sic sonabat: « Si quis dixerit, non tantum sumi sub una SS. Eucharistiæ Sacramenti specie quantum sub utraque, eo quod non totam Christi institutionem sumat, anathema sit » (1); nunc autem, in definitiva forma, unice asseritur totum et integrum Christum sub una specie panis sumitur. Ulterius in capite III additur: « propterea (quia scil. totus Christus sumitur), quod ad fructum attinet, nulla gratia *necessaria ad salutem* defraudari, qui unam speciem solam accipiunt » (2).

Cæterum apparet ex relatis *Actis*, l. c., doctrinæ suprà vindicatæ de paritate fructus in communione unius et in communione utriusque speciei per se percipiendi, plerosque ex Patribus et maxime ex theologis minoribus (3) favorem præstitisse.

A. DE SMET.

---

(1) THEINER, l. c., p. 39.

(2) In priori redactione proposita (THEINER, o. c., p. 46), caput tertium (tunc ordine secundum) sic inscribebatur: « Tantum suscipi sub una specie quantum sub utraque »; dum præsens inscriptio habet: « Totum et integrum Christum ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi ».

(3) Sic in *Actis*, l. c., p. 36, pro conclusione disputationis inter theologos minores habitæ, legimus: « Quod effectum sacramenti, qui est gratia, major pars dixit, quod quantum est ex ratione sacramenti (i. e. per se), tantum gratiæ confertur sub una specie quantum sub duabus...; alii dixerunt quod plus gratiæ confertur, si in sumptione alterius speciei homo inveniatur melius dispositus (i. e. per accidens); aliqui dixerunt quod plus gratiæ confertur ex ratione sacramenti ».

V

Q. *Faites connaître l'origine et le caractère de la Congrégation des Frères de la vie commune, fondée à la fin du XIVe siècle.*

R. La 3e période du moyen âge (1294-1517) est pour l'Église une période de déclin : le nationalisme et le laïcisme, se manifestant dans tous les domaines, modifient profondément le champ d'action de l'Église, amènent un relâchement dans la vie chrétienne, un affaiblissement de l'autorité spirituelle et préparent peu à peu le terrain au protestantisme (1). Il y eut cependant pour remédier à cette situation lamentable des tentatives de réforme : d'abord de la part des *Conciles réformateurs* dont l'action toutefois fut inefficace, vu l'exécution restreinte des décrets. Plus salutaire fut l'action des *réformateurs particuliers*. Parmi ceux-ci il faut citer en première ligne *Gérard Groote* de Deventer, car les prédications de ce missionnaire ardent, ainsi que les fondations prospères qui en furent la suite, portèrent de grands fruits non seulement dans les Pays-Bas, mais encore dans l'Allemagne du Nord, les pays du Rhin et la Franconie. C'est dans le but de relever cette action bienfaisante, que nous nous sommes proposé de retracer brièvement, en deux réponses successives, l'origine, le caractère, l'activité et l'influence de la pieuse société des *Frères de la vie commune*, dont Groote fut l'initiateur (2).

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t XVI, 1911, p. 202 et ouvrages cités.

(2) L'association des *Frères de la vie commune* et la *Congrégation de Windesheim*, qui s'y rattache, ont fait l'objet de beaucoup d'études depuis quelques années. Nous n'indiquons ici que les principales : DELPRAT, *Verhandeling over de broederschap van G. Groote en over den invloed der Fraterhuizen*, Utrecht 1830, Arnhem 1856. ACQUOY, *Het Klooster te Windesheim en zijn invloed*, 3 vol., Utrecht, 1875-80 ; A. AUGER, *Étude sur les mystiques des Pays-Bas au moyen âge*, Bruxelles, 1892 ; J.-H. GERRETSEN, *Florentius Radewijns*, Nijmegen 1891. Voir aussi les études de ALBERDINCK THYM dans le *Kirchenlexicon* (v° *Fraterherren, Groote*) et de SCHULZE dans le *Real Encyclopädie* (v° *Brüder d. g. L., Groote*). Parmi les sources sur lesquelles ces travaux sont basés il faut citer les *vitæ* de Gérard, de Florent Radewijns et autres *devoti* de la première génération par THOMAS A KEMPIS (*Opera omnia*, éd. *Sommalius*, Duaci, 1635) ainsi que le *Chronicon Windeshemense* et le *Liber de reformatione monasteriorum* de JOANNES BUSCH (ed. GRUBE, Halle, 1886).

I. Origine des « Frères de la vie commune ».

Il est assez difficile de dire quand la célèbre société commença d'exister : elle ne fut en effet que le développement du cercle de pieux amis, groupés autour de Gérard Groote, durant les dernières années de sa vie, dans le but de soutenir ses tentatives de réforme. Il sera donc utile de rappeler d'abord l'origine de ce mouvement de restauration, commencé par Groote.

Né à Deventer en 1340, Gérard (ou Geert) étudia d'abord à l'école collégiale de sa ville natale, ensuite à Paris, Prague, Cologne et Avignon. Riche de par son patrimoine et pourvu en plus de grasses prébendes, il avait d'abord mené une vie oisive et mondaine. Mais Dieu lui donna de voir le vide et l'indignité d'une telle vie : en 1374, grâce à un ami d'enfance, Henri van Calkar, prieur de la chartreuse Munnikhuizen près d'Arnhem, il revint à de meilleurs sentiments et se laissa orienter peu à peu vers le mysticisme. Il résigna ses bénéfices, abandonna à la chartreuse d'Arnhem la plus grande partie de son patrimoine et se consacra tout d'abord à la dévotion et à l'étude des livres saints. C'est durant cette époque de sa vie, entre 1374 et 1379, qu'il eut des relations avec le vénérable octogénaire Ruysbroeck de Groenendael et se laissa guider par lui (1).

Mais le mysticisme s'alliait chez Gérard à un ardent esprit de prosélytisme. A l'âge de quarante ans (1379), après avoir employé ce qui lui restait de biens à la fondation d'une maison de retraite pour femmes pieuses (2)

---

(1) Gérard vint à Groenendael avec son ami Johan Cele de Zwolle, mais on ne connaît pas la date exacte ; ce fut probablement en 1377. A la suite de cette visite, Groote traduisit en latin trois *sermones teutonici* du grand mystique sous les titres suivants : *Ornatus spiritualium nuptiarum ; De septem gradibus amoris ; In librum de XII Virtutibus.* On comprend dès lors l'influence que Ruysbroeck a exercée sur Maître Gérard. Cfr. THOM. A KEMPIS, *Vita Gerardi*, cap. X ; AUGER, *o. c.*, p. 170, 275 ; ILL. ac REV. WAFFELAERT, *Notanda quædam utilissima....* supra, *Collat. Brug..* p. 6 ss.

(2) Cette maison de retraite, appelée par le peuple *Meester-Geertshuis*, fut le germe d'une association de « Sœurs de la vie commune ». Ces

et sollicité la permission de son évêque, il se mit à parcourir la Gueldre, la Frise, la Hollande, prêchant en langue vulgaire avec une éloquence entraînante les délices de l'amour divin et tonnant contre les abus du temps (1). L'ardeur de ses convictions ainsi que l'influence de son exemple excitèrent partout, disent ses biographes, le *vehemens desiderium Christum imitandi*, et lui attirèrent bientôt, malgré l'opposition de quelques magistrats et des ordres mendiants, un groupe de disciples enthousiastes non seulement dans le clergé, mais encore et surtout dans la bourgeoisie. Dès l'abord Groote se préoccupa de ne pas laisser perdre les fruits de son apostolat. Quand il séjournait à Deventer, dans l'intervalle de ses voyages, il aimait à s'entourer de quelques amis dévoués, désireux de réaliser sous sa direction la vie de dévotion qu'il prêchait; avec eux aussi il s'appliquait à trouver les moyens d'étendre la *moderna devotio* (2). Plus tard quand l'évêque lui eut interdit la prédication (oct. 1383), il vint séjourner dans la maison de son ami Florent Radewyns, qui sur ses instances avait abandonné sa prébende canoniale à Utrecht et s'était fait vicaire à Deventer. La maison vicariale devint ainsi le centre de la pieuse union; les membres les plus fervents vinrent partager la vie de Gérard et de Florent, soit pour un temps, soit défini-

---

sœurs à l'instar des Frères de la vie commune qui en étaient souvent les directeurs, devaient vivre du travail commun, elles prenaient l'engagement, sans faire de vœux, de garder l'obéissance et la chasteté. Cfr. Acquoy, *o. c.*, I, p. 30.

(1) *Vita Gerardi*, c. VIII.

(2) Cette expression se rencontre souvent dans les écrits de J. Busch, pour désigner tout le mouvement de mysticisme pratique dont Gérard Groote avait été l'initiateur. Le mot *modernus* ne signifie pas toutefois « nouveau », mais bien « existant pour le moment », en flamand: « *thans heerschende* ». Cfr. Acquoy, *o. c.*, I, 325. Sur l'emploi fréquent dans la littérature pieuse de cette époque des termes *devotio, devotus*, voir Mgr Malou, *Recherches hist. et crit. sur le véritable auteur du livre de l'Imitation*, Louvain 1848.

tivement : ce fut le premier groupe des Frères de la vie commune (1). Les textes les plus anciens relatifs à cette année ne nous autorisent pas à dire que Groote a donné une direction et une forme définitives à la pieuse union : il avait fort probablement conçu le plan d'une organisation plus stable, comme il avait également rêvé d'une réforme monastique ; mais il mourut avant d'avoir pu réaliser ses projets (20 août 1384) (2).

L'organisation définitive des *Fraterhuizen* fut l'œuvre de Florent Radewyns, auquel le maître mourant avait laissé la direction du mouvement. Florent fit prospérer la maison de Deventer : sa maison de vicaire ne suffisant plus pour héberger tous ceux qui désiraient s'unir au groupe déjà formé, il acheta en 1391 une maison attenante. Ce fut la première maison que le peuple nomma *fraterhuis*. Entretemps Florent avait eu à lutter contre de grosses difficultés : à mesure que le nombre des *fratres devoti* s'accroissait l'opposition des ordres mendiants devenait plus vive : la pratique des vertus monastiques, sans les vœux dans un ordre régulier, leur paraissait chose impossible. Pour faire tomber ces

---

(1) Maître Gérard était mal vu, cela se comprend, par les mauvais prêtres et moines, les *proprietarii*, les *plurium beneficiorum possessores*, les *focaristæ (concubinarii)* surtout contre lesquels il avait prononcé un terrible sermon à Utrecht ; d'autre part ses recherches inquisitoriales et ses violences contre les hérétiques lui avaient aliéné les magistrats de certaines villes. C'est par les agissements secrets de ces ennemis que le silence fut imposé à Groote vers octobre 1383. Voir Acquoy, *o. c.*, I, 37.

(2) Nous croyons, avec Gerretsen et Schulze, *o. c.*, que le récit de Busch dans le *Chron. Wind*, repris par la plupart des auteurs, est quelque peu dramatisé au détriment de la vérité. D'après Busch les premiers frères vivant en commun auraient été les scribes et copistes que Groote faisait travailler pour lui. Les plus anciens textes ne disent rien de pareil. Gérard Groote s'était bien occupé des élèves de l'école du chapitre et les avait employés à la transcription de manuscrits ; mais ces copistes ne prenaient aucun engagement de rester auprès de lui. Il est cependant vrai que la nouvelle association se recruta souvent parmi les pieux artisans et que plus tard la transcription de livres devint l'occupation principale des frères ; l'union des copistes fut donc une œuvre patronnée par l'association plutôt que l'association même.

clameurs et aussi dans le but de défendre l'association qu'il voulait maintenir, Florent résolut de fonder un monastère ou plutôt une maison régulière avec la règle de Saint Augustin. Le 17 janvier 1387 six *fratres devoti* de Deventer prononcèrent leurs vœux comme chanoines réguliers dans le nouveau couvent de Windesheim.

Les maisons des *Frères* vivant en commun dans le monde, selon la forme primitive, n'en continuèrent pas moins d'exister et de se multiplier. Ce furent d'ailleurs comme autant de pépinières pour les monastères ; et ces deux sortes de maisons restèrent unies par des liens étroits de charité et la participation au même esprit (1).

II. **Caractère de la nouvelle fondation.**

Ce qui caractérise surtout les *Frères de la vie commune* c'est qu'ils n'étaient pas incorporés à un ordre religieux et ne faisaient pas de vœux : les statuts exigeaient seulement une déclaration de bon vouloir. Après un temps de probation plus ou moins long, les nouveaux venus prenaient l'engagement de respecter l'autorité toute paternelle du recteur et de vivre en communauté avec les autres frères, prêtres et laïques, sous une règle de travail et de prière, afin de s'aider réciproquement à servir Dieu dans le détachement du monde et la pratique des bonnes œuvres.

Dans sa forme extérieure l'association se distinguait par un trait essentiel des monastères de l'époque : c'est qu'elle était basée sur l'entretien de la communauté par le travail de ses membres (2).

---

(1) Au concile de Constance, le prieur de Windesheim, Johan Vos, prit vigoureusement la défense des Frères, aidé par D'Ailly et Gerson, contre le dominicain Matthieu Grabow. Voir Acquoy, *o. c.*, I, 236 ; Baudrillart, art. *Constance (Concile de)* dans le *Dict. de Théol. Cath.*, col. 1219.

(2) En 1393, Arnold, abbé du monastère bénédictin de Dickeninge (Drenthe), présenta à l'évêque d'Utrecht une défense des *Frères* contre Grabow. Cette défense comprend la description suivante de la nouvelle association : « In aliquibus partibus plures persone se simul receperunt ad cohabitandum aliquo modo, sicut clerici, in una domo, in quo libros

Le but des Frères resta toujours celui que Gérard Groote avait proposé dès le début à ses amis : pratiquer « la vie parfaite à l'imitation de Jésus-Christ », tout en restant *in sæculo ;* mais aussi travailler à étendre autour d'eux le bon mouvement, par la prédication, la composition et la transcription d'ouvrages pieux, par leurs rapports avec le peuple, et surtout en prenant soin de la jeunesse et plus spécialement de ceux qui se destinaient à la cléricature.

Déjà maître Gérard, depuis sa conversion, s'était occupé spécialement des jeunes clercs et des étudiants pauvres, espérant par eux régénérer la société. Pour leur donner les moyens de subsistance, il les employa à la transcription de manuscrits. C'était en même temps qu'une occupation instructive et rémunératrice, un moyen de propagande devenu nécessaire. Groote en effet ne se contentait pas de jeter la bonne semence par la parole, il voulait la répandre encore par des traités religieux en langue vulgaire et par les traductions d'ouvrages pieux écrits en latin. Cette propagande lui réussit très bien. La lecture des *libri teutonici*, sortis de l'école de Ruysbroeck, popularisa peu à peu le mysticisme, et de plus en plus les âmes délicates

pro precio scribunt, alii vero, non scientes scribere, scientes tamen opera diversa mechanica, quæ similiter exercent, pro precio in alia domo, aut etiam aliud faciunt opus manuale. Et iste persone laborant manibus et de his quæ laboribus acquirunt vel de suis propriis, si que habent, vivunt et omnia sibi invicem pro majore concordia libere communicant vel in commune ponunt; comedunt simul et non mendicant. Habent etiam inter se unam personam probam, que curam domus habet, cujus monitis acquiescunt vel obediunt sicut boni scolares magistro. Et hunc modum vivendi ideo faciunt vel ducunt, ut eo commodius vivant et facilius simul necessaria acquirant, principaliter autem, quia sperant sic vivendo Deo melius placere et illi servire ». Texte cité dans Schulze, *a. c.*, p. 478. On le voit, ce qui sauta surtout aux yeux c'est la *vie en commun*, de là leur nom donné par le peuple; ailleurs on disait *fratres collationum, collationarii, collatiebroeders* (d'après la forme de leurs sermons), *schoolbroeders, apostelbroeders*, etc.; les frères eux-mêmes préféraient s'appeler *fratres devoti, fratres bonæ voluntatis* ou *modernæ devotionis*.

aimaient à se livrer dans le silence et la solitude à la méditation et à des lectures édifiantes, *in een hoeksken met een boeksken*. On comprend que la passion croissante des laïques pour les livres d'édification amena un surcroît de travail pour les scribes, les copistes et les relieurs (1). Gérard Groote avait ainsi un bon nombre de jeunes gens qui travaillaient pour lui : il aimait à s'en occuper, à les instruire et à les préparer soit à la vie du cloître, soit à une vie pieuse dans le monde. Cette œuvre, que nous pourrions appeler en langage moderne « une œuvre d'atelier ou de patronage », les *Frères* la continuèrent sur une plus grande échelle, de telle façon que d'une part la diffusion des livres spirituels, et d'autre part l'instruction ou plutôt l'éducation de la jeunesse devint leur occupation principale. Aussi bien les voyons-nous un peu partout ériger à côté de leurs ateliers, des « convicts » pour étudiants. A Utrecht, à Liége et à Bois-le-Duc ils dirigeaient même une école.

Pour terminer cette réponse, nous aimons à reproduire un extrait du livre de M. l'abbé Auger (2), qui résume bien les tendances dominantes de l'Institut. « Ce qui caractérise l'association des Frères de la vie commune, c'est avant tout la piété, un mysticisme pratique *(moderna devotio)* dont Gérard Groot est l'initiateur et dont Ruysbroeck a donné les bases, en expliquant les exercices de la vie intérieure *(ynnich leven)* : c'est la résignation complète à la volonté de Dieu, basée sur l'humilité ; c'est la fuite du monde et de ses plaisirs, l'amour de la cellule et de sa solitude ; c'est une dévotion pleine d'amour pour Dieu, menant l'âme parfois jusqu'aux suavités de l'extase ».

R. De Schepper.

---

(1) Pirenne, *Histoire de Belgique*, t. II, p. 438 ss.

(2) *O. c.*, p. 282. Voir aussi Thomas a Kempis, *Vitæ discipulorum Florentii*.

VI

Q. *Quelles sont, en dehors des formalités administratives* (1), *les règles pratiques à observer dans l'achat du mobilier d'église?*

R. Faisons d'abord remarquer que les fabriques ne doivent jamais entreprendre des travaux importants d'ameublement ou de décoration, sans avoir préalablement soumis leurs projets à l'approbation de l'autorité diocésaine. Cette observation s'applique également à l'acquisition d'œuvres sculptées ou peintes d'un nouveau modèle, en vue de juger de leur conformité avec l'enseignement et la tradition iconographique de l'Église (2).

Dans l'achat du mobilier, les marguilliers auront égard :

1° *aux prescriptions liturgiques* (3). Celles-ci modèrent la matière, la forme, le nombre des objets nécessaires au culte : ornements d'église (4) et vases sacrés ; elles déterminent les modes de représenter Dieu et les Saints (5) ; elles fixent les règles de la construction et

---

(1) *Collat. Brugen.*, t. XVII, p. 525 ss.

(2) Cf. *Statuta diœcesis Brugen.*, p. 182.

(3) Voir les liturgistes et les canonistes. On consultera avec beaucoup de fruit : S. Caroli Borromæi *Instructionum Fabricæ ecclesiasticæ et supellectilis libri duo*, nouv. édition par E. Van Drival, Paris, 1855; Mgr Barbier de Montault, *Traité pratique de la construction, de l'ameublement et de la décoration des églises*, 2e édit. 2 vol. Paris, 1885; *Statuta diœcesis Brugen., Ordo visitationis ecclesiæ*, p. 46 ss.; *Collat. Brug.*, t. XV, p. 328; Instructions du Card. Fischer de Cologne, parues dans le *Kirchliche Anzeiger*, 1912, n° du 15 février, V. la *Revue d'histoire ecclésiastique*, 1912, t. XIII, p. 391.

(4) V. J. Braun, *Handbuch der Paramentik*, Freiburg-i-B., 1912; *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 94 ss., 358 ss., 473 ss.; C. Callewaert, *Le costume liturgique*. Conférence. V. *La Patrie*, 30 avril et 1 mai.

(5) De Brabandere-Van Coillie, *Jur can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 671; Benedictus XIV, *De Beatificatione et canonizatione Sanctorum*, L. IV, P. 2, c. 21. Const. *Sollicitudini*, 1 oct. 1745, cf. *Bullar. Bened. XIV*, ed. Mech. t. III, p. 235 ss.

de l'ornementation des autels (1), majeurs et mineurs, fixes et portatifs (2).

Lorsque la loi liturgique fait défaut, il faut recourir à la tradition et savoir l'adapter aux besoins et aux usages actuels;

2° *aux exigences de l'art.*

Bien que la valeur artistique du mobilier d'église soit en progrès, on constate toutefois que trop souvent les modèles se répètent avec une monotonie désolante, qu'ils manquent d'inspiration et de fini, pèchent contre les lois des proportions et sont faits sans souci de la place qu'ils doivent occuper et du milieu pour lequel ils sont destinés.

Divers auteurs ont recherché les causes de cette situation (3): c'est le bon marché qui tue le travail consciencieux et artistique, la hâte des ministres du culte à vouloir l'ameublement de leur église achevé en peu d'années, la concurrence des magasins et fabriques de meubles d'église, la décadence des industries d'art, le peu de générosité ou la générosité mal éclairée des fidèles, le manque d'éducation artistique du clergé ou du moins son incurie à prendre le conseil d'hommes de science et de goût.

---

(1) V. *Rev. ecclésiastique de Liége*, 1910-1911, t. VI, p. 25 ss., 95 ss.: *La Vie Diocésaine*, 1908, t. II, p. 270 ss.; *Eucharistisch Congres te Rousselare, 1910, Verslagen*, bl. 97 en 107 vv.; *Besluiten*, bl. 55 vv.; *Rev. liturg. et bénédictine*, 1912, nouv. sér., t. II, p. 346 ss., etc.

(2) V. *Collat. Brug.*, t. VIII, 549; XV, 656; XVI, 34.

(3) Voir le *Bulletin des Commissions royales d'art et d'archéologie*, 1905, p. 240 ss.; 1910, p. 332; 1911, p. 374 ss.; surtout 1909, p. 141 ss., où l'on trouvera un excellent article sur la question, publié par M. De Ceulenner; nous l'avons largement mis à profit; Nève, *Décorations d'églises*, dans *La Revue Apologétique*, 1906-1907, t. VIII, p. 623, 811; 1907-1908, t. IX, p. 60, 200, 342, 645, 762; étude archéologique et esthétique conduisant à des conclusions fort pratiques; diverses contributions de Dom Braun, O. S. B., v. *la Revue liturg. et bénédictine*, 1911, nouv. sér., t. I, p. 573; 1912, t. II, p. 300 ss.; les instructions citées de Mgr Fischer; *Revue ecclés. de Liége*, 1906-1907, t. II, p. 343 ss.; 1909-1910, t. V, p. 92 ss.; Biekorf, 1909, t. XX, p. 349; 1910, t. XXI, p. 42 s. etc.

On a préconisé de nombreux moyens pour doter nos édifices du culte d'un mobilier digne de la Maison de Dieu et proportionné à leur cadre architectural. Nous les résumons dans les considérations suivantes:

a/ A l'église rien ou bien. Les églises monumentales ne devraient recevoir que des meubles de véritable prix et de réelle inspiration. Dans les églises plus simples ne devrait trouver place qu'un mobilier, beau, simple, rationnel et bien construit.

b/ Ne s'adresser qu'à des artistes ou à des artisans d'art, en leur donnant le salaire et le temps, dont ils ont besoin pour mûrir un projet et l'achever dans le détail.

c/ Favoriser les industries d'art, notamment la polychromie, la mosaïque, la céramique (1), la tapisserie etc.

d/ Commander moins de meubles, mais les rénumérer davantage.

e/ Faire dresser un projet d'ensemble du mobilier d'une église nouvelle, dont on ne fera exécuter les parties que successivement, à mesure que la fabrique disposera de ressources suffisantes.

f/ L'autorité compétente, préalablement à l'exécution des travaux, devra exiger un plan développé et détaillé des meubles a exécuter, une maquette-type des statues et des sculptures, et ne les approuver qu'après avoir fait une descente sur place, ou du moins qu'après avoir obtenu des plans de l'église où le meuble doit être placé.

g/ Établir une différence notable entre les meubles principaux et accessoires, entre les autels majeurs et mineurs.

h/ Initier et intéresser le clergé aux choses de l'art, en instituant dans les Séminaires un cours pratique

---

(1) Plusieurs applications fort décoratives de cet art ont été faites en Allemagne et en Hollande. Il semble particulièrement approprié au climat froid et humide des pays du Nord, où les peintures murales sont exposées à se ternir et à s'effriter.

dans lequel on expliquerait et montrerait les conditions de beauté des objets du culte. Lui inculquer la nécessité de prendre le conseil de spécialistes.

i/ Exciter et éclairer la générosité des fidèles.

j/ S'adresser à des artistes ou artisans d'art locaux ou du pays, si toutefois leurs œuvres se recommandent par de sérieuses qualités de construction et de style.

3° La qualité et le nombre, la matière et la forme des meubles à acquérir, de même que le moment de leur acquisition dépendent de circonstances concrètes, telles que : la nécessité et l'utilité de ces travaux ; l'usage des lieux ; l'importance, le style, les conditions de construction des édifices ; enfin les ressources de la fabrique (1).

A. De Meester.

(1) Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 472 ; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1088.

MISCELLANEA

I

De Appendice I ad Decreta authentica S. Rit. Cong.

Norunt omnes decreta a S. Rituum Congregat. emanata in unum fuisse congesta et edita in Collectione cui titulus: « *Decreta authentica Cong. S. Rituum ex actis ejusdem collecta ejusque auctoritate promulgata sub auspiciis Leonis PP. XIII* ». In hoc opere, quod 5 voluminibus constat, inserta fuerunt decreta numero 4051, ab institutæ Congregationis (22 jan. 1587) primordiis usque ad finem anni 1899 (1).

Ante paucos menses desideratissimum apparuit operis volumen sextum seu *Appendix I* exhibens decreta « ab anno 1900, num. 4052, ad annum 1911 num. 4284 ».

Et sicut Leo XIII priorem « Collectionem... authenticam declaravit, simulque statuit decreta hucusque evulgata in iis quæ a decretis in hac Collectione insertis dissonant, veluti abroganda esse censenda », ita Pius X « decreta quæ in volumine sexto continentur, *prout in eodem volumine apponuntur et Indice explicantur*... authentica declaravit » (24 apr. 1912).

Revera *Index generalis* (p. 130-177) ita est confectus ut non solum indicet quanam de re agatur in decretis, verum etiam decretorum substantiam exhibeat imo et eorum sensum aliquatenus dubium explicet (2). Qua de re nullus non gaudebit qui rubricarum studio incumbit.

---

(1) *Quartum* volumen exhibet *Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum* et *suffragia atque adnotationes super decretis S. Rit. Cong.* In *quinto* autem vol. exhibetur amplissimus *Index Generalis.*

(2) Exemplum vide infrà, p. 672.

Ast, et *in ipsis decretis* nonnulla sunt mutata, magis determinata aut emendata (1). Quod nemo mirabitur. Hoc autem et mirum et ingratum videbitur multis, nec immerito, quod illæ mutationes ita sint inductæ ut novitas lectoribus ne minimo verbulo aut signo innotescant (2)!

Quo magis opportunum judicavimus nonnulla saltem ex magis practicis mutationibus cum lectoribus communicare.

I. De **hora anticipandi Matutinum** existebat, ut notissimum est, celebris controversia tum de fundamento tum de extensione liceitatis anticipandi Matutinum, utrum nimirum universim liceret inchoare Matutinum hora secunda, an vero iis tantum in locis ubi hujuscemodi vigebat consuetudo. Absque ullo strepitu nunc res dirempta est. Reformavit enim S. Congr. decretum diei 12 maii 1905 (3), nunc sub n. 4158:

I. « Utrum, in privata recitatione, Matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellæ Directorii diœcesani, omni tempore » R. ad I « *Consulantur probati auctores* ».

Nunc vero responsum est: « *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam » (4).

II. **De modo incensandi** plura moventur dubia.

Notandum imprimis est decreta et auctores in actu

---

(1) Ita expuncta sunt e variis decretis nonnulla dubia quia inutilia aut non convenientia recentiori disciplinæ v. g. in decr. nn. 4070; 4074; 4235; 4271; in aliis, claritatis gratia, emendatum est aliquod dubium v. g. n. 4077, ad V; aut inserta sunt quædam minoris momenti puta in resp. ad II, n. 4197.

(2) Fortuito ita primo animadvertimus mutatum fuisse decretum diei 31 mart. 1909, ad VII (ap. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 493 ss.), nunc sub n. 4235, ad V, ubi penitus retractatur explicatio de loco quo dicenda est oratio *Fidelium* pro defunctis, explicatio quæ jam locum cedit interpretationi novæ datæ Decreto generali diei 12 jun. 1912. De his cf. *Collat. Brugen.*, suprà p. 464, nota 1 et p. 599.

(3) Quod vide ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 510 ss.

(4) In responso ad II ejusdem decreti (*Collat. Brug.*, t. X, p. 511) omittuntur nunc verba: « nisi habeatur Indultum ».

thurificationis distinguere thuribuli *ductum* et *ictum*. Et licet in his describendis non conveniant omnes, apte tamen videntur explicari in *Cæremoniali Romano-Seraphico* O. Frat. Min., a S. R. C. probato: « *Ductus* thuribuli in eo consistit quod thurificans ipsum thuribulum, ad altitudinem cinguli fere sustentum, versus rem vel personam incensandam attollendo ducit et reducit. *Ictus* vero qui insuper pro singulo ductu præscribitur, in eo consistit ut statim ac thuribulum usque ad altitudinem superioris pectoris elevatum fuerit, quidam motus ulterior cum ipso thuribulo ad objectum thurificandum perficiatur. Quando igitur pro unoquoque ductu thuribuli *duplex ictus* fieri debeat, iste motus thuribuli elevati bis sine mora peragitur, quo peracto thuribulum infra pectus dimittitur, ut pro secundo vel et tertio ductu iterum attollatur *(ductus)* et bis eodem modo moveatur *(ictus)* » (1).

A. De numero « ductuum » satis conveniunt auctores ex rubricis et decretis. Incensare nimirum oportet:

1/ *Triplici ductu:* SS. Sacramentum expositum, (n. 3086, 3), crucem altaris, reliquiam S. Crucis aut Passionis (n. 3201, 2), imaginem aut statuam Personæ divinæ (n. 3288), Episcopum etiam extra diœcesim (n. 156, 4), celebrantem (n. 216) (nisi assistat Episcopus in throno).

Insuper liber evangeliorum (2), res benedicendæ, (v. g. candelæ, cineres, palmæ) (3), populus in globo (n. 3539, 2) thurificantur triplici ductu seu ter: a/ in medio, b/ a dextris objecti, c/ a sinistris objecti (seu a dextris incensantis).

2/ *Duplici ductu:* reliquias et imagines Sanctorum (n. 2535), ministros paratos, prælatos non Episcopos

---

(1) Cf. *Collat. Namurc.*, 1912, t. IX, (1912-1913) p. 46. Cf. Van der Stappen, *De celebrat. Missæ*, q. 286.

(2) *Rit. celebr. Miss.* VI, 5.

(3) Cf. Missale propriis locis.

(n. 156, 4), canonicos (nn. 329, 1571, 1773, 4; 3110, 20) et celebrantem, assistente episcopo.

3/ *Simplici* seu *unico ductu:* viros ecclesiasticos qui singillatim incensantur (n. 1779).

De incensandis altari et oblatis sunt speciales regulæ.

B. De numero autem « *ictuum* » magna erat incertitudo et diversitas quibus occurrere intendebat dubium sequens (nunc sub n. 4056, ad II).

II. « Thurificatio SSmi Sacramenti publice expositi et Canonicorum perficienda est *duplici ictu in quolibet ductu,* juxta decreta S. Marci n. 3110 d.d. 22 martii 1869 ad XX, et Minoricen. n. 4048 d.d. 24 novembris 1899, ad IX. Quæritur ergo: 1° Utrum idem observandum sit in thurificatione Crucis altaris, sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum ante cantum Evangelii in Missa solemni, Episcopi, celebrantis, ministrorum, beneficiatorum, aliorumque de choro et altari, iis exceptis qui non sigillatim incensantur? 2° Perficine debent duplici ictu ductus in thurificatione altaris, et in solemni benedictione candelarum, cinerum et palmarum » — Resp. ad II. « Quoad primam partem quæstionum serventur Decreta; quoad reliqua et secundam quæstionem servetur consuetudo ». Die 29 maii 1900 (1).

In nova autem Coll. responsum est: « *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam ».

Ex quo videtur posse statui regula quædam generalis ut unusquisque ductus absolvatur:

1/ *duplici* ictu in incensandis: a/ *personis* quibusvis quæ singillatim et non in globo incensantur (nn. 4048, 9; 4057, 2); b/ SS. Sacramento, cruce altaris, reliquiis et sacris imaginibus, libro evangeliorum (n. 4057, 2), uno verbo, omnibus rebus ad quas incensandas oportet thuribulum in altum projicere.

2/ *Unico* ictu in incensatione: a/ personarum in globo; b/ altaris, oblatorum, candelarum, cinerum,

(1) Cf. *Ephem. Liturg.* 1900, p. 533. In eodem decreto n. 4056, ad dubium IV, de vesperis in festo S. Laurentii, pars negativa responsi in affirmativam et pars affirmativa in negativam mutata est!

palmarum (n. 4057, 2), ceterarumque rerum quæ non in alto elevantur.

III. In decreto de **usu lucis electricæ** in ecclesiis (nunc n. 4206), jam non urgetur prohibitio lucis electricæ et obligatio candelarum vel lampadum *coram imaginibus Sanctorum*. Verba « aut imaginibus » e textu ap. *Collat. Brugen.* t. XIII, 224, edito, expuncta fuerunt.

IV. De **ornatu albæ** exstat responsum diei 25 maii 1906 (1) quod nunc (n. 4186, 3), ita mutatur: « Regulariter color fundi colorati respondere debet colori vestis et respectivæ extremitatis manicarum quo uti potest unusquisque celebrans vel Minister ».

V. De **reverentiis** præstandis a Celebrante qui « transit ante aliud altare in quo tunc Missa celebratur et est consecrationem inter et communionem », S. Cong. die 20 maii 1904, in una *Rhemen.* ad II (2), absolute declaravit ipsi non esse genuflectendum. Nunc autem additur rationabilis restrictio: « *nisi ultro, id est nulla facta inquisitione, momentum advertatur* » (3).

Hoc responsum ita plene exponit *Index generalis*, v° genuflectere:

« Genuflectere non debet Sacerdos, qui, sive ad altare procedat Missam celebraturus, sive redeat celebrata Missa, transit ante aliud Altare in quo Missa celebratur, et est inter consecrationem et communionem; at dexterum genu flectat si ultro, scilicet nulla facta inquisitione, tempus inter consecrationem et communionem advertatur; si autem elevatur Sacramentum, utrumque genu flectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam celebrans deposuerit calicem super Corporale; si vero ministratur Communio, utrumque genu flectat; detecto capite SS. Sacramentum adoret, et surgat ».

---

(1) Quod vide ap. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 446.

(2) Ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 670.

(3) Ex quo elucet rationem a nobis olim indicatam cur sit abstinendum a genuflexione et reverentiis reverentiis revera hanc ese: quia debet procedere « *oculis demissis* ». *Collat. Brug.*, t. IX, p. 673 et XIV, 527.

VI. Ex decreto 8 junii 1911, ad IV, genuflexio duplex seu utroque genu facienda erat a celebrante qui in vesperis solemnibus coram SS^mo exposito, a scamno accedit ad altare thurificandi gratia ad *Magnificat*. Qua occasione notavimus (1) hanc præscriptionem minus logice cohærere cum regula generali et modo agendi in missa coram SS^mo celebrata. Et nunc dubium IV et responsum ad IV quibus infausta illa exceptio fuerat inducta, fuerunt expuncta ex citato decreto sub n. 4271 posito.

VII. Jam pluries ostendimus his ultimis temporibus majorem concedi libertatem accommodandi textum defunctis pro quibus oratur et exprimendi eorum nomina (2)! Hæc doctrina omnino confirmatur reformatione decreti 14 junii 1901, sub n. 4074 cujus responsum ad dubium VII (olim IX) ita est mutatum:

IX. « Si missa de *Requiem* legatur pro *uno* et *una* defunctis, an liceat mutare orationem hoc modo: » « animabus famuli tui et famulæ tuæ? »

R. ad IX « Negative ».

Nunc autem responsum est: « Dicatur « famuli et famulæ tuæ » quando non exprimuntur nomina, secus dicatur « famulorum tuorum ».

VIII. Decretum sub n. 4081, in una *Vicentina* diei 20 augusti 1901 (quod vide ap. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 46) habet nunc sequentia responsa:

1/ de ps. *De profundis* recitando post absolutionem ad tumulum: « Ad III. Psalmus cum antiphona *Si iniquitates* dicatur in reditu ad sacristiam, in qua deinde persolventur preces *Kyrie eleison* etc. cum oratione *Fidelium* etc. ».

2/ de *Dominus vobiscum* cantando ante orationes in Laudibus SS. Sacramenti: « negative, juxta alias decreta ».

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 609.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 57-63; XIV, 630 s.

Hæc tantum per modum exempli. Ex quo elucet quanta prudentia sit recurrendum ad antiqua decreta quin inspiciatur textus Collectionis authenticæ!

C. CALLEWAERT.

II

Circa Dispensationem super affinitate legitima in linea recta.

Apud *Collat. Brug.*, t. XII (1907), p. 121 s., notavimus frustrà sollicitari dispensationem super impedimento *affinitatis legitimæ in primo gradu lineæ rectæ:* praxim nimirum S. Sedis firmam ac constantem esse ut illud impedimentum, quantumvis juris merè ecclesiastici, non relaxetur, ac imo praxim hanc adeo urgeri ut etiam ultra primum gradum vix unquam dispensetur.

Quod autem spectat dictum *primum gradum*, severitas et uniformitas absoluta normæ hucusque servatæ innotescit ex variis documentis l. c. invocatis.

Ita BENEDICTUS XIV, *De Synodo diœces.*, l. XI, cap. 13, n. 4: « quidquid sit, ait, de potestate (dispensandi in affinitate legitima lineæ rectæ, in 1° gradu), a simili dispensatione RR. PP., etsi pluries rogati, abstinuerunt ». Quod præprimis confirmat *Causa Leodien.*, coram S. C. C. soluta die 28 Maii 1796 (1). Vicarius Generalis Leodiensis, absente Episcopo, et impedito, ob Gallorum incursionem, ad S. Sedem recursu, dispensaverat in ordine ad matrimonium a vitrico ineundum cum privigna, filia scil. uxoris defunctæ, quam privignam carnaliter cognoverat et probabiliter impregnaverat. Noluit autem S. Congregatio dispensationem illam confirmare et matrimonium convalidare, non obstantibus instantissimis precibus, quan-

(1) *Thesaurus resolutionum S. C. C.*, t. LXV, p. 111 ss.

tumvis certum fuerit sponsam non fuisse natam ex commercio sponsi cum sponsæ matre, quamvis etiam interea temporis proles fuerit concepta ex pseudo-matrimonio contracto. In *Folio* autem, quod cæteroquin, attentis specialissimis adjunctis, potius favebat dispensationis concessioni, notatur hujus gratiæ elargitioni obstare « quod centies a S. Pontifice implorata, toties ab ipso, de voto etiam S. Inquisitionis, fuit denegata, licet a magnis principibus petita et copula inter affines intercisset (1). Huc pariter spectat *Causa Malacitana*, 16 Junii 1894 (*Acta S. Sedis,* XXVII, p. 242 ss.), cujus summarium retulimus l. c.; adde etiam factum narratum apud *Acta S. Sedis*, II, p. 127, et *ibidem* compendiosè relatum, necnon Instructiones C. S. O. 9 Dec. 1874 (*Collectanea*, n. 1242) et 20 Febr. 1888 (*Collectanea*, n. 1171), quo altero loco ab amplissimis facultatibus, in gratiam moribundorum concessis, excipitur impedimentum affinitatis legitimæ in linea recta.

Porro, in ultimo fasciculo periodici *Nouv. Rev. theol.*, p. 528 ss., adducit *R. P. Vermeersch* duplex factum dispensationis recens concessæ super descripto impedimento: *primum* scil., dispensationis impertitæ in gratiam diœceseos Hagulstadensis et Novocastrensis, per rescriptum, cujus integer tenor exhibetur (2), diei

(1) Citantur tamen, juxta *Rigantium,* duo exempla antiquiorum temporum, quibus dispensatio, de qua in casu, videtur fuisse impetrata, exempla nempe « de Juditha Caroli Calvi Francorum regis filia nupta privigno, et de sorore Theoberti nupta item privigno Varnorum principi ».

(2) Beatissime Pater,

Joannes T. et Rebecca St. diœcesis Hagulstadensis et Novocastrensis, ad pedes Sanctitatis vestræ provoluti, dispensationem perhumiliter petunt ut matrimonium inter se licite contrahere possint, non obstantibus impedimentis affinitatis in primo gradu et publicæ honestatis.

Res ita stat:

Joannes T. matrimonium contraxit cum muliere, nomine St., jam matre filiæ, ex copula inhonesta, nomine Rebeccæ St.

Ex his nuptiis nati sunt 3 aut 4 pueri et mortua est uxor Joannis T. Anno vero 1907, Joannes matrimonium civile contraxit cum Rebecca St., bona in fide quod ad dirimentiam ex affinitate ortam.

2 Decembris 1911; *alterum*, dispensationis elargitæ in gratiam diœceseos cujsdam Americæ, vivæ vocis oraculo, abhinc 8 annis, quod Auctor ex ipso Episcopi ore excepisse testatur.

En igitur gravem et inexspectatam mutationem introductam, non quidem in doctrina, sed in disciplina matrimoniali, pristina severitate non parum mitigata. Juvat autem, pro rei momento, quædam notanda proponere circa memoratum rescriptum et circa modum agendi in difficilioribus adjunctis:

1° Gratia fuit impetrata via plane extraordinaria et præter normam. Notum est enim quod, juxta novam œconomiam Curiæ Reformatæ, ad tramites Constitutionis *Sapienti Consilio*, ablata est a S. Pœnitentiaria omnis potestas dispensandi super impedimentis fori externi, horum dispensatione, exceptis excipiendis, reservata S. Congregationi de Sacramentis. Ideo etiam Ordinarius recursum instituit ad hanc S. Congregatio-

---

Certum est et probari potest Rebeccam non esse filiam Joannis. Ex his secundis nuptiis nati sunt duo pueri.

Causæ sunt: 1/ Legitimatio prolis. — 2/ Majus bonum prolis quæ, adhuc infantes, patris et matris cura maxime indigent. — 3/ Ad cohonestandum statum Joannis et Rebeccæ. — 4/ Ad sedandum scandalum ortum ex cohabitatione partium quæ jam propter educationem prolis vix separari possint.

Responsum S. Pœnitentiariæ:

Sacra Pænitentiaria, mature consideratis peculiaribus adjunctis in casu expositis, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente Ss. Dno Nro Pio Pp. X, Tibi Dilecto in Christo oratorum Ordinario facultatem concedit, si ita sit, super recensitis in precibus impedimentis cum oratoribus benigne dispensandi, ad hoc ut ipsi, omissis proclamationibus sed remoto scandalo, servatis in reliquis canonicis præscriptionibus, matrimonium contrahere, in eoque remanere, licite ac libere valeant, prolemque sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam declarandi ac respective nuntiandi. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Præsentes autem litteræ, cum attestatione impertitæ executionis, in cancellaria episcopali caute custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 2 Decembris 1911.

nem, a qua repulsam passus, preces porrexit ad S. Pœnitentiariam; hæc autem, prævie munita specialissimis facultatibus Sedis Apostolicæ, uti in rescripto inseritur, censuit gratiam impertiendam.

2° Attendendæ sunt speciales circumstantiæ in supplici libello memoratæ (1):

a/ Agitur de matrimonio jam civiliter contracto, instaurata vita conjugali et prolibus jam natis. Quæ sane gravissimam et omni exceptione majorem causam constituunt dispensationis.

b/ Sollicitatur dispensatio in ordine ad matrimonium ineundum a vitrico (stiefvader) cum privigna (stiefdochter): quod natum est facilius concedi quam matrimonium inter novercam (stiefmoeder) et privignum (stiefzoon): quia in hoc altero casu ordo reverentiæ intervertitur, cum per hujusmodi matrimonium noverca, quæ personam gerit matris, subdita evadat privigno, qui locum tenet filii.

c/ Sponsa est filia *illegitima* uxoris defunctæ sponsi: unde affinitas in casu, licet sit et equidem maneat legitima, utpote quæ nititur copula legitima habita

(1) Quod attinet *formam* rescripti et *clausulas* insertas, sufficit hæc pauca advertere. Ipsa S. Sedes non est quæ elargiatur dispensationis gratiam, sive in forma gratiosa, sive in forma commissoria: Ordinario conceditur facultas dispensandi in casu particulari (cfr *Normæ Peculiares*, cap. III, n. 3 et 4, coll. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, ed. 2ª, n. 346, 4°). Matrimonium contrahendum præscribitur omissis proclamationibus, sed remoto scandalo, quatenus nempe prudenter innotescat fidelibus sponsos esse legitimè junctos nec adeo locus amplius sit offensioni ex ipsorum cohabitatione. De cætero servandæ monentur canonicæ præscriptiones in matrimonii celebratione, quatenus scil. in forma contrahant Decreti *Ne temere*, cum agatur de impedimento fori externi, licet secretò et privatim. Peculiari tenore præcipitur ut dispensationis rescriptum, simul cum executionis attestatione, in cancellaria episcopali custodiatur; et in hoc quidem, ut videtur, insistitur quia agitur de dispensatione, cujus existentia, attenta ejus extraordinaria et abnormi indole, posset in dubium vocari, simul cum matrimonii validitate et prolis legitimitate; hæc cautela etiam spectare posset casum quo opportunum judicetur matrimonium in communi libro matrimoniorum non referre.

inter sponsum et sponsæ matrem, importare censetur minorem indecentiam respectu matrimonii ineundi, quam si sponsa filia fuisset legitimè concepta ex sponsi uxore defuncta.

d/ In tuto est absolutè posita conditio semper salvanda, quod sponsa certissimè non fuerit nata ex commercio matris cum præsenti sponso: non posset namque S. Sedes nec unquam vellet nuptias permittere nisi remoto vel ipso periculo hujusmodi nefandi incœstus.

Hisce omnibus attentis, ex una parte non est concludendum quod exinceps pateat de plano recursus pro dispensatione super affinitate legitima lineæ rectæ; manet hucusque res ad minus extraordinaria et extra normam posita, idque jure meritissimo, cum ex hujusmodi conjunctionibus graviter offendatur honestas publica. Ex alia tamen parte, in desperatis adjunctis, in urgentissimo casu, matrimonio jam contracto a quo partes absque gravissimo incommodo recedere nequeant, possent in extremis extrema tentari, recursu habito ad S. Sedem pro dispensatione, saltem si agatur de matrimonio inter vitricum et privignam, signanter illegitimè natam.

Ulterius autem attendenda manet, in nostris regionibus, dispositio *Codicis civilis*, ad art. 161: « En ligne directe le mariage est prohibé (1) entre tous les ascendants et descendants, légitimes ou naturels, et les alliés dans la même ligne ».

Circa quam dispositionem matrimonii civilis irritativam, nota *primò* illam afficere affinitatem ex matrimonio ortam inter conjugem et compartis prolem etiam *naturalem* (2), cujus filiatio est legaliter ad hoc pro-

---

(1) Hæc prohibitio est intelligenda cum clausula *irritativa*, sensu exposito apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 606.

(2) Ita interpretes juris civilis communiter. Cf. LAURENT, *Principes de droit civil*, Bruxelles, 1876, II, n. 351; V. THIRY, *Cours de droit civil*, 1892, I, n. 342; AUBRY ET RAU, *Cours de droit civil français*, Paris, 1872, V, p. 57

bata (1); *secundò* non esse respectu dicti impedimenti locum dispensationi regiæ: tenore namque legis 23 Aprilis 1827 et 28 Februarii 1831 (2), restringitur potestatis regiæ exercitium ad solum impedimentum affinitatis *in linea collaterali* (3).

A. De Smet.

Dicitur in textu: affinitas *ex matrimonio orta;* quia plerique Auctores negant, coram jure civili, agnosci affinitatem ex commercio illicito, quemadmodum illa agnoscitur in jure canonico. Cf. Laurent, l. c.; Thiry, o. c., n. 243, et alios ibidem citatos, contra Aubry et Rau, l. c., p. 58, ubi hic laudatus jurisperitus affinitati ex matrimonio exsurgenti assimilat, coram foro civili, affinitatem ex copula fornicaria, modò de hujus existentia legaliter constet: quæ probatio, in nostro jure Belgico, sub nova disciplina legis diei 6 Aprilis 1908, magis obvia est facta et faciliòr. Cf. nostrum Tractatum: *Les Fiancailles et le Mariage*, n. 149.

(1) Cf. Laurent, o. c., n. 350. Nota quod de filiatione regulariter constet vel per spontaneam agnitionem ex parte parentum, vel per declarationem judicialem judicis; alia etiam via, in nostro jure, probari potest filiatio *in ordine ad constituendum impedimentum matrimonii,* in casu scil. art. 304b, quando, juxta novam legem 6 Aprilis 1908, admittitur proles ad urgendam actionem alimentariam.

Hæc autem spectant solas proles *simpliciter naturales;* proles nempe adulterinæ vel incestuosæ non possunt legaliter agnosci, nec spontaneè nec judicialiter, neque etiam admittuntur ad instaurandam actionem alimentariam; quodsi tamen exceptionaliter et accidentaliter constat de earum filiatione, obnoxiæ sunt impedimento matrimoniali.

(2) Tenorem exhibent *Collat. Brug.*, t. XII, p. 122.

(3) In casu igitur quo contingeret inter vitricum et privignam permitti transitum ad nuptias, relaxato per dispensationem impedimento canonico affinitatis, specialis difficultas adesset, in nostris regionibus, ex eo quod ineluctabile et indispensabile impedimentum obstaret matrimonii sic dicti civilis celebrationi, quæ celebratio urgetur matrimonio canonico præmittenda. Eadem cæteroquin difficultas existeret respectu matrimonii ineundi inter quoscumque affines lineæ rectæ, etiam ultra primum gradum.

S. Congregatio S. Officii

(SECTIO DE INDULGENTIIS)

I

Conceditur indulgentia plenaria in honorem Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, primo sabbato cujuslibet mensis lucranda (1).

(Ex audientia Sanctissimi, die 13 junii 1912).

Sanctissimus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, ad augendam fidelium devotionem erga gloriosissimam Dei Matrem Immaculatam, et ad fovendum pium reparationis desiderium, quo fideles ipsi cupiunt quandam exhibere satisfactionem pro execrabilibus blasphemiis quibus Nomen augustissimum et excelsæ prærogativæ ejusdem beatæ Virginis a scelestis hominibus impetuntur, ultro concedere dignatus est, ut universi qui primo quolibet sabbato cujusvis mensis, confessi ac sacra Synaxi refecti, peculiaria devotionis exercitia in honorem beatæ Virginis Immaculatæ in spiritu reparationis ut supra, peregerint, et ad mentem summi Pontificis oraverint, Indulgentiam plenariam, defunctis quoque applicabilem, lucrari valeant. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

II

DECRETUM

Circa indulgentias festis Beatorum adnexas (2).

Supremæ sacræ Congregationi S. Officii sequentia propo-

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, t. IV, p. 623.
(2) *Acta Apost. Sedis*, 1912, t. IV, p. 624.

sita sunt dubia, quæ versantur circa indulgentias in festis Beatorum concessas, quando hæc transferuntur, nimirum:

I. An, translato in perpetuum festo alicujus Beati quod externa solemnitate non gaudet, transferatur quoque indulgentia concessa ecclesiis Ordinis regularis in casu tantum quo hujusmodi indulgentia concessa sit intuitu Beati ejusque expresso nomine, an etiam in casu quo non fuerit concessa intuitu Beati, id est non ejus expresso nomine, sed tantum affixa diei qua ejus festum celebratur?

II. Et quatenus affirmative ad primam partem: Num translatio locum habere debeat, tam si festum pro universo Ordine, quam si pro aliqua tantum regulari provincia vel singulari conventu peragatur?

III. Num translatio indulgentiæ locum habeat, si reposito in aliam diem fixe festo Beatorum, eorum solemnitas externa in antiquo die, ut ante officii repositionem perpetuam, affixa perseveret in populo?

IV. An quando festum Beatorum ordinis S. Francisci celebratur a variis familiis franciscalibus, non tamen eodem die sed diverso, Tertiarii sæculares lucrari valeant indulgentiam eidem festo adnexam, die quo festum illud celebratur ab ea familia cui ipsi subsunt, etiam si in proprio indulgentiarum summario alio die adquirenda designetur?

V. An Tertiarii, si eorum sodalitas erecta est in ecclesiis franciscanis quæ festa Beatorum impedita in aliam perpetuo diem translata celebrant, in die tantum translationis indulgentiam plenariam consequi valeant?

VI. An Tertiarii, qui ecclesiam ubi sodalitas erecta sit non habere possunt, ideoque valent indulgentiam ejusmodi in qualibet ecclesia franciscali promereri, possint pluries eandem indulgentiam adquirere, si festa in diversis ecclesiis diverso die fixe recolantur?

Quibus dubiis mature perpensis, Emi Patres una mecum generales Inquisitores, feria IV, die 12 junii 1912, dixerunt:

Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

Ad II. Servetur Decretum S. C. Indulgentiarum. *Januen.*, 12 januarii 1878.

Ad III. Negative, juxta Decretum S. C. Indulgentiarum, *Urbis et Orbis*, 9 augusti 1852.

Ad IV. Poterunt Tertiarii, pro lubitu, eam lucrari die in summario designato, vel die quo festum recolitur ab ea familia cui ipsi subsunt: ita tamen, ut semel tantum a singulis indulgentia adquiri possit.

Ad V. Provisum in præcedenti.

Ad VI. Negative.

Et feria V, die 13 iisdem mense et anno, Ss^mus^ D. N. D. Pius divina providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, supra relatas resolutiones E^morum^ Patrum benigne approbare dignatus est.

L. ✠ S. M. Card. Rampolla.
† Donatus, Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

III

DECRETUM

De indulgentiis pio Viæ Crucis exercitio adnexis (1).

Pium *Viæ Crucis,* ut aiunt, exercitium, ad salutiferam sanctissimi D. N. Jesu Christi Passionem recolendam, a Romanis Pontificibus enixe commendatum ac pluribus indulgentiis ditatum fuisse neminem latet. Et quoniam non semper nec ab omnibus, erectas regulariter Stationes obeundo, peragi illud poterat; non defuit apostolica Sedes, pro iis qui aut infirma valetudine aut alia justa causa impedirentur, brevioribus precibus, ante simulacrum Ss^mi^ Crucifixi per Fratres Minores — queis ex privilegio apostolico pii ejusdem exercitii moderamen spectat — ad hoc benedictum recitandis, easdem indulgentias adnectere.

Cum igitur per hujusmodi concessionem omnium fidelium utilitati satis consultum fuerit; E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV, die 8 maii currentis anni, omnibus mature perpensis, consulendum Ss^mo^ decreverunt, ut quascumque alias, præter mox memoratam, hac super re concessiones, nominatim vero quæ *Coronas*, quas vocant, *Viæ Crucis* respiciunt, revocare, abrogare ac penitus abolere dignaretur: insimul declarando,

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1912, t. IV, p. 529.

facultates omnes, Coronas supradictas hunc in effectum benedicendi, sacerdotibus quibuslibet, tam sæcularibus quam regularibus, in præstantioribus etiam dignitatibus constitutis, hucusque, quomodocumque impertitas, statim ab hujus Decreti promulgatione, nullius amplius esse roboris.

Et sequenti feria V, die 9 ejusdem mensis et anni, sanctissimus D. N. Pius divina providentia Pp. X, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, E^morum^ Patrum votis annuens, propositam ab eis resolutionem, suprema Sua auctoritate, in omnibus et singulis adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus S. Officii, die 24 julii 1912.

L. ✠ S. M. Card. RAMPOLLA.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

Annotatio. Unicum igitur post hoc decretum remanet objectum quod substitui possit stationibus viæ crucis et cui omnes hujus exercitii indulgentiæ adnecti possint, prominens nimirum imago Jesu Christi cruci affixi. Hujus autem benedictio Fratribus Minoribus S. Francisci (et sane sacerdotibus ab iis rite delegatis) reservata est (1).

Abrogatæ vero sunt omnes aliæ concessiones benedicendi scil. alia quædam objecta ad hunc usum, aliis sacerdotibus præter Fratres minores factæ (2) in specie facultas benedicendi ad hunc effectum *coronas* quas vocant *Viæ Crucis*. Hisce igitur coronis nullæ jam indulgentiæ adhærent nisi ratione appositi crucifixi a Fratribus Minoribus vel sacerdotibus ab his delegatis benedicti.

A. Legrand.

---

(1) Hæc facultas obtineri potest a Curia Franciscali de Unione Leoniana. (Roma, S. Antonio, Via Merulana).

(2) Cfr. *Ephem. liturg.*, 1912, p. 619 ss., coll. p. 280 sq.

IV

DECRETUM (1).

Conceditur orationem « Obsero etc. » (2) recitantibus, remissio defectuum et culparum quas in sacrosanctæ Missæ sacrificio litando contraxerint.

Quod jam superiori tempore a plurimis spectatæ pietatis sacerdotibus actum apud apostolicam Sedem reperitur, nunc iterum innovatum est, ut nimirum supplices exhiberentur preces, ad obtinendam in favorem recitantium, post Missæ Sacrificium celebratum, vulgatam devotissimam orationem *Obsecro te, dulcissime Domine* etc., remissionem defectuum et culparum in eo litando ex humana fragilitate contractarum: quemadmodum a s. m. Leone Pp. X pro recitantibus orationem *Sacrosanctæ* etc. post divinas Laudes indultum est. Has preces, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii die 29 augusti 1912 impertita, humiliter porrectas Ss^mus^ D. N. Pius div. prov. Prov. Pp. X peramanter excepit, et concedere dignatus est ut sacerdotes omnes, præfatam orationem post oblatum divinum Mysterium recitantes, optatam, ut supra, remissionem, rite dispositi, ac, nisi impediantur genuflexi, consequi valeant; simulque declaravit, Indulgentiam trium annorum, a s. m. Pio Pp. IX, die 11 decembris 1846, prædictæ orationi adnexam, in suo robore permanere. Præsenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Adsessor S. O.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. IV, 1912, p. 642.

(2) Vide textum in *Florilegio*, p. 60. Oratio ad Christum. Invenitur quoque in multis Missalibus et Breviariis inter preces in gratiarum actionem post missam usitatas.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Mgr **Sentroul**. *La philosophie religieuse de Kant*. (Collection « Science et Foi »). Bruxelles, Action catholique, 1911. In-16, 95 p. Fr. 0,50.

Ces pages — réédition, corrigée, d'une étude parue dans la *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, en 1910 — débutent par cette excellente remarque: « Le kantisme est moins pernicieux par les erreurs qu'il introduit dans les esprits que par la déformation générale qu'il leur fait subir » (1)... Cette déformation consiste en ce que Kant « atténue et exténue la notion même de vérité logique... qu'il d'épouille de sa valeur représentative de l'ordre objectif ét réel » p. 7. C'est à démontrer cette thèse que l'A. consacre la première partie de son opuscule: il expóse successivement: la théorie kantienne de la vérité; le parallèlisme entre la philosophie spéculative et la philosophie pratique de Kant; le primat de la raison pratique; le vice radical du kantisme.

L'article premier constate que Kant a employé deux formules pour définir la vérité, mais celle qui exprime nettement sa pensée et s'accorde avec sa théorie pose l'essence de la vérité dans la *normalité de la connaissance;* d'où la conclusion de l'A: « Pour Kant, la vérité c'est la normalité du jugement synthétique *a priori*; ellè ne comporte, quant au monde extérieur, qu'une objectivité relative » p. 16. — Dans les art. 2 et 3 l'A. expose comment Kant a tenté de sauvegarder une certaine connaissance et une certaine certitude, en établissant le primat de la raison pratique, basé sur « l'impératif catégorique qui d'après Kant s'impose avec évidence à la conscience et l'oblige à admettre une série de conséquences ultérieures » p. 39. — L'art. 4, le plus important, nous donne une étude pénétrante dont la conclusion constitue la thése suivante: le vice radicale du Kantisme consiste précisément dans le primat de la raison pratique, c'est-à-dire dans la thèse qu'il y aurait *deux* raisons et surtout dans l'interversion de la prééminence normale des deux raisons » p. 38. Kant établit deux raisons: la raison *spéculative* et la raison *pratique;* la première n'a pas de valeur cognoscitive proprement dite, c'est-à-dire ne représente pas l'être, et ne donne, parconséquent, pas de *certitude;* la seconde a une valeur: elle cause une adhésion irrésistible — une *croyance* — à l'impératif catégorique et à ses conséquences; par conséquent elle donne une

(1) Cela nous rappelle une remarque que faisait un homme éminent d'Allemagne en déplorant l'enseignement de la philosophie tel qu'il est donné dans la plupart des universités allemandes: « Les théories philosophiques enseignées s'effacent assez vite de l'esprit des jeunes gens; ce qui reste c'est la déformation intellectuelle, en réalité, le scepticisme ».

certitude. Cette certitude, d'ordre pratique, valable pour Kant, ne l'est pas en réalité : car on ne peut admettre une certitude, concernant l'impératif catégorique, si on n'admet pas *la* certitude intellectuelle : or la certitude, comme telle porte sur le vrai comme tel, et le vrai comme tel est d'ordre théorique ou spéculatif : donc la théorie kantienne ruine aussi bien la certitude d'ordre pratique que la certitude d'ordre théorique et l'on a pu dire que : « *le commencement et la suite de la* « Kritik » se *détruisent l'une l'autre* ». Kant a abouti à construire un système radicalement vicieux, parce qu'il a nié la valeur objective et la certitude des principes absolus d'ordre idéal (1). p. 41-56.

La seconde partie de l'opuscule traite une question spéciale, très intéressante : l'opinion de Kant sur la foi humaine, la religion et la foi religieuse.

Kant a toujours admis l'existence réelle du monde extérieur, bien qu'il n'aurait pu justifier cette certitude dans son système ; de même il admet la foi humaine et il a écrit : « La certitude qui repose sur un témoignage ne diffère de celle qu'on acquiert par expérience personnelle ni quand à son degré ni quant à sa nature ». Lorsque Kant refuse de reconnaître la valeur historique de tel ou tel écrit, ce n'est pas parce qu'il rejette le témoignage humain comme tel, mais parce qu'il applique (bien ou mal) d'autres principes autorisés par la saine critique historique (p. 60-70).

Quant à la morale et à la religion : « En substance le *système moral* de Kant repose sur l'impératif catégorique et sur les postulats de la raison pratique... la volonté n'est vertueuse que quand elle pratique le *devoir pour le devoir* et le devoir lui-même ne peut s'imposer que parce qu'il est tel, et qu'il est une fin absolue ». Kant n'admet pas d'autres devoirs que ceux de la morale rationnelle pure et rejette toute obligation spécifiquement *religieuse,* par exemple le culte a rendre à Dieu. L'A. ne nous semble pas avoir suffisamment expliqué en quel sens Kant parle d'ordres *divins,* lorsqu'il définit la religion, subjectivement considérée : « la connaissance de tous nos devoirs en tant qu'*ordres divins*.

Kant n'admet aucune révélation divine, et par conséquent, aucune foi religieuse proprement dite : cela, en vertu, d'un principe (faux) *a priori* (et non parce que Kant rejetterait tout témoignage humain transmettant une révélation) : que Dieu ne peut pas avoir voulu nous obliger à la foi, qui ne rend aucun homme meilleur. p. 77-79. L'A. expose ensuite de quelle façon Kant interprète la révélation chrétienne qui existe *en fait :*

---

(1) On peut ajouter, d'après nous, à cette considération : celui qui met en doute la valeur cognoscitive de son intelligence ou qui met en doute la valeur ontologique des notions premières et transcendales, ruine aussi toute certitude : il y a toujours *cercle vicieux* à tenter de se démontrer à soi-même que l'on connaît, que l'on reproduit intentionnellement en soi le réel ; il y a toujours *cercle vicieux* quand on tente de démontrer la valeur ontologique des notions premières : pour démontrer une conclusion, il faut des prémisses ; ces prémisses sont des principes, ces principes sont constitués par des notions : si ces notions n'ont pas de valeur ontologique, les principes n'en n'ont pas davantage : par conséquent il faut admettre la valeur ontologique des notions premières pour pouvoir admettre la valeur objective des premiers principes. — Sur *la valeur transcendante et analogique des notions premières,* cf. Garrigou-Lagrange, in *Revue thomiste,* 1912, p. 628 ss.

les différents procédés, que Kant y applique, aboutissent à en admettre certaines vérités et certains préceptes, qui lui semblent conformes à la raison purement naturelle. p. 79-88. L'A. fait encore remarquer que les mots *foi religieuse* et *croyance*, qui ne sont pas synonymes, deviennent en vocabulaire kantien et par la force du système kantien, *significatifs de la même chose* (p. 89); enfin que, chez Kant, la religion relève, comme la morale avec laquelle elle s'identifie en fait, de la « croyance » et bénéficie comme telle du primat de la raison pratique (p. 90). C'est principalement par là que l'apologétique des modernistes se ramène au kantisme (p. 91 ss.).

Nous avons taché de donner une vue d'ensemble de l'opuscule: la matière y est trop condensée pour que nous puissions en exposer ici une analyse complète; que ceux qui s'intéressent aux questions primordiales et très actuelles de la philosophie lisent ce pages: ils y trouveront les résultats d'une étude très approfondie sur le kantisme.

Kan. **De Weerdt.** *Practisch onderwijs in den Mechelschen Catechismus,* 4de uitgave. Mechelen, Ryckmans, 1912. In-16, 367 bl. Pr. 1,70 fr.

Wij hebben de eerste uitgave (1903) van dit werk aangekondigd, de hoedanigheden ervan aangeduid en het vurig aanbevolen, in *Collat. Brug.*, t. VIII, bl. 410. Wij verheugen ons over den bijval dien dit verdienstelijk boek gevonden heeft en zoo zijn vierde uitgave bereikt: deze verschilt niet hoofdzakelijk van de eerste: alleenlijk zijn er eenige aanmerkingen of nota's weggelaten en andere, zeer gepaste bijgevoegd. Wij blijven overtuigd dat dit werk allernuttigst zal wezen aan al degenen die met het christelijk onderwijs gelast zijn: zij zullen ereen grondige leering in vinden en ook de wijze zien waarop zij de waarheid moeten voordragen opdat hun onderricht *practisch* weze en doelmatig.

J. Van der Meersch.

Matth. Ratth. *Institutiones theologicæ de Sacramentis in genere necnon de Baptismo et Confirmatione*, Haaren, 1910. In-8°, 375 p.

Idem. *Institutiones theologicæ de Eucharistia*, Haaren, 1911. In-8°, 468 p.

Solidam doctrinam circa sacramenta in genere necnon tria priora sacramenta, nitida ac lucida sub forma oblatam, exhibet tractatus doctissimi professoris Buscoducensis, doctrinam, inquam, dogmaticam simul et moralem, notitiis historicis locupletatam eruditionisque copia commendatam. In hoc etiam præstant hæ Institutiones quod dogmatum expositioni præmittatur descriptio errorum oppositorum, signanter protestantium et modernistarum (1).

(1) Cf., inter alia, altero volumine, n. 10-12, ubi de dogmate præsentiæ realis.

Præterquam quod theologiæ sic dictæ positivæ minor forsan quam decet locus datur, illud præprimis dolemus laudatum Auctorem quæstiones disputationi obnoxias æquo sæpius insolutas relinquere, quin lis in unam alteramve partem dirimatur.

Ita quod spectat controversiam de institutione sacramentorum: utrum Christus, pro quibusdam sacramentis, signum determinaverit genericè dumtaxat vel specificè, idque cum vel absque variatione possibili (I, n. 37-41 et n. 50-54) (1); hîc tamen eo magis desideratur solutio quod ab ea dependeat solutio plurium difficultatum in successivis tractatibus specialibus occurrentium. Hæsitanter etiam procedit Auctor in controversia de causalitate sacramentorum (n. 90-103); ac rursus anceps hæret, nec mentem aperit, inter varias sententias a theologis emissas circa essentiam sacrificii missæ (II, n. 393-409), circa determinationem anni infra cujus terminos annua communio est instituenda (n. 241), necnon circa indolem attentionis requisitæ pro assistentia missæ (II, n. 574).

De cætero plerumque placet opinio cui hinc inde uti præplacenti adstipulatur, puta ubi tenet sacramentum Confirmationis per se non esse sub præcepto (I, n. 451); ubi docet privilegium infirmis non periclitantibus concessum, ut non jejuni communicent, esse latè interpretandum, ejusque usum non esse denegandum illis qui, diebus non privilegiatis, ad S. Synaxim accedunt non jejuni (n. 307, coll. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 474).

L. Wouters. *Commentarius in Decretum « Ne temere », ad usum scholarum compositus.* Ed. 4ª, Amstelodami, Van Langenhuysen, 1912. Pret. 1,50.

Prodiit editio *quarta* hujus opellæ, cujus olim laudes egimus, occasione tertiæ editionis, apud *Collationes*, t. XV, p. 729. Prelum reliquit hæc nova editio ab Auctore ritè recognita, et, seclusa suppressione quorumdam documentorum, non parum adaucta.

Sententiam in nonnullis moderavit A. circa puncta doctrinæ, in præcedenti relatione a nobis impugnata. Sic quod spectat sacerdotem qui ab Ordinario vel parocho delegatur ad universam animarum curam, ut suppleat defectui parochi ægrotantis vel etiam momentanèe absentis: jam non nisi ut dubiam proponit solutionem, hucusque asseveranter vindicatam, quatenus hujusmodi delegatus non modò validè assisteret matrimoniis, qua delegatus, sed etiam posset qua parochus, validè subscribere contractui sponsalitio (p. 24 s. et p. 29). Præ cæteris autem notare juvat vota nostra, ibidem emissa, ex hac parte impleri, quod nempe laudatus Auctor, attento decreto S. C. de Sacr., 12 Martii 1910, ultrò jam amplectatur nostram sententiam, in dies communiorem, circa applicationem art. VIII Decreti, in casu quo sponsi non possunt matrimonium celebrare coram parocho vel sacerdote delegato, quia, ob impossibilitatem præmittendi cæremoniam civilem, prohibetur matrimonium religiosum.

A. D. S.

(1) Non videtur opportunum separatim et seorsim agitare quæstiones tam intime connexas de institutione sacramentorum et de determinatione materiæ et formæ.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris.

—

I

Explica epistolam ad angelum (episcopum) ecclesiæ Smyrnæ, quæ refertur in Apocalypsi, c. II, vv. 8-11.

II

Cur falsa est hæc propositio 38ª damnata inter errores Baii: « Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quo mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas qua per spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur ».

III

Interpretare præceptum audiendi Missam, quatenus urgeat assistentiam Missæ *integræ,* determinando in specie cujusnam partis omissio inducat gravem violationem præcepti.

IV

Titius, die dominica, tardius ad ecclesiam accedens, Missæ assistit inde a præfatione, et, absoluta hac Missa, alteri assistit usque ad præfationem. An, in priori Missa, satisfecit præcepto? Quodsi negative, an rite supplevit defectui?

V

Quænam generatim attendi juvat pro dijudicanda gravitate rationis, quæ ad excusandum a præcepto audiendi Missam sufficiat?

VI

Qu'est ce que l' « offrande » en tant que partie initiale et intrinsèquement préparatoire du sacrifice de la Messe (*Coll. Brug.*, t. XII, 741 s.)? Indiquez sommairement l'idée fondamentale et l'enchaînement des prières de la Messe depuis l'Offertoire jusqu'à la Préface.

J. Mahieu. *Le Pain de Vie.* Nouvelle édition. Bruges, Beyaert. Prix: 1 fr. 50.

Id. *De eerste H. Communie der kinderen.* Brugge, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Le décret sur la première Communion des enfants.* Bruges, Beyaert, 1911. Fr. 0,50.

Id. *Biecht- en Communieboekje voor de Kinders.* Kerkboek van 128 bladz. (12 × 8 cm.) gedrukt met grooten letter. Gebrocheerd: per ex. 30 cent., per 50 ex. 25 cent., per 100 ex. 23 cent.

(Dezelfde uitgaaf in het fransch aan dezelfde prijzen).

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

H. Van den Berghe. *Meditationes ad usum cleri De vita Jesu Christi,* Edit. altera, Brugis, van de Vyvere, 1910, in-18, 540 p., 2 fr.

Id. *Ordo missæ* seu precum ac cœremoniarum Missæ interpretatio theologico-ascetica, additis precibus ante et post Missam. Editio altera adaucta. Brugis, van de Vyvere, in-18, XIV-252 p. Broché 1,25 fr.; relié en percaline, 1,50 fr.

C. Callewaert. *La réforme du Bréviaire, son esprit, ses prescriptions nouvelles.* — Documents et commentaire. (Extrait revisé des *Collationes Brugenses*, 1912). — Bruges, Beyaert; Ad. Maertens-Matthys. — In-8, 64 p. Prix: 0,50 frs.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

NOTA BENE. Subscriptionis anni proxime insequentis pretium percipietur via postali **primis diebus mensis Decembris.**

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Describe doctrinam circa caritatem erga Deum et caritatem erga proximum, qualis continetur in epistola I S. Joannis.*

R. Præ cæteris Apostolis Joannem peculiari amore prosecutus est Christus, ita ut ipse in Evangelio suo seipsum vocare potuerit « discipulum quem diligebat Jesus ». Et e converso, ipse Joannes ardentissimo amore Christum ejusque fidem et religionem ad vitæ finem prosecutus est : hoc abunde apparet ex iis quæ de ipso referuntur tum in Evangeliis tum in traditione antiqua, et ex iis quæ ipse evolvit, propriam indolem et propria sensa pandens, in prima sua epistola : in hac enim Apostolus vere evolvit thema amoris et arctæ unionis cum Deo et cum proximo, illudque præceptum continuo et vera voluptate lectoribus commendat, ita ut dici potuerit I^am^ Joannis esse *epistolam amoris*, sicut ipse Apostolus amoris, ipsiusque Evangelium Evangelium amoris merito vocantur.

I. **Momentum** quod S. Joannes in tota vita christiana tribuit amori erga Deum et erga proximum, abunde elucet ex incessabili instantia qua continuo redit ut utrumque lectoribus suis inculcet. — Revera in specie, a/ quod amorem *erga Deum* spectat : unionem et socie-

tatem cum Deo non habemus, Deum perfecto et genuino sensu non cognoscimus, si ipsum non diligimus, et amorem nostrum non ostendimus potissimum observando fideliter mandata ejus (1); b/ quod amorem *erga proximum* spectat: *Charissimi*, sic ipse, *non mandatum novum scribo vobis*, *sed mandatum vetus*, *quod* nempe *habuistis* jam *ab initio* conversionis vestræ ad Christianismum. Et tamen, *iterum* (ex alia parte) *mandatum novum scribo vobis;* et *quod* revera novum sit, hoc *verum est* (hoc verificatur) *et in ipso* (in Christo), *et in vobis*. In Christo: ipse enim mandatum dilectionis fraternæ miro modo perfecit et magna insistentia docuit (2), et modo hucusque inaudito illud adimplevit, diligens etiam inimicos; — in vobis, Christianis, etenim *tenebræ* paganismi, erroris et peccati, quibus abscondebatur vobis præceptum caritatis mutuæ, tenebræ istæ *transierunt, et verum lumen*, lumen fidei Christianæ, illuminans præceptum illud oculis vestris, *jam lucet* (3). — Absque amore erga proximum, non stat amor erga Deum (4) aut unio cum ipso: *Qui dicit se in luce esse* et in unione cum Deo, *et fratrem suum odit*, *in tenebris est usque adhuc*. Qui diligit *fratrem suum*, in lumine manet (5).

II. **Natura** utriusque Caritatis, tum *in se* tum *ad invicem* consideratæ.

Quam frequenter loquitur Joannes de unione illa intima qua nos in Deo manemus et ipse in nobis (6), et qua inter nos uniti existimus (7). Hac unione jam in hac vita nominamur, et genuino sensu sumus *filii Dei* (8), *nati ex Deo* (9), imo vocamur ad unionem magis adhuc intimam, in vita futura æterna (10), in qua *similes ei erimus,* et *videbimus* eum *sicuti est.* — Hanc unionem variis expressionibus describit: cognoscere et videre

(1) Cfr. I, 6; II, 3 ss., et passim.
(2) Cfr. Matth. V, 43 ss., Jo. XIII, 34 s.
(3) Cfr. II, 7 ss.
(4) Cfr. III, 23; IV, 20 s.; V, 1, et vide infra.
(5) II, 9 ss. (6) III, 24. (7) I, 4, 7. (8) III, 1. (9) II, 29. (10) II, 25.

Deum, societatem habere cum eo, in Deo esse, ex Deo esse, ex Deo natum esse, in luce esse et non in tenebris, manere in Deo, ex veritate esse, habere Deum ut patrem, caritatem Dei perfectam habere, habere vitam æternam in seipso manentem, etc. Unde intelligitur illa unio cum Deo quæ per fidem et caritatem efficitur.

Caritas autem est criterium hujus nostræ unionis cum Deo: *Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum; qui non diligit, non novit Deum: quoniam Deus caritas est* (1).

Hæc caritas se extendere debet:

1. Ad *Deum,* ut apparet ex tota epistola (2).

2. Ad *proximum* (3): *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet...*, *qui autem odit fratrem* suum, in *tenebris est* (4); *quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum* (5). — Hunc amorem proximo debemus (6), tum quia *mandatum* Dei est, et ille tantum in Deo manet qui servat mandata ejus (7), tum quia Deus dedit nobis *exemplum* dilectionis, ipse

---

(1) IV, 7 s.

(2) Motivum ob quod Deum debeamus diligere, et mandata ejus custodire, et fugere quæcumque ipsi opponuntur, sane est dignitas Dei ut ametur seu Perfectio divina qua omni amore nostro dignus est; S. Joannes autem ponit in luce hanc potissimum perfectionem quæ est ipsa Caritas Dei: Deus caritas est; et hanc caritatem suam ostendit Deus, quatenus Filium suum unigenitum misit in mundum, ut vivamus per eum; ipse prior dilexit nos, dum peccatores et inimici ipsius eramus: unde et nos, si vere ex Deo nati sumus, Deum diligere debemus. Cfr. IV, 8.

(3) Explicite Joannes videtur tantummodo loqui de caritate erga *fratres,* id est christianos, et quidem erga illos qui participes sunt unionis cum Deo, adeoque vivunt *in statu gratiæ* (cfr. V, 1); nihilominus non excludit cæteros; etenim scribit « ut et vos societatem habeatis... cum Patre », adeoque alloquitur etiam illos qui forte non sunt ita Deo uniti (I, 3); et alibi supponit quosdam posse versari in peccato (I, 8 ss., II, 1); imo explicite affirmat Jesum Christum esse propitiationem pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam *pro totius mundi* (II, 2).

(4) II, 10 s.

(5) III, 11, 14.

(6) Hæc de motivis diligendi proximum, vide evoluta apud Mahieu, *Probatio Charitatis,* pp. 449 ss.

(7) III, 23 s., IV, 21.

prior diligens nos, et mittens Filium suum propitiationem pro peccatis nostris, tum quia oportet in fratribus nostris considerare *dilectos a Deo* et filios Dei, et ideo, *propter Deum*, ipsos diligere: *Si sic Deus dilexit nos ut Filium suum unigenitum daret, et nos debemus alterutrum diligere;* — et: *si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est.* — *Et omnis qui diligit Deum, qui genuit* nos, generatione adoptionis, ad vitam filii Dei adoptivi, diligere debet etiam filios Dei, *illos nempe qui nati sunt ex Deo* (1). — Unde uterque amor ab invicem separari nequit.

Inter *qualitates* utriusque amoris, potissimum (2) insistit Joannes, ut congruum erat, in hoc quod debet esse *effectivus:* Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate (3).

Effectivus sit amor *erga Deum,* secum trahens exactam observationem mandatorum Dei: *Hæc est enim caritas Dei ut mandata ejus custodiamus* (4); — dilectionem quoque erga dilectos a Deo (5); — fugam mundi et triplicis concupiscentiæ quæ in eo est: *si quis enim diligit mundum, non est caritas Patris in eo* (6); — integram adhæsionem doctrinæ a Deo nobis revelatæ, et in specie doctrinæ de Christo (7), necnon submissionem debitam auctoritati a Deo constitutæ (8).

---

(1) Cfr. IV, 20 s., V, 1 s. Hæc est, ut in theologia morali explicatur, ratio formalis ob quam proximus est diligendus, ut amor noster sit vere pertinens ad virtutem theologicam caritatis: propter Deum principaliter dilectum, diligere etiam amicos et filios Dei, sive actu sint, sive fieri possint.

(2) In c. III, vv. 17 ss. exponit quomodo caritas foras mittat timorem pro die judicii, adeoque secum habeat adnexam pacem illam et fiduciam quæ conscientiam rectam comitantur, eoque magis quo major et ardentior est caritas in anima.

(3) III, 18.

(4) V, 3. Cfr. II, 3 ss.; III, 24, etc.

(5) Cfr. III, 14 ss., IV, 20 s., V, 1 s., etc.

(6) Cfr. II, 15 ss.

(7) Cfr. II, 18 ss., IV, 1 ss., V, 1 ss.

(8) Cfr. IV, 6.

Effectivus quoque sit *erga proximum*: Nos debemus omnia dare, ipsas animas seu vitam nostram ponere; qui enim habuerit substantiam (bona) hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo? (1).

In epistola sua, ipse *Joannes in praxim reducit* ea quæ lectoribus suis inculcat: tum amorem erga *Deum* et Christum, quum continuo pandat quantam nutriat in corde admirationem pro amore quo Deus ipse nos amavit, quantam quoque sollicitudinem ut Deus ametur, amore sincero, ut serventur mandata divina, ut lectores maneant Christo et Deo conjuncti fide et caritate, aversi a mundo et iis quæ in mundo sunt, ut audiant auctoritatem a Deo constitutam, ut pura et intacta servetur fides in dignitatem Christi; — tum amorem erga *proximum,* multiplicans ipse tenerrima vocabula: filioli mei, carissimi, fratres, — continuo lectores suos adhortans ut alterutrum diligant, eosque avertens a pravis actibus et doctrinis heterodoxis pseudo-doctorum; quare jure scribit in initio (II, 1-4) se in hac epistola (2) loqui intendere de iis quæ vidit et audivit, vitam et doctrinam Christi ut etiam lectores partem habeant, in intima illa unione cum Patre et Filio ejus Jesu Christo, et ut sic, vestra felicitate, « *gaudium nostrum plenum sit* » (3).

A. Vander Heeren.

---

(1) Cf. III, 16 s.

(2) In hac epistola et in Evangelio suo cujus revera videtur hæc Iª Joannis fuisse epistola comitatoria.

(3) Textus orig. probabilius legitur: ἡμῶν, et non: ὑμῶν.

II

Q. *Explica hoc assertum:* implere mandata legis contingit dupliciter: uno modo *quantum ad substantiam* operum...; alio modo non solum quantum ad substantiam operum, sed etiam *quantum ad modum agendi.* Cf. S. Thomas, 1-2, q. 109, a. 4.

R. In responsione suprà, p. 575, exposita, diximus qua ratione requiratur gratia sanctificans ut homo possit velle et facere bonum morale. In speciali articulo quærit S. Thomas: « utrum homo per sua naturalia *legis præcepta* implere possit ». Respondet autem ponendo imprimis distinctionem quoad duplicem modum quo impleri possunt mandata legis: h. e. *quoad substantiam operum* et *quoad modum agendi.*

Substantia operis hìc intelligitur essentia actus humani prout in ordine moralitatis constituitur: v. gr. lex jubet honorare parentes: si quis, urgente hoc præcepto, debita intentione (1), reverentiam exhibet parentibus, implet præceptum quoad substantiam operis.

Modus agendi est aliquod accidens quod afficit ipsam substantiam operis: v. gr. si quis per repetitionem actuum acquisivit sibi *habitum* honorandi parentes, specialis facilitas ac delectabilitas, qua elicit actum illius honoris, est aliquis *modus agendi* (2).

Etiam si quis elicit prædictum actum *ex virtute infusa*, supernaturalitas quæ ipsum actum afficit est *modus agendi.*

Porro S. Thomas, in loco citato in quæstione nostra, per verba *quoad modum agendi* (3) intendit supernatura-

---

(1) De intentione requisita et de aliis quæ spectant adimpletionem legis quoad substantiam operis, cf Van den Berghe, *De Legibus*, Brugis, 1904, n. 127-129.

(2) Cf. S. Thomas, in II, dist. 28, Q. I, a. 3.

(3) Adimpletio *quoad modum agendi* præsupponit adimpletionem *quoad substantiam operis*. Inde dicit S. Thomas: alio modo [impleri mandata contingit] *non solum* quoad substantia operum, sed etiam quoad modum agendi.

litatem actus et quidem hanc quæ reddit actum *meritorium de condigno,* ideo dicit: ut actus *ex charitate fiat* (1).

Hac posita distinctione, si quæratur utrum homo possit per sua naturalia, absque gratia, adimplere mandata legis, respondetur: 1/ *in statu naturæ integræ*, h. e. in statu quo natura fruebatur dono integritatis (2), poterat homo, absque gratia, adimplere *omnia* præcepta legis *quoad substantiam operum* et vitare, etiam per longum tempus, omne peccatum mortale: quia in illo statu non erat concupiscentia, quæ reddit hominem moraliter impotentem observationis totius legis; 2/ *in statu naturæ lapsæ,* licet homo capax sit, absque gratia, adimplendi *singula* præcepta, quoad substantiam operis, tamen nequit omnia adimplere, nec vitare per longum tempus omne peccatum mortale (3); 3/ *in quolibet statu*, requiritur gratia gratum faciens ad hoc ut homo possit adimplere quodlibet præceptum *quoad modum agendi*, h. e. quoad hoc ut opus sit *supernaturale* simul ac *meritorium* (4).

Nota. 1. S. Thomas, in II, dist. 28, Q. 1, a. 3 et S. Bonaventura, in II, dist. 28, art. 1, Q. 3, eamdem doctrinam exponunt, sed distinguunt inter legis adimpletionem quoad substantiam operis et adimpletionem *quoad intentionem legislatoris.* Per hæc verba idem intelligunt quod S. Thomas, in *Summa theologica*, vocat *quoad modum agendi.* Intentio enim legislatoris, sc. Dei, in præsenti ordine Providentiæ, est ut homines

---

(1) Qua ratione opera dependere debeant a charitate ut sint meritoria, exposui in meo tractatu *de divina gratia,* n. 372-375.

(2) Licet donum integritatis fuerit connexum cum gratia gratum faciente, tamen non est simpliciter supernaturale: est enim « vigor superioris partis animæ nostræ secundum *naturam rationalem,* ad solum et omne bonum *rationi proportionatum* se extendens: ideo sic adjunctus puris naturalibus constituit statum *naturæ integræ:* et per istius deperditionem natura est corrupta ». CAJETANUS, in 1-2, q. 109, a. 2, n. VII De vulneratione naturæ, cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 462 ss.

(3) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 60-77.

(4) Cf. *o. c.*, n. 368 ss.

supernaturaliter adimpleant mandata, ita quidem ut positive tendant ad finem ultimum supernaturalem, illumque de condigno mereantur.

2. Lutherus doctrinam suprà expositam vehementer impugnavit (1) ac si hæc contradiceret necessitati gratiæ in statu naturæ lapsæ. Hæc autem Lutheri impugnatio nititur falsæ sententiæ qua censet hominem, in præsenti statu naturæ lapsæ, ex sese, h. e. viribus naturæ propriis, *nihil boni moralis posse:* nempe docet humanam naturam, propter concupiscentiam (quam censet esse ipsum peccatum originale) ita esse corruptam ut non valeat velle aliquid boni moralis, imo « bene operando peccamus » (2): inde nulla dari potest *interna* justificatio vel justitia in homine, sed tantum *externa* seu *imputativa:* quatenus Christi justitia imputetur hominibus, qui credunt, et consequenter non imputentur jam ipsorum peccata, quæ in ipsis remanent (3).

3. Baius etiam doctrinam supra expositam, licet explicite non impugnaverit, implicite tamen rejecit: tenet enim omne opus moraliter bonum esse etiam meritorium vitæ æternæ (4); quapropter non jam in hac sententia potest admitti distinctio inter adimpletionem legis quoad substantiam operis tantum et adimpletionem legis quoad modum agentis, h. e. quoad rationem *meritorii*, quæ provenit ex hoc quod opus fit ex charitate. Ideo inter Baii propositiones damnatas

---

(1) En verba Lutheri: « Quocirca mera deliria sunt quæ dicuntur, quod homo ex viribus suis possit Deum diligere super omnia et facere opera præcepti secundum substantiam facti, sed non ad intentionem præcipientis, quia non in gratia. O stulti, O (sic). Sic ergo gratia non fuerat necessaria nisi per novam exactionem ultra legem. Siquidem lex impletur ex nostris viribus, ut dicunt: ergo non necessaria gratia pro impletione legis, sed solum pro impletione novæ super legem exactionis a Deo impositæ ». *Comm. in epistolam ad Romanos,* c. 4. Cit. a Denifle, *Luther und Luthertum,* Mainz, 1904, t. I, p. 519. Cf. Grisar, *Luther,* Freiburg i. Br., 1911, t. I, p. 110, 115, 168.

(2) Cf. Grisar, o. c., p. 78 ss.

(3) Cf. Id., o. c., p. 73 ss.; 545 ss.

(4) Baius, *De meritis operum,* L. II, cap. 2, 6.

invenitur hæc 61ª : « Celebris illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet, secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritor[i]um), commentitia est et explodenda » (1).

J. Van der Meersch.

III

Q. *An et quanam ratione Sacrificium Missæ est* commemorativum *Sacrificii crucis?*

R. I. Sacrificium Missæ est *commemorativum Sacrificii crucis*, non tantùm quatenus Missæ celebratio *mente et affectu celebrantis* dirigenda sit ad Sacrificium crucis, in ejusque memoriam peragenda; vel quatenus Christus Dominus Missæ inesse voluerit *relationem quamdam extrinsecam* ad crucis Sacrificium, illam instituendo ut memoriale ejus; sed quatenus Missa ita est ordinata ut in se exhibeat et præ se ferat *objectivam et quasi plasticam repræsentationem* Sacrificii in calvario quondam oblati.

Missam hoc sensu esse sacrificium commemorativum crucis, mortis scil. sacrificalis Domini, non obscure innuitur in ipsa S. Scriptura, in Concilio Tridentino, necnon in traditione ecclesiastica.

Quod spectat *S. Scripturam:* in ep. 1ª ad Cor., XI, v. 26, docemur, Carnem eucharisticam manducando et Sanguinem bibendo, *annuntiare mortem Domini,* adeo ut, juxta S. Paulum, ipsa eucharistica celebratio censeatur exhibere imaginem repræsentativam mortis do-

(1) Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* Friburgi Br. 1911, n. 1061. De doctrina Baii cf. Le Bachelet, ap. Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Baius,* col. 79 ss.

minicæ; aliquid namque plus exigunt hæc verba quam ut in mente et intentione subjectiva celebrantis et communicantis, hæc celebratio dirigatur in memoriam passionis Domini. Quo pari sensu, licet minus nitidè expresso, intellige mandatum Christi morituri: hoc facite *in meam commemorationem.*

Cæterùm jam in ipsis verbis institutionis idem innuitur, quatenus calix dicitur continere Sanguinem *qui pro multis effunditur :* non intelligitur nempe Christi Sanguis in SS. Eucharistia *effundi,* nisi in quantum ejus consecratio sacrificalis imaginem referat effusionis realis et cruentæ in cruce peractæ (1).

Etiam ubi, *in Concilio Tridentino*, Sess. XXII, cap. 1°, dicitur de Missa eam in Cæna fuisse institutam ut sacrificium « quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, *repræsentaretur*, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret », non plena ratio verborum salvatur in mera commemoratione, *subjectiva celebrantis intentione* facta, cruenti Sacrificii crucis: important hæc verba, sensu obvio intellecta, *objectivam* quamdam et *realem* repræsentationem dicti sacrificii in Calvario oblati (2).

Huic tandem doctrinæ scripturali et conciliari consonat *traditio ecclesiastica*, cujus documenta videsis apud tractatus huc spectantes (3). Consonat pariter *liturgia*

---

(1) Sic etiam S. Thomas, IIIª P., qu. LXVI, art. 2, ad 1ᵐ, dicit: « Unde (quia scil. valet Eucharistiæ celebratio ad repræsentandam passionem Christi) in forma consecrationis Sanguinis fit mentio de ejus effusione ».

(2) Adhuc expressiori sub forma loquitur *Catech. Conc. Trid.*, P. II, cap. IV, n° 70, ubi docet Christum in Missa nobis reliquisse sacrificium, « quo cruentum illud, semel in cruce paulo post immolandum, *instauraretur* ».

(3) Cf. Ills Lambrecht, *De SS. Missæ Sacrificio*, Lovanii, 1875, p. 229 ss.; Sasse, *Institutiones theol. de Sacramentis Ecclesiæ*, Frib. i. Br., 1897, I, p. 515 s.; Pohle, *Lehrbuch der Dogmatik*, Paderborn, 1906, III, p. 346 s.; Gihr, *Le Sacrifice de la Messe*, Paris, 1894, I, p. 129 ss.; Levatois, *De Essentia SS. Missæ Sacrificii*, Rhemis, 1901, p. 44 ss.; Franzelin, *Tractatus de SS. Eucharistiæ sacramento et Sacrificio*, Romæ, 1878, p. 385 ss.; Pesch, *Prælectiones dogmaticæ*, VI, Frib. in Br., 1908, n. 888 ss.

sacra, volens ut in altari emineat crucis imago, utque toties in ore sacerdotis ponatur memoria passionis et mortis Domini.

II. Ulterius *scholasticè* inquirentes quomodo Missa sit concipienda ut mortis dominicæ realiter et objective repræsentativa, et in quonam præcise reperiatur plastica illa repræsentatio, hæc addenda proponimus:

1° Non ita est concipienda ut *meram et nudam* exhibeat passionis et mortis Domini repræsentationem commemorativam, quam solam in Eucharistica celebratione agnoscunt Protestantes (1): Missa scil. est habenda ut verum sacrificium *in se sumptum*, quod sacrificium *simul relativum sit* et Sacrificii crucis repræsentativum.

2° Repræsentatio Sacrificii crucis *essentialis est* Sacrificio Missæ, hoc scil. sensu, quod per illud per quod constituitur Missa in ratione sacrificii, per illud idem constituatur in ratione sacrificii commemorativi Sacrificii crucis, et vice versa.

Ad hoc autem non postulatur ut *sub eadem ratione formali* utrumque verificetur; a. v. non opus est ut Missa constituatur in ratione sacrificii *formaliter et*

Sufficiat adduxisse testimonia S. Cypriani, *in ep. 63, ad Cæcilium*, n. 9 (ed. *Hartel*, II, p. 708): « Apparet... nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium *responderit passioni... passio est enim Domini sacrificium quod offerimus* »; S. Ambrosii, *De Officiis min.*, l. I, c. 48 (*Opera omnia*, IV, Mediolani, 1879, col. 93): « Ante agnus offerebatur, offerebatur et vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi... *recipiens passionem* ».

Juvat autem addere sententiam S. Thomæ, III, P., qu. 83, art. 1: « Celebratio autem hujus sacramenti... *imago quædam est repræsentativa* passionis Christi, quæ est vera ejus immolatio »; *ibidem*, ad 2m: « Sicut celebratio hujus sacramenti est imago repræsentativa passionis Christi, ita altare est repræsentativum crucis ».

(1) Cf. *Conc. Trident.*, Sess. XXII, can. 3. Circa doctrinam Protestantium, Missæ omnem sacrificii rationem denegantium, cf. suprà, p. 515 ss., collato Sasse, o. c., p. 488, ubi adducit verba Lutheri, in opere *Formula Missæ*: « Dicere omittimus Missam esse sacrificium... Apprehendamus eam ut sacramentum... vel cænam Domini, vel memoriam Domini, vel communionem, vel quocumque nomine pio placet, modò sacrificii... titulo non polluatur ».

reduplicative per ipsam relationem quam accipit ad Sacrificium crucis hujusque repræsentationem, ad mentem Vasquezii. Sufficit eamdem actionem facere ut Missa sit sacrificium in se, et simul sit sacrificium repræsentativum crucis (1).

3° Illud nunc per quod Missa exhibet repræsentationem cruenti Sacrificii crucis, *distincta est consecratio utriusque speciei*, quatenus, Corpore vi verborum separato a Sanguine, Christus Dominus sistitur realiter præsens quasi Agnus occisus, ad modum quo idem ipse Christus in cruce fuit mactatus et cruento modo immolatus (2); in qua eadem *distincta* consecratione apparet simul in Missa verificari rationem sacrificii in se sumpti, uti alibi fuit expositum.

Nota. 1° Doctrina proposita egregiè componitur cum doctrina generali circa locum quem occupat Sacrificium crucis in opere redemptionis, cujus centrum existit et culmen: quatenus in illa cruenta oblatione consummaverit Christus in sempiternum sanctificatos, quodque omnia reliqua sacrificia ante oblata, et per decursum sæculorum offerenda, virtutem non habeant nisi ab illa dimanantem, meritorumque in ea partorum sint merè applicativa. Convenit nempe ut, quemadmodum ad Sacrificium calvarii referebantur et ordinabantur sacrificia veteris legis, quasi ejusdem Sacrificii offerendi typica et præsignificativa, ita Sacrificium Novæ Legis,

---

(1) Sensus assertionis non est, uti notat Card. Billot, *De Eccl. sacr.*, 1896, p. 368, « quod ratio constituens Missam in esse sacrificii, sit ipsa relatio ad crucis oblationem... Considerandum enim quod *esse repræsentativum* est quoddam relativum *secundum dici*, importans rem absolutam, quam consequitur quædam habitudo. Cum ergo dicimus, Missam ex eodem habere ut sit absolutè sacrificium, a quo habet ut sit passionis repræsentativa, sensus est eam in esse sacrificii constitui per illud ipsum quod fundat relationem ad immolationem crucis, tanquam ad rem repræsentatam ».

(2) S. Thomas, III P., qu. 74, art. 1°: « ideo, ait, in hoc sacramento, quod est memoriale dominicæ passionis, *seorsim* (consecratur et) sumitur panis, ut sacramentum Corporis, et vinum, ut sacramentum Sanguinis ».

in ipsa sua celebratione, crucis immolationem jam peractam commemoret ac vividè repræsentet (1).

2° Attenta descripta indole Missæ relativa et Sacrificii crucis applicativa, non tantùm intelligitur quomodo jugi Missæ celebratione nihil detrahatur dignitati Sacrificii crucis, uti volunt Protestantes (2), sed potius hujus excellentia inde mirifice commendetur; intelligitur etiam quomodo S. Paulus, in epistola ad Hebræos, ubi, ad vindicandam eminentiam Sacrificii crucis ejusque absolutissimam sufficientiam ad omnium exhaurienda peccata et sanctificatorum consummationem, in hoc insistit quod *semel* dumtaxat oblatus fuerit Christus, intelligitur, inquam, quomodo Apostolus non repugnaverit Missæ oblationi sacrificali: non excludit scil. sacrificium deinceps celebrandum ad merita crucis in actu secundo applicanda, sacrificium essentialiter relativum, in eadem victima peragendum et oblationem in cruce ad vivum repræsentans; solum excludit sacrificium novum et independens, ad nova merita lucranda, quasi esset crucis insufficientiæ supplendum.

IV

Q. *Variis argumentis ostende essentiam Sacrificii Missæ non reponi in Communione.*

R. *Pænota* 1° in quæstione intendi communionem *celebrantis*. Extra controversiam enim catholicam ponitur communio fidelium Missæ assistentium, quam Conc.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 13 s.

(2) « Quemadmodum assiduæ atque perpetuæ Christi preces, quas Ipse apud Patrem pro nobis in cœlis advocatus existens fundere creditur, nihil potentissimæ illi orationi detrahunt, qua in cruce cum lacrymis Patrem pro nobis oravit, et exauditus est pro sui reverentia; ita profecto confitendum est Sacrificium Missæ incruento modo peractum, in quo seipsum Patri Christus offert, nihil cruento illi crucis, tametsi efficacissimo, derogare ». Ita, in Conc. Tridentino, Sess. XXII, cap. 2, juxta primam hujus capitis redactionem, apud THEINER, *Acta Genuina*, II, p. 75; cf. can. 4 ejusdem Sessionis.

Tridentinum, Sess. XXII, can. 8, docuit ad Sacrificium non pertinere (1), id confirmante Pio VI, in Constitutione *Auctorem fidei,* qua damnat propositionem 28m Synodi Pistoriensis (2).

2° Dirigitur thesis non tantùm contra illos qui olim censuerunt *totam* Sacrificii essentiam esse reponendam in communione (3); sed præsertim contra illos qui contenderunt, et etiamnum autumant, essentiam Missæ constitui *partim* consecratione et *partim* communione sacerdotis (4): quatenus, ut putant, sacrificalis destructio in consecratione inchoetur et in communione consummetur, in hac accepto essentiali suo complemento.

Argumenta.

1° Non reperitur in communione *destructio sacrificalis,* sive spectetur communio in ipso sumptionis actu, sive in actione digestiva sumptionem excipiente. Et sane

a/ in ipsa sumptione ss. specierum, nullam immutationem subit Victima divina;

---

(1) « Si quis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas, anathema sit ». Protestantes, uti notavimus, omnem sacrificii rationem denegabant Eucharistiæ, adeoque et Missam repudiabant; maximè autem invehebat Luther contra missas privatas, in quibus solus sacerdos communicat, siquidem Eucharistiam non concipiebat nisi sub forma cœnæ et convivii. Cf. suprà, p. 517, in nota.

(2) « Propositio Synodi... quatenus insinuat, ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter nec spiritualiter de Victima participant... » declaratur: « falsa, erronea, de hæresi suspecta, eamque sapiens ». Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* n. 1528 (1391).

(3) Cf. Auctores citatos apud Illm Lambrecht, o. c., p. 189; S. Alph. (edit. *Gaudé*), l. VI, n. 305.

(4) Quod spectat dictæ sententiæ patronos antiquiores, cf. ll. cc., notando *S. Alphonsum* (ibidem) amplecti hanc opinionem uti probabiliorem, licet fateatur doctrinam in thesi nostra propugnandam esse communiorem, eique adhæserit l. III, n. 310.

Inter modernos, S. Doctoris et Institutoris sententiam sequuntur Herrmann C. SS. R., *Institutiones dogmaticæ,* II, Romæ, 1908, n. 1699; Aertnys, *Theologia Moralis,* Tornaci, 1890, II, n. 109, quær. 1°; Marc, *Institutiones Morales Alphonsianæ,* Romæ, 1886, II, n. 1589, necnon L. D. R(idder), apud *N. R. th.,* t. XXXV (1903), p. 440 ss., etsi hi duo ultimi Auctores minus assertive loqui videntur.

b/ in digestione stomachali videtur quidem aliquatenus destrui Victima, abrupta præsentia reali; reipsa autem tota actio destructiva terminatur ad solas species, uti liquet ex doctrina proposita apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 309 ss.

2° Communio non fit nomine Christi, principalis offerentis, nec per modum oblationis et cultus exhibiti erga divinam Majestatem: a celebrante suscipitur communio in propriam utilitatem.

3° Communio « est repræsentativa sepulturæ Christi tantùm, non vero mortis ejus, nisi mediatè, et ex suppositione quod Christus sit prius immolatus » (1).

4° *S. Paulus*, in epist. 1ª ad Cor., X, vv. 16-21, communionem comparat a contrario cum manducatione idolothytorum; idolothyta autem sunt hostiæ *prævie dæmoniis seu idolis immalatæ,* adeo ut illorum esus præsupponat sacrificium oblatum; ergo a pari communio præsupponit Victimæ divinæ immolationem.

5° In Concilio *Toletano* XII (681), cap. 5, reprobantur quidam sacerdotes quod soleant « non tot vicibus communionis gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videntur offerre; sed, si in uno die plurima per se offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendant, et in sola tantùm extrema sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumant » (2): in quibus verbis non obscure distinguitur sacrificium a communione, cui præsupponi censetur.

6° « In liturgia nostra, ante et post consecrationem omnia olent oblationes; ubi vero devenitur ad ea quæ sumptionem præcedunt ac præparant, de oblatione jam nihil, sed pax annuntiatur et petitur et datur, quia ad mensam Dei admittitur homo, in consortium divinorum assumptus et in Dei societatem adscitus » (3).

---

(1) Billuart, *Summa S. Thomæ — Tract. de Euch. Sacr.*, Dissert. VIII, art. 2.

(2) Harduinus, *Acta Conciliorum*, Parisiis, 1715, III, col. 1721 s.; cf. etiam cap. 11, Dist. II, *De Consecratione.*

(3) Card. Billot, o. c., p. 370 s.

7° *Altare* intimè associatur sacrificii oblationi, quæ extra altare peragi non intelligitur. Communio autem, signantur ut spectatur in actione digestiva, non fit in altari sed in interioribus sacerdotis celebrantis (1).

8° Hoc etiam inconveniens esset quod Sacrificium Missæ invisibile foret, cum debeat offerri visibiliter, siquidem actum exhibet cultus externi et socialis.

Huic argumentorum congeriei accedit consensus quasi unanimis inter catholicos Doctores modernos (2); quibus adversantes alios non invenimus præter paucos Auctores in limine responsi adductos (3): horum autem

---

(1) Inde, uti arguit VASQUEZ, *in III P.*, dist. 222, cap. 4, n. 23, « sequeretur fore ut sacrificium Christi incruentum non in altari fieret a sacerdote, sed in stomacho, quando in eo species corrumperentur, quod quidem interdum accidere posset tempore eo quo sacerdos ad mensam sederet ad prandendum, quod est manifeste absurdum ».

(2) FRANZELIN, o. c., p. 395 s. et p. 417; ILL^S LAMBRECHT, o. c., p. 190 ss.; ILL^S WAFFELAERT, apud *Collat. Brug.*, t XII, p. 737; GIHR, o. c., p. 121 s.; PESCH, o. c., n. 897 s.; SASSE, o. c., p. 519 s.; POHLE, o. c., p. 352 s.; BILLOT, o. c., p. 569 ss.; LEVATOIS, o. c., p. 58 ss.; EINIG, *Institutiones theologicæ dogmaticæ*, Treviris, 1900, I, p. 231 ss.; SCHANZ, *Die Lehre von den hl. Sacramenten*, Freiburg i. Br., 1893, p. 481 s.; RATH, *Institutiones theologicæ de Eucharistia*, Haaren, 1911, n. 395 s.; VAN NOORT, *Tractatus de Sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, n. 461; CASAJOANA, *Disputationes scolastico-dogmaticæ*, III, Barcinonæ, 1890, p. 283 s.; BARTMANN, *Lehrbuch der Dogmatik*, Freib. i. Br., 1911, p. 748; G. LAHOUSSE, *Tractatus de Sacramentis in genere...*, Brugis, 1899, p. 553; H. LAHOUSSE, *Tract. de Euch. mysterio*, Brugis, 1889, n. 172; MANNENS, *Theol. dogm. Institutiones*, III, Ruræmundæ, 1903, n. 631 s.; HEINRICH-GUTBERLET, *Dogmatische Theologie*, IX, Mainz, 1901, p. 854; HURTER, *Theol. dogm. compendium*, III, Œniponte, 1896, p. 384 s.; MANZONI, *Compendium theol. dogm.*, IV, Augustæ-Taurinorum, 1912, n. 277; TANQUEREY, *Synopsis theol. dogmat.* Tornaci, 1895, II, p. 430 s.; DEL VAL, *S. Theologia dogmatica*, Matriti, 1908, III, p. 394; MICHAËL, *Harmonie der sieben vorzüglichsten Messopfer-Theorien*, Mainz, 1907, p. 43; HEDLEY, *La Ste Eucharistie*, Paris, 1908, p. 199 ss. et p. 211; PÈGUES, apud *Revue Thomiste*, 1898, p. 268; BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol. morale*, IV, Prati, 1891, p. 705; LEHMKUHL, *Theol. mor.*, Friburgi Brisgoviæ, 1898, II, n. 165, NOLDIN, *De Sacramentis*, Œniponte, 1908, p. 163; GENICOT-SALSMANS, *Institutiones theol. mor.*, Bruxellis, 1912, n. 213.

(3) RENZ, *Die Geschichte des Messopfersbegriff, oder die neuen Theorien über das Wesen des unblutigen Opfers*, 2 Bde, Freising, 1901-1902, pariter essentiam Missæ potissimum in communione reponendam censet; sed hoc

palmare argumentum esse videtur auctoritas S. Alphonsi, cujus vestigiis etiam in hoc hærere satagunt.

Et sane haud difficulter solvuntur quæ ulterius invocant rationis momenta: quatenus scil. non reperiatur sufficiens Victimæ destructio in sola consecratione (1); vel quatenus destructioni Victimæ præsupponatur ut per consecrationem præviè sistatur præsens in altari (2); vel quatenus provocant ad rationem holocausti (3); vel tandem quatenus possent provocare ad liturgiam Missæ præsanctificatorum, in qua mentio occurrit sacrificii (4).

---

est propter singularem quam habet conceptionem de Missæ Sacrificio, quod proponit tanquam cœnam Sacrificium Crucis commemorantem: quam sententiam expositam videsis et refutatam apud RAUSCHEN, *Eucharistie und Busssakrament*, Freiburg i. Br., 1908, p. 46-69.

(1) Quod detur vera, etsi æquivalens dumtaxat, destructio sacrificalis in utriusque speciei consecratione, ostenditur apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 331 ss. et t. XII, p. 737 ss., ubi variæ sententiæ proponuntur circa rationem qua obtineat illa destructio in consecratione. Cf. etiam MICHAËL, o. c. Cæterum modò vidimus hanc destructionis rationem desiderari in communione.

(2) Hoc, uti respondet CARD. BILLOT, o. c., p. 572, posset admitti pro sacrificio ubi victima in propria specie offertur, quod scil. prævie ad ejus immolationem sit adducenda; id non valet pro sacrificio ubi victima offertur in specie aliena, per transsubstantiationem alterius rei in ipsam. « Evidens ratio disparitatis est, quia victima in propria specie oblata non potest immolari nisi per actionem quæ primo ad ipsam terminetur: quo fit ut præsupponi debeat ipsius victimæ præsentia. Sed si offeratur in sacramento, jam mutantur conditiones, quia tunc victima immolatur per actionem primo terminatam ad id quod in ipsam transubstantiatur; adeoque eadem actio est qua sub manentibus speciebus fit præsens, et qua sub iisdem in habitu mactationis constituitur ».

Quæ si quis attenderit, mirabitur a S. Alphonso, l. c., ejusque sectatoribus ita argui: « Si destructio non fieret per sumptionem, sequeretur quod sacrificium fieret in cœlo » (!).

(3) Nimirum urgent Missam importare sacrificium holocausti, adeoque postulare ad sui rationem ut Victima prorsus consumatur, ad modum quo in V. L. holocaustum igne consumebatur. Atvero si hæc urgentur, dicendum erit nec ipsam oblationem in Cruce fuisse competens sacrificium, cum divina Victima fuerit quidem mactata, sed non fuerit dicto sensu consumpta.

(4) Mentio sacrificii quæ occurrit in precibus liturgicis Missæ præsanctificatorum, refertur ad sacrificium præcedentis diei, cum quo intime connectitur ut illius pars integrans. Cæterum in Concilio *Toletano* XVI,

Nota. Si communio celebrantis non pertinet ad *essentiam* Sacrificii Missæ, equidem constituit ejusdem *partem integrantem*. Nimirum Sacrificio, in consecratione essentialiter perfecto et completo, per communionem accedit complementum quoddam extrinsecum, quatenus Victima immolata, in altari præsens constituta sub speciebus cibi et potus, natura sua postulet ut manducatione et potatione consummetur, seu « ordinem dicat ad sumptionem, ut ad complementum sacrosancti illius commercii quod sacrificantes habemus cum Deo » (1).

Unde gravissima lege, eaque *divina*, utpote quæ in ipsa sacrificii natura nititur, adstringuntur celebrantes sacerdotes sacrificium per s. communionem integrare, ac sacerdotis, post peractam consecrationem forte deficientis, vices supplere debet alius quivis sacerdos, etiam, si opus sit, non jejunus.

A. De Smet.

V

Q. *Faites connaître brièvement la propagation et l'influence dans les Pays-Bas des* Frères de la vie commune (2).

R. I. **Propagation des Frères de la vie commune.** Dans les premières années de leur existence les congrégations sans vœux, fondées par Geert Groote

---

c. 8 (Harduinus, l. c., col. 1798), Missæ illi denegatur dignitas sacrificii, cum, in dicto capite, decreverit quod, in passionis dominicæ die, nulli « Missarum licet solemnia celebrare ».

(1) Card. Billot, o. c., p. 567 s., quo loco subjungit: « Simili quippe modo in multis sacrificiis V. T., participatio victimæ per sumptionem sacerdotum certa lege præscribebatur; nec tamen unquam habita est ut pertinens ad ritum sacrificalem secundum se, sed magis ut consequens oblationem ipsam ». Hac communione celebrantis, signantur si in ea participent fideles assistentes, figura impletur sacrificiorum V. L., quorum pacifica a sacerdote et populo consumebantur; pax etiam significatur et pacifica unio intima cum Deo; pax tandem innuitur et fovetur fidelium ad invicem, per eamdem eidem mensæ participationem.

(2) Voir pour les origines et le caractère des *Fratres devoti* suprà p. 657. Nous avons consulté pour la réponse présente les ouvrages et articles signalés à cet endroit.

et son disciple Radewyns avaient été l'objet d'attaques violentes de la part des ordres mendiants. Mais ces contradictions ne firent qu'augmenter leur popularité; après avoir écarté le danger le plus pressant par la fondation du couvent de Windesheim (1), les pieuses associations purent essaimer non seulement dans les Pays-Bas, mais encore dans diverses régions de l'Allemagne.

Dans les Pays-Bas du nord le terrain avait été préparé par les missions de maître Gérard. « Travaillée par lui, dit M. Pirenne (2), la Hollande présente, dans la seconde moitié du XIVe siècle, le même élan de ferveur religieuse qui, deux cents ans plus tôt, étonnait Jacques de Vitry dans la vallée de la Meuse. Les villes s'emplissent de dévots que l'on reconnaît à leurs yeux brillants ou pleins de douceurs, à la pauvreté de leurs vêtements, à leur silence, à leurs extases pendant la messe ». Rien d'étonnant donc à ce que ces villes désirassent posséder dans leurs murs une de ces maisons, qui avaient pour mission de nourrir et d'étendre la *moderna devotio.*

A Zwolle une maison de Frères fut érigée presqu'en même temps que celle de Deventer. Sur les conseils de son ami maître Gérard, Johan Cele, recteur de l'école chapitrale de Zwolle, avait lui aussi groupé quelques *devoti* et leur avait acheté sur l'*Agnetenberg* une maison où ils purent habiter ensemble. Lui même en raison de sa fonction n'y entra pas; mais l'acte de fondation dit que « quelques pieux ecclésiastiques y habiteraient afin de pouvoir mieux servir Dieu; et que d'autres y pourraient être acceptés, soit comme hôtes passagers, soit pour y demeurer toujours ». La première maison devint bientôt insuffisante; une seconde fut ajoutée et un des disciples de Radewyns, le Frère Gérard Scadde, vint

(1) Voir notre article précédent, p. 660.
(2) *Histoire de Belgique*, t. II, p. 439.

pour la diriger et initier les frères à la règle et à l'esprit de Deventer (1).

C'est aux deux maisons de Deventer et de Zwolle que revient l'honneur d'avoir fondé la plupart des autres maisons des Pays-Bas. Nous ne pouvons que signaler celles-ci : déjà en 1385 les Frères se trouvent à Hoorn, en 1388 à Amersfoort, en 1403 à Delft et en 1407 à Hulsbergen. Les maisons de Gouda, de Bois-le-Duc et de Doesburg datent de 1425, celles de Groningue et de Harderwyck d'avant 1450 ; enfin Utrecht et Nimègue reçurent les Frères vers 1474.

La maison de Münster en Westphalie ouvre la série des fondations allemandes : elle fut fondée vers 1400 par un prêtre de cette ville, Hendrik van Ahuis, qui avait séjourné quelques temps chez les Frères de Deventer. Ce même Henri fonda encore les maisons de Cologne (1416) de Wesel (1435) et de Osnabrüch. A la veille de la réforme il y avait en Allemagne une vingtaine de maisons (2).

Dans les Pays-Bas du sud, la propagation des *fratres devoti* ne fut pas moins rapide : nous les rencontrons d'abord (vers 1410) à Liège sous le nom très caractéristique de *Frères de la Plume,* ils y donnèrent l'instruction aux enfants pauvres. En 1429 ils sont à Gand sous le nom de Hiéronymiens ou Frères des douze apôtres, en 1433 à Louvain (3), puis à Bruxelles (1460) et à Grammont (1469). La maison de Malines fut fondée en 1490 par Jean Standonk. Anvers et Bergues St Winnoc eurent probablement aussi une maison de Frères. Enfin

---

(1) M. Schœngen, *Die schule von Zwolle, I, Von den Anfängen bis zum Auftreten des Humanismus.* Frib-en-Br. 1898.

(2) Schulze, *art. cité*, p. 487.

(3) La maison de Louvain devint en 1447 le *Monasterium Canonicorum regularium Vallis S. Martini,* uni au Chapitre de Windesheim ; elle fut un centre d'humanisme et joua un rôle important dans la lutte entre humanistes et théologiens. Voir H. De Jongh, *L'ancienne Faculté de Théologie de Louvain au premier siècle de son existence (1432-1540),* Louvain 1911 (chap. III).

une dernière fondation fut faite à Cambrai au commencement du XVIe siècle (1).

On le voit les fondations se succédaient assez rapidement. Cette extension rapide les frères ne la devaient pas seulement à leur popularité, mais aussi au succès qu'avait obtenu le Chapitre de Windesheim. Nous avons dit ailleurs l'étroite union qui continua d'exister entre Windesheim et les autres fondations issues de Geert Groote. Or Windesheim était devenu en peu de temps le centre d'une congrégation importante, il ne s'était pas seulement accru par fondation directe, mais encore par des affiliations de couvents érigés antérieurement. Les chanoines, on le comprend, n'oubliaient pas les Frères dans leurs nouveaux centres d'activité et faisaient en sorte qu'une de leurs maisons fut érigée dans une ville du voisinage.

La plupart des maisons de Frères disparurent au temps de la réforme (2).

II. **Influence des Frères de la vie commune.**

Nous ne saurions indiquer dans ce bref aperçu toute l'influence exercée par les fondations que nous venons de signaler, elle ne fut pas partout la même ni également intense. Nous pouvons cependant dire que toutes contribuèrent puissamment au relèvement moral et intellectuel des populations.

1/ L'Eglise leur est particulièrement redevable d'abord pour le mouvement de rénovation spirituelle qu'elles provoquèrent à une époque où la vie chrétienne était en souffrance partout et notamment dans le clergé séculier et régulier. Les Frères de la vie commune ont été des réformateurs, mais au service et dans le sein

---

(1) SCHULZE, *a. c.*, p. 486.

(2) Dans les Pays-Bas du Sud la plupart des maisons de Frères ainsi que leurs revenus furent donnés aux évêques, lors de la nouvelle organisation des diocèses par Philippe II. Ce fut le cas pour les maisons de Gand, de Grammont, de Bruxelles, de Malines et de Cambrai ; à Liège les frères furent remplacés pas les Jésuites en 1581. *Ibid.*

même de l'Église. Au point de vue des doctrines, leur enseignement reflète la doctrine traditionnelle, sauf en de rares exceptions ; et encore faut-il remarquer que les expressions hardies qui leur échappent parfois, dénotent la conviction profonde de leur âme et doivent être entendues conformément aux autres passages de leurs écrits. S'ils infligent des blâmes energiques à l'Église de leur temps, ils font néanmoins les plus sincères protestations de l'attachement qu'ils lui portent (1). Ils ont, il est vrai, abandonné la scolastique ; mais c'est parce qu'ils la voyaient dégénérée, sans influence sur la vie du peuple et se perdant en discussions vaines et arides. Leur plus grand mérite fut précisément, celui d'avoir donné aux hommes, par la parole, par la plume et surtout par l'exemple une intelligence plus pratique de l'esprit du Christianisme et de la vie morale chrétienne.

Leur influence s'exerça surtout, nous l'avons déjà dit, sur les jeunes gens qui se préparaient à la cléricature : par le fait même les clercs indignes étaient peu à peu

---

(1) G. Bonnet-Maury dans deux études : *Gérard de Groote, un précurseur de la Réforme* (Paris, 1878) et *De opera scholastica Fratrum vitæ communis in Nederlandia* (Thèse, Paris, 1889), s'est efforcé en vain, à l'exemple de quelques autres écrivains protestants, de faire voir en maître Gérard et ses frères des « précurseurs de la réforme protestante ». D'autres écrivains plus autorisés, quoique protestants, comme Acquoy en Hollande et Schulze en Allemagne, ont hautement reconnu que Groote et ses frères étaient profondément attachés aux dogmes les plus combattus dans la suite par Luther et Calvin. Les Frères restèrent fidèles au principe que Groote exprime dans sa *publica protestatio* contre la défense de prêcher qui lui fut imposée : *salvo semper judicio sacrosanctæ romanæ ecclesiæ cui humillime undique et ubique me submitto* (Thom. a Kempis opera, ed. Somalius, p. 915).

Il faut ajouter que beaucoup d'auteurs sont bien mal placés pour porter un jugement sur les doctrines ascétiques des Frères, aussi profondes que suaves. Acquoy par exemple y trouve les errements des Méthodistes, d'autres ceux du Piétisme. Nous pouvons nous contenter de répondre avec Sa Grandeur Mgr l'Evêque (*Notanda quædam....* supra, p. 10, en note) que ces auteurs « mysticismum a se confictum profitentur.... nec ea quæ Dei sunt, tam profunde descripta a Sanctis mysticis, ullatenus perceperunt aut percipiendi capaces sunt ».

écartés du sanctuaire. En plus l'activité suprenante des disciples de Groote dans les paroisses était une leçon continuelle pour les prêtres ayant charge d'âme. Dans le peuple les prédications des Frères obtenaient le plus grand succès; elles étaient simples, sans recherche, sous la forme non de sermons solennels, mais de pieuses instructions ou méditations *(collatiën)*.

Mais leur grand moyen d'action fut la diffusion des livres spirituels. Outre ceux qu'ils se bornèrent à propager par la transcription des manuscrits et plus tard par l'impression (1), ils en composèrent eux-mêmes un grand nombre. Presque tous ces écrits, fruits de méditations et de lectures assidues de la Bible et des Pères, ont pour sujet la « vie intérieure » ou l'union avec Dieu, et les exercices qui la développent et l'alimentent (2). La vogue dont ces écrits jouirent suffit à elle seule pour

---

(1) Les frères furent parmi les premiers qui exploitèrent la nouvelle invention de l'imprimerie

(2) « Les frères, dit M. Auger (*o. c.*, p. 282), trouvaient dans la Bible des exhortations puissantes à la dévotion; ils réunissaient les maximes qui les avaient frappés: chacun d'eux avait son recueil *(rapiaria)* dans lequel il pouvait trouver des aliments nouveaux à son ardente piété ». D'aprés M. Vacandard (*Rev. du clergé français*, déc. 1908, p. 663 ss.) les quatre livres de l'*Imitation* ne seraient que le *rapiarium* de l'homme de génie que fut Thomas a Kempis.

Parmi les frères remarquables par leurs écrits mystiques, il faut surtout citer: Florent Radewyns (*Tractatulus devotus de extirpatione vitiorum* etc..., ed. Nolte, 1862); Gérard Zerbold de Zutfen (*De reformatione virium animæ, De spiritualibus exercitiis sive ascensionibus* etc.); Thierry van Herxen (*De innocentia servanda, De moriendi desiderio nobilia dicta, Speculum juvenum* etc.). On pourrait encore signaler ici l'activité littéraire des chanoines de Windesheim qui, tels que Thomas a Kempis, Gerlach, Peters, Hendrik Mande et bien d'autres, passèrent d'abord par les maisons des Frères. La même remarque doit être faite concernant les missionnaires de la réforme du clergé et des maisons religieuses: le cardinal Nicolas de Cusa, Jean Busch, Mauburnus et Jean Standonck sortirent des *fraterhuizen*. Beaucoup d'auteurs ne séparent pas d'ailleurs les fondations de Geert Groote et considèrent leurs œuvres et leur influence comme ne formant qu'une seule et même conséquence de l'esprit de Gérard Groote et de Ruysbroeck. Cfr. Auger, *o. c.*, p. 282 et passim; de même Acquoy, *o. c.*

prouver la grande influence exercée par les disciples de Gérard Groote (1).

2/ Les Frères exercèrent également une grande influence dans le domaine de l'instruction et en général sur la culture intellectuelle des habitants de nos pays à la fin du moyen âge. On peut dire qu'ils ont préparé notre renaissance, ce renouveau et cette ardeur aux études qui se sont manifestés chez nous d'une façon particulièrement brillante et avec moins d'exagérations qu'ailleurs (2).

Les Frères ont d'abord contribué pour beaucoup à la divulgation des ouvrages de l'antiquité classique par leurs ateliers de calligraphie; ils furent aussi les premiers à les imprimer: de 1480 à 1504, les frères de Deventer imprimèrent la plupart des chefs d'œuvre classiques (3).

Mais leur influence s'exerça surtout par leurs écoles et « convicts ». Grâce aux *fraterhuizen* l'instruction pénètra dans les classes inférieures de la société. Il est vrai qu'ils n'ont possédé d'écoles propres qu'à Utrecht, Liège et Bois-le-Duc; mais ailleurs ils avaient des « convicts » très florissants, des collèges dans lesquels

---

(1) On peut se demander si cette influence s'est fait sentir au delà du malheureux XVIe siècle. M. Acquoy (*o. c.*, II, p. 386) répond par une comparaison. « Een man nam een steen en wierp dien in het water. En er vormden zich kringen, al wijder en meer. En zij bleven zich vermenigvuldigen en voortdurend verbreeden, ook toen het oog de rimpels niet meer onderscheiden kon. » Disons plus: sans exagérer on peut attribuer pour une grande part le maintien héroïque et le réveil du catholicisme dans certaines régions de la Hollande et de l'Allemagne à l'élan de franche piété, produit par la maison de Deventer; et dans les pays restés fidèles à Rome, la restauration et la réforme catholique se sont souvent inspirées chez les disciples de Groote. Voir par exemple H. Watrigaut, S. J., *La genèse des exercices de Saint Ignace de Loyola*, Amiens, 1897, (parut également dans les *Études*, 1897).

(2) Voir H. De Jongh, *o. c.*, ainsique A. Roersch, *L'humanisme belge à l'époque de la Renaissance*, Bruxelles, 1910 et *Les Humanistes Belges de la Renaissance* dans *Revue générale*, t. LXXXIV, p. 39-62.

(3) Auger, *o. c.*, p. 331.

ils réunissaient les élèves fréquentant les écoles existantes et où ils mettaient à leur disposition des répétiteurs habiles (1). Or c'est de ces « convicts », ardents foyers de culture intellectuelle, que sortirent la plupart des professeurs et maîtres du temps, ainsique les grands représentants du nouveau mouvement scientifique (2).

Heureusement les *fratres devoti* surent distinguer entre une saine renaissance et des nouveautés pernicieuses. Si quelques uns de leurs élèves s'égarèrent, beaucoup ne pensaient pas autrement qu'un des plus brillants de leurs maîtres, le savant Hegius, qui disait que toute science est pernicieuse, s'il faut l'acquérir aux dépens de la piété. Aussi bien ne prétendaient-ils pas, comme certains humanistes du XVIe siècle, que la connaissance des classiques suffit à la formation complète de l'homme; ils subordonnaient ce genre d'études à une connaissance plus intime de l'esprit du christianisme (3).

Ajoutons que loin d'éprouver du mépris pour les compositions en langue vulgaire, comme ce fut le cas chez certains représentants des idées nouvelles, les Frères de la vie commune, en cherchant à pénétrer dans l'esprit même des auteurs classiques, trouvaient dans leurs lectures le moyen de perfectionner leur propre langue (4). A la suite de Ruysbroeck, Groote et ses disciples se servaient souvent de la langue du peuple,

---

(1) ALBERS, *Kerkgeschiedenis*, II, p. 228.

(2) Le programme des établissements des Frères peut se résumer en ces mots : « travailler à l'amélioration matérielle, intellectuelle et morale de la jeunesse, en battant en brèche les exagérations de la scolastique, en réagissant contre les habitudes de flânerie qui ne sévissaient que trop dans les écoles. » ROERSCH, *a. c.* dans *Revue générale*, p. 43.

(3) Parmi les *vieux humanistes* sortis des maisons des Frères ou leur appartenant, il faut citer : *Nicolas de Cusa* († 1464), *Rodolphe Agricola* (1442-1485), *Alexandre Hegius* († 1498), *Rodolphe Lange* († 1519) *Maurice de Spiegelbergh* († 1485) *Jean Murmellius* († 1517) etc. Voir ALBERS, *o. c.*, II, p. 256.

Conrad Mufianus Rufus et le fameux *Erasme* ne font pas honneur à la maison de Deventer où ils reçurent leur éducation (Ibid., p. 257, 259).

(4) AUGER, *o. c.*, p. 331.

ils préparèrent ainsi la belle époque de la littérature flamande du XVIe siècle.

R. De Schepper.

VI

Q. *In quibus Missis recitandum est Symbolum?*

R. I. Ad imitationem usus ecclesiæ Constantinopolitanæ (1), prima in Occidente, Hispania admisit in Missa recitationem symboli quod Nicœno-Constantinopolitanum vocari solet (2), jubente concilio Toletano tertio (a. 589) « ut... concilii Constantinopolitani... symbolum fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur, quo et fides vera manifestum testimonium habeat, et ad Christi Corpus et Sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant ».

Postea, addito jam *Filioque*, diffusum est s. VIII et IX per Galliam et Germaniam (3), ac tandem Romæ (4) anno,

(1) In Oriente symbolum recitandum post Evangelium « liturgiæ » seu Missæ induxisse dicitur Petrus Fullo (476-488) in ecclesia Antiochena, Timotheus I in eccl. Constantinopolitana (511-518) ubi postea, tempore imperatoris Justini II (565-578), repositum fuit ante *Pater Noster*.

(2) Ita vocatur quasi hoc symbolum fuisset a concilio Nicæno (a. 325) contra Arianos compositum, et postea a Conc. Constantinopolitano I (a. 381) amplificatum contra negatores divinitatis Spiritus Sancti. Verum jam ante Conc. Constantinopolitanum existebat sat similis formula in opere Epiphanii *Anchoratus* (cap. 121) conscripto a. 374. Imo videtur fuissse symbolum quoddam baptismale jam sat longo tempore in usu in ecclesia Hierosolymitana, quod postea mutatum fuit insertis formulis a Concilio Nicœno mutuatis. De hac re cf. bibliographiam ap. Héfélé-Leclercq, *Histoire des Conciles*, t. II, part. I, p. 11-13.

(3) De symbolo tacent Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus. Sed de eo dicit (S. IX) Walafridus Strabus, *De ecclesiastic. rerum exordiis et incrementis*, c. 22 (Migne P. L. t. 114, col. 947) morem inductum fuisse Constantinopoli « ut contra hæreticorum venena, in ipsis etiam sacramentorum celebrationibus, medicamenta... fidelium devotio replicaret: ab ipsis ergo ad Romanos ille usus creditur pervenisse. Sed apud Gallos et Germanos post dejectionem Felicis hæretici [Adoptianistarum ducis], sub gloriosissimo Carolo Francorum rectore damnati [a. 794], idem symbolum latius et crebrius in missarum cœpit officiis iterari ». Florus Lugdunensis, *De expositione Missæ*, c. 11 enumerat « symboli confessionem » inter partes consuetas (Migne P. L. t. 119, col. 25).

(4) Deest in sacramentario Gregoriano: tempore Leonis III (795-816)

ut videtur, 1014 occasione coronationis Henrici II in imperatorem (1), jubente Benedicto VIII, admissum fuit. In his omnibus regionibus semper cantabatur post Evangelium (aut homiliam). Locus ille, optime convenit symbolo recitando. Symbolum a/ absolvit missam catechumenorum solemniter exprimendo assensum fidei veritatibus in epistola, evangelio et homilia propositis, et b/ præparat missam fidelium fovendo fidem quæ est dispositio fundamentalis ad sanctam sacrificii oblationem.

II. Ad quæstionis nostræ solutionem operæ pretium est animadvertere auctores coævos generatim testari recitationem symboli inductam fuisse ad exprimendam *publicam professionem fidei cleri et totius populi* contra ingruentes errores, tanquam « medicamentum contra hæreticorum venena in ipsis etiam Sacramentorum celebrationibus » ut ait Walafridus Strabus s. IX (2).

Huic fini omnino consentanea erat praxis medii ævi ut Symbolum non tantum legeretur a sacerdote, sed decantaretur non a solo choro sed ab *universo populo* (3).

Exinde etiam sponte videtur sequi regula quam suspicamur fuisse primitivam et fundamentalem, ut nempe decantaretur symbolum iis in missis ad quas frequentior accurreret populus christianus (4). Postea tamen, invalescente explicatione symbolica omnium cœremoniarum, habitum est symbolum ut « canticum

---

Romæ non est in usu in Missa, ut videtur; in Ordine Romano II recentius fuit insertum; de eo tacet Micrologus.

(1) Cf. Berno Augiensis, *De officio Missæ*, c. 2 (Migne P. L. t. 142, col. 1060-1061).

(2) Recole v. g textum citatum Conc. Toletani et integrum textum Walafridi. Ceterum ratio ob quam Romæ non dicebatur *Credo* hæc allegabatur: ecclesiam Romanam nunquam fuisse « hœreseos fæce infectam ». Berno Aug. *l. c.*

(3) De his omnibus vide duo opera recentia præstantissima: A. Fortescue, *The mass, a study of the roman liturgy*, London, Longmans, 1912; Thalhofer-Eisenhofer, *Handbuch der Katholischen Liturgik*, 2 ed. Herder, 1912, t. II, p. 100-105.

(4) Berno Augiensis Abbas l. c. testatur Benedictum VIII jussisse « ut ad *publicam* missam illud decantarent ».

lætitiæ » (1) et prævaluit principium ut recitaretur symbolum « in eorum tantum festis quorum in symbolo fit mentio » (2). Sed mira est varietas inter ecclesiarum usus et doctores diversos tum quoad seriem festorum determinandam, tum maxime quoad justificationem applicationis regulæ præfatæ (3). Ex quo suspicari licet non hanc sed aliam fuisse primitivam regulæ rationem.

III. Nostris diebus ita solent rubricarum doctores regulam statuere ut symbolum sit dicendum ratione:

A/ *mysterii*, seu relationis inter mysterium quod in Missa celebratur et veritates fidei in symbolo expressas;

B/ *doctrinæ* fidei, quam speciali titulo prædicarunt quidam Sancti;

C/ *solemnitatis* seu celebritatis et concursus populi.

Dicendum est igitur hodie symbolum:

A/ ratione **mysterii**: 1/ in omnibus *diebus Dominicis* (quia Dominica dicata est SS. Trinitati colendæ), etiamsi Missa sit de festo quod per se non habet jus ad *Credo* (v. g. S. Laurentii). Non dicitur in Missa Dominicæ anticipatæ infra hebdomadam celebrata, quia *Credo* adhæret *diei* Dominicæ, non formulari Missæ dominicalis. Tamen dicendum non est in Missa Rogationum quæ in festo S. Marci occurreret in Dominica (n. 2802, ad I) (4).

2/ In omnibus festis *Domini*, *B. Mariæ Virginis*, *Angelorum* et *S. Joseph*.

B/ Ratione **doctrinæ**: in festis primariis *Apostolorum*,

---

(1) Ita INNOCENTIUS III, *De sacro altaris mysterio*, lib. II, c. 50; DURANDUS, *Rationale divinorum officiorum*, lib. IV, c. 25, n. 13. Ideo cantabatur v. g. per octavam Nativitatis Domini, excepto festo Innocentium; alibi cantabatur singulis diebus a Paschate ad Ascensionem.

(2) Cf. BELETH, *Rationale divinor. offic.*, c. 40; INNOCENTIUS, *l. c.*; DURANDUS, *l. c.*

(3) V. g. in festo S. Martini « quia de eo cantatur: Martinus par Apostolis »! (DURANDUS, *l. c.*).

(4) Idem dicendum si missa Rogationum occurreret infra octavam Paschatis (n. 2002, 12). Ratio quia *Credo* qui habetur ut « cantus lætitiæ » repugnat indoli pœnitentiali missæ Rogationum.

Evangelistarum et *Ecclesiæ Doctorum,* necnon in eorum festis secundariis si ritu saltem duplici potiantur. Item in festo *B. Mariæ Magdalenæ* quasi « Apostolorum Apostolæ » quæ « prima resurrectionis gaudium apostolis nuntiavit » (1).

Item in festo *Sanctorum omnium*, in quo præfati illi Sancti etiam et præcipue quidem coluntur.

Inde notissima regula mnemothecnica: « DA credit, MUC (seu MVC) non credit » DA = Doctores et Apostoli; MVC = Martyres, Virgines et Confessores.

C/ Ratione **celebritatis**: 1/ in festis primariis et etiam, si ritu saltem duplici celebrentur, in secundariis (nn. 2484; 3249, 1; 4192, 4): a/ principalis *Patroni loci* (oppidi, civitatis, diœcesis) intra limites sui patronatus (2), b/ *Titularis ecclesiæ*, in ipsa hac ecclesia (3), c/ *Fundatorum ordinis religiosi* in respectivis ordinum ecclesiis;

2/ in festo Sancti (vel etiam Beati, si ejus Missa sit concessa) cujus asservatur Reliquia *insignis* in ipsa ecclesia in qua celebratur (n. 2802, 1), modo festum sit ritus saltem duplicis (nn. 1333, 14; 1890, 5) idque etiamsi Reliquia non exponatur (n. 4186, 2). Quare, in festo SS. Reliquiarum quod deinceps fixe celebrabitur die 5 Novembris (decr. 9 febr. 1912, ad 2), *Credo* extra diem Dominicam dicendum erit « in solis ecclesiis diœceseos in quibus asservantur [alicujus *Sancti*] Reliquiæ *insignes* » (n. 3238) (4);

---

(1) Ita Innocentius III, *De sacro altaris mysterio,* lib. II, c. 50.

(2) Ideo dici debet *Credo* per totam diœcesim Brugensem in festo secundario Translationis S. Donatiani (30 Aug.).

(3) Non in aliis ecclesiis ejusdem civitatis (nn. 2189 et 4281, 3, suprà p. 215) aut diœcesis, nisi agatur festum Titularis ecclesiæ *cathedralis* ad quod tenentur omnes ecclesiæ diœcesis (n. 3863, 2).

(4) S. Cong. Rituum « *insignes* Reliquias declaravit esse caput, brachium (aut solam partem anteriorem vel superiorem, n. 4041), crus (integrum, non solam tybiam n. 1234, 2), aut illam partem corporis in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinariis approbata » (n. 555), item « cor, linguam, manum, (pedem) si ex miraculo intacta conserventur » (n. 4041).

3/ in Missis *votivis solemnibus* pro re gravi (quæ supponuntur celebrari cum solemnitate extrinseca et populi concursu) nisi celebrentur extra dominicam in colore violaceo. Item generatim in *votivis privilegiatis*, pro quibus tamen singulis rescripta concessionis sunt inspicienda. Non autem dicitur *Credo* in Missis votivis pro sponso et sponsa, nec in votivis privatis.

Nota. Quando aliquod festum quod jus habet ad symbolum celebratur cum octava, *Credo* dici debet per totam octavam (1) quamvis Missa sit de alio festo occurrente, et etiamsi ipsa commemoratio octavæ esset omittenda ob excellentiam festi occurrentis. Pari ratione, ob principium hodie admissum vi cujus festum quoddam commemoratum ita influit in officium diei ut omnia sibi propria secum trahat, quæ non repugnant officio ipsi, *Credo* dicendum esset in Missa festi quod per se jus ad symbolum non habet, si in ipsa facta sit commemoratio alicujus festi occurrentis simplificati, quod jus ad symbolum habet (S. R. C. 21 jun. 1912, ad IV). Tamen « in Missa de vigilia vel de feria dicendum non est *Credo* ratione festi vel octavæ symbolum habentis » (S. R. C. 24 maii 1912, ad VI, 2°). Ratio est quia caracter lætitiæ symboli congruere non censetur indolæ vigiliæ aut feriæ (2).

C. Callewaert.

(1) Tamen Regulares utentes proprio calendario tenentur quidem recitare symbolum in ipso festo Titularis ecclesiæ cathedralis (quod celebrare debent), non vero infra octavam ejus (ad quam non tenentur) nisi alio titulo ad Octavam dicti Titularis teneantur (cf Victorius ab Appeltern, ap. *Ephem. Liturg.*, 1912, p. 330 ss.).

(2) Si tamen celebretur vigilia Nativitatis in Dominica, dicitur *Credo*.

MISCELLANEA

Decreta authentica Congr. SS. Rituum (Vol. VI, App. I) ad musicam sacram spectantia.

Supra (1), generalia quædam ac specialia tradita fuerunt de Appendice I ad volumen VI *Collectionis authenticæ S. C. Rituum*. Ex eo quod alia decreta omissa sint, alia in unum compacta, alia modificata vel emendata, merito deducebatur quanta prudentia sit recurrendum ad antiqua decreta quin inspiciatur textus Collectionis authenticæ (2). Hæc conclusio valet etiam pro decretis *ad musicam sacram et cantum gregorianum* spectantibus. Quæ percurremus, afferendo tum decreta hucusque in nulla officiali commentario edita, tum modificationes præcipuas dubiorum et responsorum.

I. Acta de restauratione musicæ sacræ, de editione perficienda aut perfecta editionis Vaticanæ, simul ac Instructiones ad episcopos aut editores de editione aut approbatione librorum cantum gregorianum continentium de verbo ad verbum in nova Collectione reperiuntur (3). Animadvertendum tamen est, primo, quod Motu proprio SS. D. N. Pii PP. X *de musica sacra*, d. d. 22 nov. 1903 (nº 4121), ejusque epistola ad Card. Vica-

---

(1) *Collat. Brug*, p. 668.

(2) p. 674. Dolendum est quod de correctione *juridica* decretorum et responsorum non fiat mentio in Collectione authentica.

(3) Prodierunt omnes apud *Collat. Brug.*, exceptis : nº 4134. *Motu proprio* de editione Vaticana librorum liturgicorum gregorianum cantum continentium, d. d. 25 apr. 1904 (textus italicus et latinus); nº 4234. *Instructiones* circa cantus concinnendos atque edendos, Officia propria alicujus Ecclesiæ vel Instituti respicientes, d. d. 24 maii 1909. Decreto nº 4266 de editione librorum liturgicorum 17 maii, 1911 ad. (*Collat. Brug.*, XVI, 605), addita est in præambulo mentio decreti nº 4263, 11 apr. 1911, post verba « cantum gregorianum continentibus ».

rium *de musices sacræ restauratione* diei 8 dec. 1903 (nº 4125) prostent in italico et latino sermone; deinde, quod præfatio officialis Gradualis Vaticanæ editionis, *de ritibus servandis in cantu Missæ* non fuerit reassumpta; etsi de ea præfatione loquatur Decretum generale *Hanc vaticanam*, diei 7 aug. 1907, præmissum editioni typicæ (1).

II. Aliqua responsa et documenta e nova collectione exciderunt, vel quia dubiis propositis sufficienter aliter provisum est, vel quia valorem directivum potius quam præceptivum præseferebant; citantur: *Plocensis*, de choris mixtis, 19 febr. 1903 (2); *Plocensis*, de cantibus in lingua vernacula, 29 jan. 1904 (3); *Tergestina et Justinopolitana*, de abusibus in cantu infra missam, 3 jul. 1904 (4); demùm, Epistola Card. Martinelli, præfecti C. SS. Rit., de indole rythmica editionis Vaticanæ, d. d. 18 feb. 1910 (5).

III. Alia documenta primum publicantur modo officiali:

a/ nº 4239. *Mechlinien.* de cantu post Elevationem et *Benedictus* (6).

Hodiernus Præses Commissionis de Musica Sacra, ab Emo et Rmo Domino Card. Archiepiscopo in Diœcesi Mechliniensi constitutæ, Sacrorum Rituum Congregationi, de consensu ipsius Emi Archiepiscopi, reverenter exposuit, vigere in Diœcesi consuetudinem canendi in Missa solemni exsequiarum, post Elevationem et *Benedictus*, mottetum: *Pie Jesu, Domine, dona eis requiem sempiternam* vel, *Jesu, salvator mundi, exaudi, preces supplicum.* — *Miserere mei,* etc. ex libro Job. Hinc idem Orator ab ipsa Sacra Congregatione humiliter expostu-

(1) *Collat. Brug.*, XII, p. 729.
(2) *Collat. Brug.*, VIII, 452.
(3) *Collat. Brug.*, IX, 465.
(4) *Collat. Brug.*, XI, 195.
(5) *Act. Ap. Sedis*, 1910, t. II, p. 145; *Collat. Brug.*, XV, 499.
(6) *Collat. Brug.*, XV, 494. Summarium desumitur ex Indice ipsius Collectionis.

lavit, an ejusmodi consuetudo, quæ pietati fidelium congruere videtur, possit continuari?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, audito etiam Commissionis liturgicæ suffragio, propositæ quæstioni ita respondendum censuit: Servetur Decretum Generale, nº **3827**, diei 22 Maii 1894, ad III (1), nempe: si post Elevationem et *Benedictus*, usque ad orationem Dominicam, aliquid modulari libeat, quod concinitur, ad Sacramentum pertineat, et ad mentem. — Mens est, continuari posse cantum primi motteti *Pie Jesu, Domine, dona eis requiem sempiternam*, et etiam alterius *Jesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum*, absque tamen sequentibus versiculis. Quam resolutionem et mentem Sacræ Rituum Congregationis, Sanctissimo Domino nostro Pio Papæ X, per Cardinalem eidem Sacræ Congregationi Præfectum relatas, Sanctitas sua ratas habûit et probavit. Die 11 Augusti 1909.

b/ nº **4263**. *Decretum seu declaratio super editione Vaticana ejusque reproductione quoad libros liturgicos gregorianos.*

Cum postulatum fuerit, an Episcopi possint propriam approbationem donare libris cantus gregoriani, melodias Vaticanæ editionis adamussim reproductas continentibus, sed cum signorum rythmicorum indicatione, privata auctoritate additorum?

Sacra Rituum Congregatio ad majorem declarationem Decreti nº **4259**, 25 Januarii vertentis anni (2), respondendum censuit:

Editionibus in subsidium scholarum cantorum (3), signis

---

(1) *Collat. Brug.*, VII, 659: « Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, juxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima elevatione, quam juxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem Dominicam usque, aliquid modulari libeat, Sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis, quæ ex Liturgia canenda sunt, nihil prætermittatur, Celebrans a Missa continuanda non impediatur et quod concinitur ad Sacramentum pertineat ».

(2) *Collat. Brug.*, XVI, 236. Cf. Decretum nº 4178, 14 feb. 1906, ap. *Collat. Brug.*, XI, 654.

(3) Notetur limitatio.

rythmicis, uti vocant, privata auctoritate ornatis, poterunt Ordinarii, in sua quisque Diœcesi, apponere *Imprimatur,* dummodo constet, cetera, quæ in Decretis Sacræ Rituum Congregationis injuncta sunt, quoad cantus gregoriani restaurationem, fuisse servata.

Quam resolutionem etc.... Sanctitas Sua ratam habuit et probavit. Die 11 Aprilis 1911.

IV. Plura decreta, majores aut minores modificationes subierunt.

a/ Decretum n° 4156, *Compostellana* de usu instrumentorum musicorum in sacris functionibus, diei 15 aprilis 1905, in unum composuit duo decreta data ad postulationem Archiepiscopi Compostellani : primum, d. d. 8 jan. 1904 (1), quod hodie dubium II efformat; aliud, d. d. 15 aprilis 1905 (2), cujus dubium I tantum remansit, demptis dubiis II et III. Responsio ad dubium I fuit paulisper modificatum.

En hodiernus tenor:

E^mus^ et R^mus^ D^ns^ Cardinalis Josephus M. Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, ad S. Rituum Congregationem mittens elenchum tum Festorum quæ in sua Ecclesia Cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta;* tum instrumentorum quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus: atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis, quæ Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in Motu proprio super musica sacra, statuit, nempe: « Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia instrumenta musica sed annuente Episcopo, ut Cæremoniale Episcoporum præcipit », eidem Sacræ Congregationi sequentia dubia enodenda reverenter proposuit, videlicet:

I. An, et in quibus Festis permitti possit usus instrumentorum, quæ (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas*) in elencho recensentur?

II. Quum ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis

(1) *Collat. Brug.*, IX, 465.
(2) *Ibid.*, X, 504.

in una Pisana, nº **4111**, diei 20 Martii 1903, tolerari non possit, ut cantus Lamentationum, Responsoriorum et Psalmi *Miserere,* in Feriis IV, V et VI Majoris Hebdomadæ, fiat cum instrumento *Harmonium* et aliis sine strepitu, a corda, instrumentis: *violini*, *viole*, *controbassi* nuncupatis, neque cum solo instrumento *harmonium:* An prædictum Decretum habendum sit tanquam Decretum Generale, seu Urbis et Orbis, ita ut ubique obliget, non obstante quacumque consuetudine in contrarium etiam immemoriali?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem Secretarii, exquisito voto utriusque Commissionis, Liturgicæ ac super musica et cantu sacro, rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam partem: Affirmative; ad secundam partem: In illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Cæremoniali Episcoporum, a prædicto Motu proprio, et a Decretis S. R. C.; verum juxta prudens Ordinarii arbitrium, in singulis casibus.

Ad II. Affirmative, quum Decretum Rubricas respiciat, universam Ecclesiam spectantes (1), et in casu provisum etiam Motu proprio SSmi Dni N. Pii Pp. X, super musica sacra, nº **4121**, 22 Novembris 1903, et subsequenti Decreto Sacræ Rituum Congregationis, nº **4131**, Urbis et Orbis, die 8 januarii 1904 edito.

Atque ita rescripsit, die 15 aprilis 1905.

b/ nº **4265**. *Dubia I et II* de usu organi ad sustinendum cantum, d. d. 11 maii 1911 (2).

Ad dubium II responsum fuit licere hunc usum in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, additis in nova Collectione: « Excepto ultimo triduo Majoris Hebdomadæ post et ante Hymnum Angelicum respectivæ Missæ ».

---

(1) Inde non solvitur quæstio num interpretationes comprehensivæ formaliter particulares, æquivalenter universales, legis *objective dubiæ* obligent omnes; nam in casu agitur de declaratione legis universalis *objective claræ.*

(2) *Collat. Brug.*, XVI, 555.

c/ nº 4210. *Angelopolitana* ad II, de mulierum cantu in ecclesiis, d. d. 17 jan. 1908 (1).

In II dubio, omissa fuit mentio decreti Plocensis, 19 febr. 1903, quod e Collectione disparuit.

Ad II, responsio nunc hujus tenoris est:

Affirmative ad utrumque, et ad mentem. Mens est; Ubi viri et pueri suam partem convenienter, tanquam Chorus seu *Schola cantorum* conferre possunt, mulieres et puellæ canentes a reliquo populo non distinguantur, salva separatione virorum a mulieribus, ubi laudabilis hujusmodi servatur consuetudo; et, ubi præsertim officiatura choralis habetur, cantus exclusivus mulierum non admittatur, nisi ex gravi causa, ab Ordinario agnoscenda; et cauto semper ut quævis inordinatio vitetur (2).

d/ nº 4144. *Giennen,* ad III de intonatione *Gloria in excelsis,* diei 11 nov. 1904.

Dubium III habet: An permittenda sit præintonatio *Gloria in excelsis* in Missis solemnioribus a duobus cantoribus? Omissa fuere verba sequentia: dum in choro canitur *Kyrie eleison.*

Loco *negative* et serventur Rubricæ et Decreta, Responsum est: Affirmative, ubi adsit longæva consuetudo, quæ difficulter eliminari possit.

e/ nº 4243. *Cephaluden* ad VI de cantu *Benedictus* post Elevationem, diei 16 dec. 1909 (3).

Ad VI. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante Elevationem, vel standum sit præscriptioni Cæremonialis Episcoporum, lib. II, cap. VIII, nn. 70, 71? Responsioni: « Standum Cæremoniali Episcoporum » additum est « et Decretis » (4).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, XIII, 341.

(2) In Decreto nº 4231, *Neo-Eboracen,* similis materiæ, diei 18 dec. 1908 (*Collat. Brug.*, XIV, 166) quædam minuta mutata sunt in dubio proposito: legendum est *declaratum* fuit, loco *concessum* fuit; et exciderunt verba *inter christifideles* post « ut viri et pueri ».

(3) *Collat. Brug.*, XV, 247.

(4) Inde Mens Congregationis patet. Summarium in Indice sic sese habet: *Benedictus* in Missa solemni cani nequit ante Elevationem, sed canendum est peracta Elevatione. Cf. nº 4239, 3827.

f/ n° 4247. *Squillacen.* de prohibito usu *Grammofono* loco cantus liturgici gregoriani, 11 feb. 1910 (1). Addita sunt post « partium variabilium » verba *aut invariabilium.*

g/ n° 4268. *Westmonasteren.* 27 Maii 1911 (2) in quo duo dubia exciderunt. Adjuncta fuit in responso ad dubium X de cantibus in lingua vernacula mentio decreti n° 3537 Leavenworthien, 27 feb. 1882, ad III.

A. De Meester.

(1) *Collat. Brug.*, XV, 250.
(2) *Ibid.*, XVI, 547.

PII PP. X EPISTOLA ENCYCLICA (1).

Ad V. E. Georgium Kopp S. R. E. Presbyterum Cardinalem Episcopum Vratislaviensem ceterosque Archiepiscopos et Episcopos Germaniæ de consociationibus opificum catholicis et mistis.

PIUS PP. X

Dilecte Fili noster et Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem.

I. Præambulum. Cupimus excutere controversiam de consociationibus opificum

Singulari quadam caritate benevolentiæ erga Germaniæ catholicos, qui, huic apostolicæ Sedi summa fide atque obsequio devincti, generose ac fortiter contendere pro Ecclesia consueverunt, impulsi sumus, venerabiles fratres, omne studium curamque convertere ad eam excutiendam controversiam, quæ inter eos est, de consociationibus opificum : de qua quidem controversia jam pluries Nos proximis annis cum plerique vestrum tum prudentes et graves viri utriusque partis edocuerant. Atque eo studiosius incubuimus ad rem, quia pro apostolici officii conscientia intelligimus sacrosanctum Nostrum esse munus eniti et efficere, ut doctrinam catholicam hi Nobis dilecti filii sinceram et integram servent, nec ullo pacto sinere, ut ipsa eorum Fides periclitetur. Nisi enim mature excitentur ad vigilandum, patet periculum eis esse, ne paullatim et quasi imprudenter in vago quodam nec definito genere christianæ religionis acquiescant, quæ *interconfessionalis* dici solet, et cum inani communitatis christianæ commendatione diffunditur, cum tamen manifesto nihil ea sit prædicationi Jesu Christi magis contrarium. Accedit quod, cum maxime Nobis in optatis sit catholicorum fovere et firmare concordiam, amoveri quaslibet volumus causas dissensionum, quæ, bonorum vires distrahendo, non possunt, nisi adversariis Religionis, prodesse: quin etiam cupimus optamusque, ut cum ipsis civibus a professione catholica

ex munere nostro invigilandi fidei

et desiderio firmandi concordiam inter fratres

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 657.

alienis nostri eam pacem colant, sine qua nec disciplina societatis humanæ nec prosperitas civitatis queat consistere. — Quamvis autem, ut diximus, statum hujus causæ haberemus cognitum, tamen placuit, antequam eam dijudicaremus, uniuscujusque vestrum, venerabiles fratres, exquirere sententiam: vosque rogantibus Nobis ea quidem diligentia ac sollicitudine singuli respondistis quæ gravitati quæstionis erat consentanea.

et pacem cum acatholicis.

consultis Episcopis.

Itaque primo loco edicimus catholicorum omnium officium esse et quidem in consuetudine vitæ tum privata tum communi et publica sancte inviolateque servandum, tenere firmiter profiterique non timide christianæ veritatis principia, Ecclesiæ catholicæ magisterio tradita, ea præsertim quæ Decessor Noster sapientissime in Encyclicis Litteris *Rerum novarum* exposuit; quæque maxime et episcopos Borussiæ, qui anno MCM Fuldam convenerant, in suis consultis secutos esse scimus, et vosmet ipsos, rescribentes Nobis quid de hac quæstione sentiretis, summatim complexos esse videmus.

II. Principia et dispositiones.

A/ In vita privata et publica sunt servanda *principia* christiana:

Videlicet quidquid homo christianus agat, etiam in ordine rerum terrenarum, non ei licere bona negligere quæ sunt supra naturam, immo oportere, ad summum bonum, tamquam ad ultimum finem, ex christianæ sapientiæ præscriptis, omnia dirigat: omnes autem actiones ejus, quatenus bonæ aut malæ sunt in genere morum, id est cum jure naturali et divino congruunt aut discrepant, judicio et jurisdictioni Ecclesiæ subesse. — Quicumque vel singuli vel consociati christiano glorientur nomine, non eos debere, si officii sui meminerint, inimicitias simultatesque alere inter ordines civium, sed pacem caritatemque mutuam. — Causam socialem controversiasque ei causæ subjectas de ratione spatioque operæ, de modo salarii, de voluntaria cessatione opificum, non mere œconomicæ esse naturæ, proptereaque ejusmodi, quæ componi, posthabita Ecclesiæ auctoritate, possint, « quum contra verissimum sit eam (quæstionem socialem) » moralem in primis et religiosam esse, ob eamque rem ex » lege morum potissimum et religionis judicio dirimen- » dam » (1).

christiani actiones debent dirigi in finem ultimum

et Ecclesiæ judicio subesse;

fovenda est pax;

causa socialis etiam religiosa est.

(1) Epist. Encycl. *Graves de communi.*

B/ *Opificum societates vere catholicæ* sunt maxime probandæ, promovendæ;

Jam, quod ad societates operariorum attinet, quamquam iis propositum est commoda hujus vitæ comparare sociis, tamen maxime probandæ, aptissimæque omnium ad veram solidamque sociorum utilitatem illæ sunt habendæ, quæ præcipue religionis catholicæ fundamento constitutæ sunt et Ecclesiam aperte sequuntur ducem: id quod pluriés Nosmet ipsi, ut ex diversis gentibus occasio oblata est, declaravimus. Ex quo illud consequitur, ut consociationes hujusmodi, confessionis, ut aiunt, catholicæ, in regionibus catholicorum certe ac præterea in aliis omnibus, ubicumque per eas variis sociorum necessitatibus consuli posse videatur, institui atque omni ope adjuvari oporteat. Neque vero, — si de iis consociationibus agitur, quæ causam religionis et morum directe aut oblique contingant — res foret quæ probari ullo modo posset, in iis ipsis regionibus, quas modo memoravimus, fovere et propagare velle consociationes mistas, id est, quæ ex catholicis et acatholicis conflentur. Etenim, ut alia omittamus, in magnis sane periculis ob societates hujus generis versantur aut certe versari possunt nostrorum et integritas Fidei et justa obtemperatio legibus præceptisque Ecclesiæ catholicæ: quorum quidem periculorum etiam in pluribus e vestris de hac quæstione responsis, venerabiles fratres, apertam significationem legimus.

in iis quæ religionem tangunt consociationes mistæ non possent probari

ob periculum fidei et obedientiæ.

Quare catholicas laudamus;

Nos igitur mere catholicas, quotquot sunt in Germania, consociationes opificum perlibenter omni ornamus laude, cupimusque bene evenire quidquid nituntur in commodum multitudinis operariæ, lætioraque semper eis optamus incrementa. Verumtamen, hoc cum dicimus, non negamus fas esse catholicis — ut meliorem opifici fortunam, æquiorem mercedis et laboris conditionem quærant, aut alia quavis honestæ utilitatis causa — communiter cum acatholicis, cautione adhibita, laborare pro communi bono. Sed ejus rei gratia, malumus catholicas societates et acatholicas jungi inter se fœdere per illud opportunum inventum, quod *Cartel* dicitur.

possunt cum acatholicis inire *cartel.*

C/ *Syndicatus christianos,*

Hic autem, venerabiles fratres, non pauci a Nobis petitis, ut Syndicatus christianos qui appellantur, uti hodie in vestris diœcesibus constituti sunt, per Nos vobis tolerare liceat, propterea quod et numerum opificum longe majorem, quam consociationes mere catholicæ, complectuntur, et magna, si

ob adjuncta specialia

id non liceret, essent incommoda secutura. Cui Nos petitioni, respicientes peculiarem rei catholicæ rationem in Germania, putamus concedendum, declaramusque tolerari posse, et permitti catholicis, ut eas quoque societates mistas, quæ in vestris sunt diœcesibus, participent, quoad ex novis rerum adjunctis non desinat hujusmodi tolerantia aut opportuna esse aut justa; ita tamen, si cautiones adhibeantur idoneæ ad declinanda pericula, quæ in ejus generis consociationibus inesse diximus. Quarum cautionum hæc præcipua sunt capita. — Primum omnium, curandum est, ut qui opifices catholici horum Syndicatuum participes sunt, iidem catholicis operariorum societatibus, quæ *Arbeitervereine* appellatione notantur, sint adscripti. Quod si ob hanc causam debeant alicujus rei, præcipue pecuniæ, jacturam facere, pro certo habemus, eos, ut sunt incolumitatis fidei suæ studiosi, non invite facturos. Etenim feliciter usu venit, ut hæ consociationes catholicæ, adnitente clero cujus ductu vigiliaque gubernantur, plurimum valeant ad sinceritatem fidei, ad integritatem morum tuendam in sociis, atque ad alendos eorum religiosos spiritus multiplici exercitatione pietatis. Quare qui consociationibus hisce moderantur, non est dubium, quin, gnari temporum, velint, præsertim de justitiæ et caritatis officiis, ea præcepta et præscripta tradere operariis, quæ his necessarium aut utile sit probe novisse, ut in Syndicatibus recte possint et secundum doctrinæ catholicæ principia versari.

toleramus

modo adhibeantur cautiones:

a/ ut horum socii etiam adscribantur catholicis *Arbeitervereine;*

Præterea, Syndicatus iidem — ut sint tales, quibus catholici dare nomen possint — necesse est ab omni se contineant vel ratione vel re quæ cum doctrinis mandatisque Ecclesiæ legitimæve potestatis sacræ non conveniat: itemque ne quid minus probandum ex hoc capite aut scripta aut dicta aut facta eorum præbeant. Quare Sacrorum Antistites officii ducant sanctissimi, observare sedulo, quem ad modum hæ societates se gerant, et vigilare, ne catholici homines ex earum communione aliquid detrimenti capiant. Ipsi autem catholici Syndicatibus adscripti ne umquam siverint, ut Syndicatus, etiam qua tales, in curandis terrenis sociorum rebus ea profiteantur aut faciant, quæ quocumque modo contraria sint præceptis, supremo Ecclesiæ magisterio traditis, iisque præsertim, quæ supra revocavimus. Et hanc ob

b/ ut syndicatus nihil agant contra doctrinam et mandata Ecclesiæ,

cui rei invigilent Episcopi.

causam quoties de rebus attingentibus mores, id est de justitia aut caritate, quæstiones exsistent, attentissime vigilabunt episcopi, ne fideles catholicam morum disciplinam negligant, neve ab ea transversum unguem discedant.

D/ Quo religiosius ea *serventur*, curantibus Episcopis,

Equidem certum habemus, venerabiles fratres, fore ut quæ hic a Nobis præscripta sunt, ea vos religiose inviolateque servanda curetis, Nosque diligenter et assidue de re tanti momenti certiores faciatis. Quoniam vero hanc Nobis assumpsimus causam, ejusque judicium, consultis episcopis, Nostrum debet esse, præcipimus bonis quotcumque numerantur in catholicis, ut eadem de re jam nunc omni inter se disputatione abstineant; qui quidem, juvat confidere futurum, ut fraternæ servientes caritati, pleneque obsequentes auctoritati Nostræ suorumque Pastorum, integre et ex animo efficiant quæ jubemus. Quod si qua inter eos rerum difficultas oriatur, quo modo dissolvenda ea sit, habent in promptu: adeant episcopos suos consultum, hique rem ad apostolicam hanc Sedem deferent, a qua dijudicabitur. Quod reliquum est — et ex iis quæ diximus, facile colligitur — quemadmodum ex una parte nemini fas esset accusare de suspecta Fide eoque impugnare nomine qui, constantes in defendendis doctrinis juribusque Ecclesiæ, tamen recto consilio volunt de Syndicatibus mistis esse, et sunt, ubi pro locorum rationibus potestati sacræ visum est Syndicatus hujusmodi, certis adhibitis cautionibus, esse permittere: item, altera ex parte valde improbandum foret inimice insectari consociationes mere catholicas — quod genus contra omni est ope adjuvandum ac provehendum — atque adhiberi velle et quasi imponere *interconfessionale*, quod aiunt, genus, idque per speciem quoque exigendi ad unam eamdemque formam omnes, quotquot sunt in singulis diœcesibus, catholicorum societates.

abstinendum a disputatione;

orituræ difficultates deferantur ad Episc. et inde ad Nos;

abstineatur tum ab accusando alios de suspecta fide

tum ab insectando consociationes catholicas.

III. Apprecatio finalis. Floreat Germania catholica.

Interea, dum pro Germania catholica, ut magnos habeat in re et religiosa et civili progressus, vota facimus, ea ut feliciter eveniant, singularem Dei omnipotentis opem et Virginis Matris Dei, quæ ipsa regina pacis est, patrocinium genti dilectæ imploramus: atque auspicem divinorum munerum et eamdem præcipue benevolentiæ Nostræ testem, apostolicam benedictionem vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, vestroque clero et populo amantissime impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIV mensis septembris MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

PII PP. X EPISTOLA (1).

Non levis momenti est pro disciplina Tertii Ordinis S. Francisci epistola pontificia 8 Septembris data ad tres ministros generales trium familiarum Primi Ordinis Franciscani. Scribendi motivum est timor ne studium rerum novarum sese in Tertiariorum Ordinem alicubi insinuet eumque a spiritu fundatoris sui detorqueat. Finis nimirum hujus instituti est justitia christiana in multitudine fidelium promovenda; proprietates ejus duæ sunt, fraterna scilicet concordia et studium pœnitentiæ. Utrumque instanter commendat Summus Pontifex, et contineri ostendit in sancta obtemperatione legibus hujus Ordinis.

Inde vero deducit tum officia a sodalibus servanda, tum limites activitatis non excedendos, tum regulas practicas pro conventibus. Sic scribit:

Jam vero, ad utramque assequendam rem quam diximus, egregie comparatæ sunt leges hujus Ordinis; quibus propterea sancta esse Tertiariorum obtemperatio debet. — Ante omnia, de sodalibus cooptandis cavetur ut sinceræ sint fidei spectatique erga Ecclesiam Romanam Sedemque apostolicam obsequii, ad exemplum Francisci Patris, cujus fidem Nicolaus IV decessor Noster, in Constitutione *Supra montem*, amplissimis laudibus honestavit. Et ne ea in periculo sit virtus, præcipitur, a legendis libris diariisque perniciosis se abstineant; quæ vero scripta religionem tuentur, ea non modo lectitent, sed spargenda in vulgus disseminandaque curent; ad hæc, quantum fieri poterit, Sacris in parochiali suo quisque templo adsint et curionibus operam navent in adulescentulis rudioribusque hominibus ad christianam doctrinam instituendis. Mores deinde suos ita componere debent, ut absolutissimam christianæ vitæ rationem sequi videantur. Ergo studeant, delicato cultu, comessationibus, scenicis ludis procacioribus abdicatis, tum frequenter se pœnitentia expiari et ad divinum Epulum accedere, tum

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. IV, 1912, p. 582 ss.

familiæ ac civibus exemplo esse, tum etiam a vitiis ad frugem bonam errantes revocare. Sed illud in primis Tertiarios meminisse oportet, hoc se nomine minus fore dignos, nisi caritate in Deum proximosque inflammentur, et, qua seraphicus Patriarcha mirum in modum virtute præstitit, eamdem, velut Ordinis sui insigne, præ se ferant. Quoniam vero *probatio dilectionis exhibitio est operis*, hac adstringuntur lege ut benevolentiam omnem sodalibus alienisque præstent, componendasque discordias sedulo curent; ægrotos invisant; tenuiores, collata stipe, sublevent; omnia denique opera, quæ *misericordiæ* vocantur, peragere studeant.

Cum autem penes religiosos Primi Ordinis sit Ordinis Tertii gubernatio, ii sodalitatum præsides seu Visitatores eligantur qui sint in cœnobii solitudine sancte versati, et Auctorem suum ita imitentur, ut virtutibus, quibus ipse præluxit, possint Tertiarios sodales imbuere. Verum in hac tanta acerbitate temporum, cum perpetuo metuendum est ne quid Ordini priori calamitatis impendeat, si Ordinem Tertium volumus consistere incolumem, nihil videtur opportunius quam ut sodalitates ejusmodi non modo apud Primi Ordinis cœnobia, sed apud alia etiam templa, parochialia præsertim, constituantur, earum moderatione, de episcoporum consilio, curionibus ipsis commissa, nisi aliud locorum ratio suadeat, salvo semper jure et officio prælatorum Ordinis Primi; quod profecto Tertii Ordinis naturæ non adversatur, quin immo eidem aptum omnino est et consentaneum. Eo ipso enim validiori auxilio curionibus in procuranda hominum salute sodales fore, nemo non videt.

Itaque ex his quæ dicta sunt, perspicuum arbitramur, Tertii Ordinis institutum in hoc consistere ut sodales evangelicæ perfectionis præcepta in cotidianum usum ipsi deducant, et christianæ vitæ exemplar ceteris ad imitandum proponant. Consequens est, ut Tertiariorum sodalicia, qua talia, se civilibus aut mere œconomicis rationibus immiscere omnino non debeant; si faciant, rem ab instituto suo quam maxime alienam et voluntati Nostræ contrariam se facere sciant. Verumtamen Tertiarii de re christiana merebuntur optime, si singuli, dato catholicis societatibus nomine, persequi id quod quæque sibi habet peculiare propositum, contendant; nec vero prohibentur quin in actione etiam

sociali, qualis huic apostolicæ Sedi probatur, elaborent: at cavendum, ne Ordo ipse Tertius in earum societatum regiones invadat, neve finem earundem proprium, faciat suum. Si quis autem e Tertiariis, cum pietatis tum beneficentiæ causa, aliam quamlibet condat novam societatem, hanc volumus episcopo plene subesse, et ab eo gubernari quem episcopus probaverit, etiamsi Ordinis Tertii præsides aliquo pacto condendæ societatis auctores fuerint.

Ad sodaliciorum conventus quod spectat, certos iis constituere fines oportet, quos, dilecti filii, præterire quemquam ne patiamini. Itaque hæc capita sancte custodiantur:

I. Religiosi dumtaxat ex Ordine Primo cœtus seu conventus sodalium Ordinis Tertii cogant iisdemque præsideant; si sodales a *districtu* coëant, cœnobii custos seu *Guardianus;* si e provincia, provincialis Minister; si e pluribus provinciis, Ordinis Minister generalis. Qui jure præsint, eorum est de rebus in disputationem deducendis libellos conficere, diribere; nemini autem de aliqua re dicendi jus esto, nisi rogationem præsidi ante subjecerit, ab eoque copiam fandi impetraverit.

II. Disceptare cuivis ne liceat, nisi de iis quæ Ordinis Tertii naturæ, proposito legibusque ac datis per Romanos Pontifices de hac eadem re præscriptionibus congruant; quæstiones vero de re mere œconomica et sociali in posterum submoveantur.

III. Cum Franciscalis Ordo id habeat veluti proprium ac singulare ut Jesu Christi Vicario arctissime adhæreat, Tertiarii suæ in Romanum Pontificem ac secundo in Ordinis generales Ministros studiosæ observantiæ significationem, cœtum ineuntes, solemniter edere ne omittant.

IV. Cœtuum seu conventuum acta, nisi de Ministri generalis Ordinis consensu, ne vulgentur. Sicubi vera tres Franciscalis Ordinis Ministri generales conventui intersint, huic simul præsideant, quippe sunt dignitate et potestate pares; actaque ne edantur, ante quam communis eorumdem adprobatio accesserit.

Hæc, pro benevolentia qua Ordinem Tertium complectimur, ediximus; futurum vero confidimus, ut Tertiarii omnes, quotquot curæ vestræ sunt per orbem catholicum commissi, seraphici Patris vestigia persequi summopere nitantur. Quod

ut secundum vota succedat, vobis, dilecti filii, et Franciscalium Ordini universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, die VIII mensis septembris, in festo Mariæ sanctissimæ nascentis, anno MCMXII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

S. Congregatio Rituum

ROMANA ET ALIARUM.

De oratione Dominica et aliis Officio defunctorum præmittendis (1).

Ex Decreto in una Plurium Diœcesium diei 24 julii vertentis anni (2), præscribitur rubrica inserenda in Officio Defunctorum, tam in Breviario quam in Rituali Romano, circa modum Matutinum concludendi et Laudes inchoandi, quoties Laudes a Matutino separantur. Hinc ob singularem casum sacræ Rituum Congregationi altera quæstio pro opportuna solutione proposita fuit: « An ante Vesperas Defunctorum « præmitti debeant *Pater* et *Ave;* et ante Matutinum *Pater*, *Ave* et *Credo* ». Et sacra Rituum Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicæ, reque accurato examine perpensa, respondendum censuit: « Affirmative, quoties Vesperæ (3) aut Matutinum » Defunctorum separatim ab Officio divino recitentur ».

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 25 octobris 1912.

L. ✠ S.

Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1912, p. 668.
(2) *Collat. Brug.*, suprà p. 617.
(3) Similiter est dicendum, si quando Laudes separentur a Matutino, etiam in recitatione publica, si ex consuetudine hæc separatio obtineat.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

S. Alphonsus Maria de Ligorio. *Praxis confessarii ad bene excipiendas confessiones.* Editio nova... cura et studio R. P. **Gabrielis M. Blanc,** C. SS. Red., Romæ, typis Vaticanis, 1912. In-12°, 372 p.

Notissimi hujus opusculi editio excerpta est ex tomo quarto celebris editionis criticæ Operum Moralium S. Alphonsi, a R. P. Gaudé recens in lucem editæ. Illam autem excudendam curavit R. P. Blanc, in hôc vices supplendo desideratissimi P. Gaudé, qui morte præventus ingens suum opus complere nequivit.

Eamdem, quæ in edenda *Theologia Morali* adhibita fuit, methodum secutus est editor *Praxeos,* methodum, inquam, quam undique recensores laudibus extulerunt, quamque latius descriptam invenies apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 77 s. Cæterum eo minus arduus fuit labor quod citationes inquirendæ, et pro opportunitate complendæ vel emendandæ, minori frequentia hîc occurrant quam in *Opere Morali,* cujus præsentem opellam merum esse compendium ipse S. Doctor est testatus.

Quod spectat correctiones allatas S. Doctoris doctrinæ, ad hoc ut hodiernæ disciplinæ aut S. Sedis recentioribus declarationibus accomodetur, partim remittit Ed. ad correctoria in locis parallelis Theologiæ Moralis inserta, partim brevem adnotationem subjungit ad calcem paginæ, uti v. gr. p. 351, ubi refertur decretum C. S. O., 25 Aprilis 1906, circa breviorem formulam Extremæ Unctionis pro casu necessitatis. Nescio autem utrum hujusmodi correctiones et emendationes non fuerint nimis parca manu insertæ; et ita, quod attinet infirmum periclitantem, obsoleta videtur sententia quæ non audet illi permittere ut non jejunus communicet quotidiè, quousque mortis discrimen perseverat: non est cur sex vel octo dierum intervallum interponendum requiratur, cum dicti infirmi declarentur a lege jejunii eucharistici simpliciter exempti.

A. D. S.

F. Anizan. *Qu'est-ce que le Sacré Cœur?* Paris, Lethielleux, 1910. In-12, LVI-120 p.

L'ouvrage développe et défend deux thèses, la première concernant l'objet de la dévotion au Sacré Cœur; la seconde concernant la définition du Sacré Cœur.

1e Thèse. « L'objet total de la dévotion au Sacré Cœur de Jésus est formé de deux éléments essentiels: l'un général ou commun, c'est la

personne même du Verbe Incarné; l'autre spécial ou particulier, c'est le cœur de chair, en tant que symbole de l'amour de Jésus.

De ces deux éléments essentiels, l'élément commun, c'est-à-dire la personne, est le principal; et l'élément spécial, c'est-à-dire le cœur de chair, est le moins important, bien qu'il soit absolument nécessaire ».

Cette thèse, dans ses deux parties, ne laisse aucun doute. Elle a le grand mérite de mettre en évidence la saine doctrine concernant tout culte rendu au Verbe incarné. Mais l'auteur a-t-il suffisamment expliqué comment se diversifient les divers cultes rendus à cette même Personne? Ainsi dans le cas présent, a-t-il assez expliqué comment la dévotion au Sacré Cœur se distingue par son objet de toutes les autres dévotions particulières envers Notre-Seigneur. En toutes l'objet intégral ou total *(objectum materiale cui)* est le même, notamment la personne de Jésus. Mais la raison formelle pour laquelle on honore cette personne est différente de l'une à l'autre. *(objectum formale)*: dans la dévotion au Sacré Cœur, c'est l'amour de Jésus pour nous. Et c'est à raison du rapport qui existe entre cette raison formelle et telle ou telle partie de la personne, (le cœur de chair, dans notre cas), que cette partie est honorée particulièrement dans la personne, c'est-à-dire devient l'objet partiel, spécial d'un culte particulier. Cette partie est coadorée (1); elle est l'objet immédiat dans la considération de celui qui l'honore, et c'est ainsi que l'acte religieux par lequel nous honorons telle partie, le Cœur de Jésus, est différent d'autres actes, par exemple de l'honneur rendu à la Sainte Face, aux cinq plaies de N. S.

2e Thèse. « Souvent l'expression « le Sacré Cœur » désigne directement la personne même de Jésus. En sorte que, même par définition nominale, le Sacré Cœur est avant tout Jésus Lui-même.

Des deux définitions réelles que l'on peut donner du Sacré-Cœur, la meilleure est celle où l'on désigne directement et avant tout la personne du Verbe Incarné »

Ici nous ne sommes plus d'accord avec l'auteur. Sans doute le mot « Cœur » peut être pris en plusieurs sens: il peut signifier soit l'organe central de la circulation, soit l'amour, soit toute la vie affective, soit tout l'homme. Mais dira-t-on, par exemple, que le mot cœur signifie *par définition* l'amour ou l'homme tout entier? Nullement, mais on dira: « cœur » signifie *par définition* ce viscère, centre de la circulation; ce mot signifie « amour » *par métaphore*, et « tout l'homme » *par métonymie*. De même, du Sacré Cœur on ne peut donner qu'une seule définition soit nominale soit réelle, notamment celle de cœur au sens physique et propre.

Donc, de la première thèse: la personne de Jésus est l'objet principal de la dévotion au Sacré Cœur, il ne résulte pas que le Sacré Cœur, objet de la dévotion, soit par définition la personne même du Verbe Incarné. Mais c'est par métaphore ou par métonymie qu'on désigne par le mot « Sacré Cœur » soit l'amour soit la personne entière du Verbe incarné.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. V, 1900, p. 601, coll. p. 534.

Fr. P. Stein, O. F. M. *Tractatus de indulgentiis lucrandis.* Heythuysen, Beynsberger, 1912. In-8, 65 p.

In præsenti tractatu, clare et breviter exposita invenies: 1° generalem notionem indulgentiarum, earum divisionem, conditiones ad eas lucrandas, opera præscribi solita, tandem tractatum de indulgentiarum authenticitate, juxta novissima S. Sedis decreta; 2° doctrinam canonicam de præcipuis indulgentiarum concessionibus, ut sunt, altare privilegiatum et missæ gregorianæ; S. Via Crucis et Crucifixus Viæ crucis; de actu heroico caritatis; de indulgentiis realibus generatim, de rosariis, de scapularibus, de indulgentia plenaria in articulo mortis, de indulgentiis trium ordinum S. Francisci.

Præsens opusculum dat quasi medullam majorum operum P. Petri Mocchegiani, O. F. M., *Collectio indulgentiarum* et P. Francisci Beringer, S. J., *Die Ablässe*, ed. 13 (1905) (1).

Pauca fas sit animadvertere. Laudatus tractatus est essentialiter practicus, agit unice de *lucrandis* indulgentiis, et ideo quoad partem speculativam simpliciter remittit ad auctores dogmaticos. Sed neque historia indulgentiarum ibi quærenda est quamvis quædam forsan, v. g., circa formulam « a culpa et pœna » in hac materia olim valde impugnatam, non inutilia fuissent. (2) — Dicit auctor p. 32, « æque certum videtur... non requiri ut missæ [gregorianæ scil.] diebus non impeditis celebrentur de Requiem... » Sane, neque ex usu, neque ex decisionibus Ecclesiæ colligi potest obligatio celebrandi missas de Requiem. Nonne tamen illud certo convenit, cum debeat specialis fructus missæ applicari pro anima ipsa cui intenditur applicari specialis efficacia Tricenarii gregoriani (3)? — Ubi agit auctor de S. Via crucis, p. 32 ss., unicum tantum objectum recenset quod stationibus substitui potest et cui indulgentiæ Viæ crucis adnecti possunt, scil. crucifixum Viæ crucis, nullam memoriam faciens sive libelli bombelliani, ut aiunt, sive coronæ Viæ crucis. Cæterum hæc objecta non jam habent nisi momentum historicum, cum per recens decretum 24 julii hujus anni supra relatum abrogata sit facultas illa benedicendi. — Potuisset quoque A. adnotare indulgentiam 100 dierum rosarii S. Dominici et 500 dierum rosarii Crucigerorum pro singulo *Pater* et *Ave* lucrabiles, animabus purgatorii applicari posse. — Addenda quædam forent p. 8 circa indulgentias defunctis applicabiles.

Ne immorer mendis aliquot typographicis nimis frequentibus pro editione in Hollandia facta, juvat sincere gratulari auctori, ejusque opusculum sacerdotibus omnibus enixe commendare.

---

(1) Versio gallica « Les indulgences, leur nature et leur usage » 3e éd., Paris, 1905.

(2) Qui plura velit circa hanc historiam conferat in « Vie diocésaine » 1912, seriem articulorum H. De Jongh cum ampla bibliographia.

(3) Cfr. *Collat. Brug.* 1905, t. X, p. 442 ss.

Ex-Cap^ne^ Magniez. *Fleurettes de congrès Eucharistiques.* Arras, rue Jeanne d'Arc, 22 et 24, Fr. 11,50 les 230 ex.; Fr. 6 les 100 ex.; Fr. 0,15 l'exemplaire.

Petite brochure de propagande eucharistique contenant les trois décrets importants sur la communion quotidienne, la dispense de la confession hebdomadaire, et l'âge d'admission à la première communion ; des fleurettes de congrès sur la formation eucharistique ; des pensées sur l'Eucharistie; enfin un rapport sur la meilleure manière d'assister à la messe, et une instruction sur la communion en faveur des défunts. Cet opuscule pouvant contribuer au développement du culte eucharistique nous lui souhaitons ample diffusion.

Germano di S. Stanislao. *Gemma Galgani*, de serafijnsche maagd van Lucca (1878-1903). Uit het Italiaansch vertaald door M. W. Wytenburg. Nieuwe volledige uitgave. Leiden, van Leeuwen, 1912. 2 bkd., in-8, XII-290 en 254 bl. Gd. 2,40. Linn. bd., gld. 3,40.

De *Volksuitgave* van dit werk werd hier vroeger warm aanbevolen (1). Het zal dus voldoende zijn de volledige uitgave aan te kondigen om ze gunstig te doen onthalen: wat hier immers bijgevoegd is kan maar ertoe bijdragen om den stichtenden indruk dezer biographie levendiger te maken en om de wezenlijkheid der buitengewone gunsten die dit leven vervullen, met toegevoegde bewijsstukken te staven.

C. Arvisenet. *Memoriale vitæ sacerdotis.* Taurini. Typographia pontificia. P. Marietti, 1912. F. 1,20.

Egregium hoc opusculum jam satis notum est clero nostro ut non indigeat nova commendatione. Sufficiat igitur nuntiasse hanc novam, pretii modici, editionem.

J. Mahieu, S. T. L. *Biecht- en Communieboekje voor de kinders.* Nieuwe uitgave. Brugge, Beyaert, 1912.

Dit boekje richt zich tot de lieve kinders om ze te leiden tot den Goddelijken Kindervriend, langs wegen die ze kunnen volgen. Maar het is ook bestemd voor ouders en meesters die het aan de kinders moeten uitleggen thuis of in de school; dit mag alleszins uit het oog niet verloren worden door de opvoeders van het kind. Twee hoedanigheden alleen van dit werkje zou ik hier willen aanstippen: 1° het klaar onderscheid tusschen kleine en groote zonden, bl. 15-16; en 2° de toepassing op de kinders van 't gebruik van het bijzonder gewetenspuntje, bl. 74 en 121.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.* 1911, t. XVI, p. 437.

Mocht dit boekje door onze priesters in de handen van onze kristene moeders en van al onze kinderen gesteken worden: 't zal noodzakelijk door een grondig onderwijs ook eene duurzame godsvrucht in 't opkomend geslacht aankweeken.

L. Maillet-Guy. *Le bienheureux curé d'Ars conduisant le chrétien au ciel.* 2de éd. Paris, Téqui, 1912. F. 2.

La meilleure recommandation du présent livre de piété c'est « qu'il est tout entier du Saint Curé d'Ars » (p. XVI), que toutes les paroles qu'il contient sont de lui. Et de fait on y retrouve l'esprit de ce Saint contemporain dont toute la vie se résume à « aimer et à faire aimer Dieu ». L'abbé Maillet a simplement disposé et combiné les diverses citations de façon à en faire un vade-mecum complet du chrétien vivant dans le monde. Les pages consacrées à l'oraison, p. 10 ss., à la tentation, p. 49 ss., à l'esprit et à la pratique de la pénitence p. 61 ss.; la deuxième partie traitant de la fréquentation des Sacrements p. 131 ss.; les conseils à un jeune homme p. 474 ss.; les paragraphes: « Qu'est-ce que le prêtre » p. 485 ss. et « la vue de Jésus-Christ crucifié » p. 533 ss. méritent tout éloge (1).

M. C. Nieuwbarn, O. P. *De Hof van Leliën.* Een boekje van aflaten. Nijmegen, Malmberg.

Uitstekend boekje waarin de geloovigen benevens een juist begrip van wat aflaten zijn eene kostbare verzameling vinden van korte « bevoorrechte gebeden » toepasselijk op de verschillende omstandigheden van 't kristelijk leven. Mocht het en kennis en gebruik van den « Aflaat » meer verspreiden tot voordeel van den kristen die bidt, en tot lafenis onzer lijdende broeders in 't Vagevuur.

J. Jörgensen. *De weg naar het licht,* uit het Deensch vertaald door A. Coussens. Kortrijk, Vermaut, 1912.

Uitgever en vertaler van dit boek verdienen ruim den lof die hun van verschillende zijden te beurt valt. Het werk is aantrekkelijk door zijn ernstig bezorgd voorkomen en door de rijke taal waarin het overgezet werd. Maar vooral de inhoud ervan is hoogst belangwekkend. In den persoon van Herman Ronge heeft Jörgensen zijn eigene bekeering beschreven. Wij volgen in hem het traag en lastig opstijgen eener jeugdige moderne ziel uit den twijfelgeest en de dwingelandij der zelfzucht tot « de uitboeting der zonden door Jesus-Christus en een nieuw leven in God », en wel tot het volle kristelijk leven in de

(1) Nous voudrions cependant qu'un mot d'explication corrige certaines inexactitudes ou certaines exagérations et prévienne les idées fausses que des personnes du monde pourraient en retirer, par exemple pp. 7, 9, 205, 224, 243.

katholieke kerk, als persoonlijke en maatschappelijke herwording. De priesters bestuurders van studiekringen zullen dit boek met veel nut lezen en met veel vrucht aan ontwikkelde jongelingen te lezen geven.

A. LEGRAND.

A. Monin. *De Curia Romana, ejus historia ac hodierna disciplina juxta reformationem a Pio X inductam.* Lovanii, J. Van Linthout, 1912, in-8, xx-394 p. F. 5.

Quamvis jam ampla prostet bibliographia reformatæ Curiæ Romanæ dicata, merito non inutile visum est auctori dissertationem conscribere, in qua, attentis documentis et doctorum sententiis, historicæ et canonicæ scientiæ status hac de re proponeretur.

Hujus disquisitionis partem priorem totam impendit auctor describendis vicissitudinibus historicis tum Curiæ in genere, tum uniuscujusque dicasterii in specie, suasque deprompsit notitias, ut plurimum, ex monographiis studiisque scriptorum veterum et recentiorum. His innixus, dilucide ortum et præprimis varias decursu temporis *competentiæ* limites determinavit, curando ne, præ nimia rerum et factorum particularium copia aut protracta variarum opinionum discussione, conspectui generali historico obscuritas afferretur. Hac ratione, ni fallar, motus, multas prætermisit quæstiones speciales, nec intendit exhaurire materiæ bibliographiam, quamvis, meo judicio, ut completa et accurata sit tractatio, plura opera utiliter consuli potuissent; nimirum opera Ferreres, Reusch, Göller, Baumgarten, Jacokswski, etc.

Ut sincere mentem aperiam, pars canonica hujus dissertationis prævalet parti historicæ. Illa eminet pluribus dotibus, quarum præcipuæ sunt claritas et expositionis facilitas conjunctæ cum soliditate et indole practica doctrinæ. Quæstiones intricatæ de competentia dicasteriorum accurate exponuntur, adductis rationibus ex fontibus authenticis et auctoribus probatis, adeo ut sub hoc respectu præstantius sit opus editis hucusque dissertationibus. Præterea magnam secumferunt utilitatem monita practica circa modum recurrendi ad varia discasteria, negotia cum iisdem agendi et eorum decisiones exsequendi. Exinde laudes maximas meretur doctissimus auctor, ejusque studiorum moderator Ill^mus professor De Becker.

G. Kisselstein. *Les dons et les legs aux fabriques d'églises paroissiales en Belgique. Étude juridique.* (Université catholique de Louvain. Dissertations doctorales de la Faculté de Théologie. IIe sér., t. V). Louvain, Van Linthout, 1912, in-8, xxxii-585 p. F. 7,50.

La dissertation doctorale de M. Kisselstein, fruit de l'enseignement de M. le chanoine Van Hove, professeur de droit civil-ecclésiastique à l'Université de Louvain, est une œuvre remarquable d'érudition et de science. La question des libéralités aux fabriques d'église, qui, depuis la

monographie fortement discutée de M. Lentz en 1882, n'avait plus fait l'objet d'une étude d'ensemble, y est exposée avec toute l'ampleur que comporte un sujet aussi important et actuel. Nous admirons sans réserve la documentation extrêmement riche de l'auteur, son information bibliographique, ses connaissances des législations et jurisprudences belge et française, son impartialité dans l'examen des opinions adverses, son souci d'approfondir les problèmes juridiques et de ne négliger aucune des difficultés que suscite la complexité du problème.

Une introduction historique très au point traite des libéralités en faveur des établissements ecclésiastiques dans le droit romain, franc, féodal et moderne; elle constitue une heureuse synthèse des travaux des érudits. Suit une première partie qui discute, au point de vue constitutionnel et canonique, la valeur de la législation civile sur le temporel des cultes et plus spécialement, sur les dons et legs aux fabriques. La seconde partie est consacrée à l'étude de la compétence des fabriques en matière de libéralités. Elle comprend d'abord l'exposé des questions générales sur la nature juridique de la fondation, le principe de la spécialité, la capacité des administrations fabriciennes; puis passe en revue les principaux objets des fondations religieuses. Dans la troisième partie il est question du régime légal des libéralités pieuses : de l'acceptation, de l'exonération et de la révocation des fondations. En appendice, l'auteur expose la législation canonique relative aux dons et legs pieux.

Impossible d'analyser dans le détail une œuvre aussi fouillée; force nous est de ne signaler à l'attention des juristes que certains points particulièrement bien traités. Ce sont, outre l'introduction historique, les thèses sur la nature de la fondation, le principe de la spécialité, la distinction entre établissements publics et établissements d'utilité publique, la mission générale des fabriques; sur l'acceptation par elles des fondations à exonérer dans les chapelles ouvertes aux fidèles; sur les fondations de dépenses facultatives, de missions, de maisons vicariales; sur les fondations charitables et la réduction des fondations. Excellente également est l'interprétation des articles 92 et 93 du décret de 1809; 900, 1183 et 1184 du code civil. Dans la partie canonique il y a de même bien des choses à glaner, notamment quant aux droits de commutation et de réduction des fondations, qui compéteraient à l'Évêque, et quant à la légalité de la réserve en droit canonique.

S'il est des questions où ne règne pas toute la clarté désirable, la cause en est aux obscurités de la législation, à ce que notamment les notions juridiques des établissements publics et d'utilité publique; de la cause, du mode et de la condition des contrats manquent de précision.

Espérons que les tenants des opinions adverses prendront ce travail en sérieuse considération et sauront gré à M. Kisselstein d'avoir exposé leurs arguments avec loyauté et largeur d'esprit.

Une remarque pour finir. Il nous semble que la thèse de la capacité des fabriques à acquérir des terrains d'inhumation aurait pu être renforcée. Nous regrettons aussi que, vu l'abondance des matières, la table alphabétique n'ait pas reçu de plus amples développements.

A. De Meester.

A. Guillaume, S. J. *La Morale Chrétienne : les Commandements de Dieu, les Commandements de l'Église.* 1 vol. in-12, p. IX-654 ; Bruxelles, Dewit, 1913. Prix : 4 fr.

L'ouvrage du R. P. Guillaume sur les commandements de Dieu et de l'Église se recommande par de précieuses qualités ; il est clair et attrayant, et renferme une foule d'exposés vraiment théologiques, où la forme le dispute au fond, et où les prêtres pourront aisément puiser la matière de belles et solides instructions, et les laïques des enseignements précis sur tous leurs devoirs moraux.

Le livre s'ouvre par 4 conférences traitant des divers systèmes de morale sans Dieu, en opposition avec la vraie morale, naturelle et surnaturelle, qui fait la gloire de l'Église catholique. Puis vient l'exposé des commandements de Dieu, suivi de l'explication des commandements de l'Église : en tout 40 conférences, toutes intéressantes, toutes bien pensées et parfaitement écrites.

L'ordre choisi par le R. P. Guillaume lui a nécessairement fait grouper, sous la rubrique de certains commandements, des préceptes qui relèvent de vertus diverses, et dont on peut se demander si la place est bien choisie. Ainsi, à propos du 5e commandement, l'auteur traite non seulement de l'homicide, du suicide, du duel, de l'avortement, de l'embryotomie, mais encore de la charité envers le prochain, du précepte de l'aumône, du pardon des offenses, de l'envie, de la colère etc. N'y a-t-il pas là une interprétation tant soi peu extensive de la loi divine : Homicide point ne seras ? Il est vrai que les inconvénients de la classification par commandements sont moins sensibles dans un recueil de conférences que dans un traité de morale proprement dit.

A cette première remarque, nous voudrions en ajouter une seconde au point de vue du fond. De ci de là, il se glisse dans l'exposé des devoirs moraux certaines lacunes, parfois certaines inexactitudes qui détonnent, car l'allure de l'ensemble est vraiment théologique. Ainsi le vrai motif de la charité envers Dieu : sa perfection essentielle, n'est pas mis dans un relief suffisant au cours de la conférence sur le premier commandement, non plus que l'effet de la grâce sanctifiante, à savoir la communication de la vie divine, condition pourtant nécessaire à cette charité, puisqu'elle est un amour d'amitié. — Plus loin, à propos du 4e commandement, il est dit que toutes les lois civiles qui précisent ou confirment la loi naturelle sont préceptives et directement obligatoires en conscience, puisque l'obligation (naturelle) existe déjà. Mais ce : *puisque* tombe quelque peu à faux ; car non seulement une loi naturelle imprécise n'oblige pas encore, mais de plus il est des cas où elle se voit préciser par la loi civile, en vue du bien commun, dans un sens opposé à ce qu'elle suggérait par elle-même. — Notons encore, sur l'exposé du 6e commandement, que maint théologien trouvera peu concluant le motif qui entraîne selon l'auteur la malice mortelle des actes inconsommés de luxure : à savoir que Dieu ne peut permettre que son image soit souillée, lentement et complètement par l'homme.

Mais trêve aux remarques : l'impression que laisse l'ensemble du livre

est excellente. Particulièrement judicieuses sont les pages consacrées aux devoirs de justice et d'équité sociales; les notes historiques qui accompagnent l'exposé des commandements de l'Église; et les citations d'auteurs, dont l'emploi discret mais suggestif révèle un écrivain parfaitement documenté. Aussi souhaitons-nous à l'ouvrage du R. P. Guillaume la plus large diffusion.

E. HOSTEN.

Chan. H. De Jongh. *Les grandes lignes de l'histoire des Indulgences.* (Extrait de *La Vie Diocésaine*, t. VI, 1912). Louvain, impr. Nova et Vetera, 1912. Grd in-8, 78 p.

Nous attirons spécialement l'attention de nos lecteurs sur cette belle étude d'ensemble concernant l'histoire des Indulgences. Il a paru dans les derniers temps un grand nombre de travaux sur cette question: l'érudition protestante, surtout allemande, s'est évertuée à faire passer comme doctrine de l'Église, les anciennes pratiques abusives et les opinions du vulgaire en matière d'indulgences; plusieurs auteurs catholiques, notamment Mgr Paulus et Mgr Baumgartner, ont répondu à ces attaques indirectes contre le catholicisme, mais ils ont dû d'ordinaire s'en tenir à des questions de détail. Le savant professeur de Louvain nous a donc vraiment rendu service en essayant une synthèse d'après l'ensemble de ces travaux. Ajoutons qu'il ne néglige pas de recourir aux sources, spécialement là où il rappelle les pratiques anciennes des Pays-Bas.

Dans un premier chapitre il étudie l'origine des indulgences. Elles n'ont pas existé, d'après lui, aux premiers siècles de l'Église, telles que nous les connaissons et les gagnons maintenant; mais on retrouve facilement dans la primitive Église les différents dogmes sur lesquels elles s'appuyent et des pratiques qui les contiennent en germe. Parmi ces pratiques sont à signaler: la réduction de la pénitence, obtenue grâce à l'intercession des martyrs, et surtout les *redémptiones*, ou rachats de pénitence par l'aumône ou le pèlerinage, en usage déjà depuis la fin du VIIe siècle. Ces commutations supposent d'abord une intervention de l'autorité dans chaque cas particulier, mais quand on les accordera, dans un second stade de développement, d'une manière générale et abstraite, nour aurons les indulgences telles qu'on les entend de nos jours. Ce fut le cas lors de la première croisade; Urbain II concéda la faveur spirituelle à tous les croisés: « *iter illud* (à Jérusalem) *pro omni pœnitentia reputetur* ». Le Chap. II expose le développement successif des indulgences plénières et partielles: des détails intéressants sont donnés sur les indulgences de la croisade, de la portioncule, sur les jubilés. Les indulgences vont très souvent de pair avec d'autres faveurs spirituelles (absolutio a reservatis et censuris, dispenses de vœux et de serments faits à la légère, élection de confesseur etc....): malheureusement elles deviennent bientôt le moyen ordinaire de réunir l'argent nécessaire aux œuvres pies et ouvrent ainsi la porte à des abus que la sévérité de l'Église ne parvient pas toujours à arrêter.

Mais tout en reconnaissant ces abus, dont l'auteur donne de nombreux

exemples, on serait bien injuste en déniant aux indulgences tout heureux effet, en dehors de la rémission des peines temporelles. Il serait plus injuste encore et tout à fait erroné de trouver dans les pratiques abusives des erreurs doctrinales professées par l'Église, comme le prétendent certains historiens désireux de justifier la révolte de Luther. M. De Jongh s'occupe de cette question ainsi que des attaques de Luther dans le IIIe Chap. Après avoir rappelé que de tout temps l'indulgence fut considérée par les écrivains ecclésiastiques comme ayant de la valeur non seulement au for extérieur mais aussi au for divin, l'auteur appuie sur le fait que l'autorité ecclésiastique, quand elle concède l'indulgence, exprime toujours la condition du repentir et de la confession *(contriti et confessi)*. Quant à la formule *a culpa et a pœna* de l'indulgence plénière, elle doit son origine au langage populaire: le peuple ne séparait pas les effets à obtenir par l'indulgence et par la confession qui devait la précéder, d'autant plus qu'au commencement surtout, lors d'une concession d'indulgence plénière des pouvoirs spéciaux étaient accordés aux confesseurs. On le voit la formule peut avoir un sens parfaitement acceptable, elle fut de fait expliquée dans ce sens par les écrivains ecclésiastiques.

Cependant, nous l'avons déjà dit, il existait vers la fin du moyen âge des abus regrettables. La prédication par Tetzel de l'indulgence concédée à Albert de Brandebourg, fut particulièrement choquante, elle fut pour Luther l'occasion — non la cause — de sa révolte; bientôt dans la triste lutte doctrinale et politique du XVIe siècle, la question des indulgences n'eut plus qu'une importance secondaire. Elle en eut cependant encore assez pour déterminer Léon X (1520) et le Concile de Trente (1561) à établir la vraie doctrine de l'Église et à couper court à tous les abus.

R. De Schepper.

A. Knoch. *L'Onanisme conjugal et le Tribunal de la Pénitence,* 3e édition, Liége, Dessain, 1912. In-8, 68 p. Prix: 1 fr.

Nos lecteurs connaissent déjà la brochure du savant professeur de Liége. Ici même, au tome XV, p. 597, nous avons dit tout le profit que les confesseurs peuvent en retirer; nous en avons loué la netteté de style, la précision d'exposé, la solidité de doctrine. D'ailleurs les Revues de tous les pays ont prodigué leurs éloges à l'Auteur; il l'avoue lui-même, dans les compte-rendus — insérés pour la plupart en tête de l'opuscule — on ne relève ni critique ni réserve. Il est donc bien naturel que la troisième édition suive de près la seconde; nous lui souhaitons le même succès qu'à sa devancière.

